

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
10 G
44

Rodriguez Castelblanco

TRACTATVS

DE OMNIVM RERVM Restitutione Amplissimus:

In quo de bonis animi, corporis, & fortunæ restituendis, deq; humanis contractibus, Doctorum sententias examinando, & casus in utroque foro quotidie occurrentes decidendo, duabus & nonaginta quęstionibus, late perspicueque disputatur:


Opus non minus Iuris vtriusque peritis, quam Theologis, & animarum Curatoribus vtile, ac necessarium:

Auctore Ludouico Carbone a Costaciaro, Academico Parthenio, & Sacræ Theologię in almo Gymnasio Perusino olim publico Magistro.

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS, M. D. XCII.


Apud Hæredes Ioan. Baptistæ Somaschi.





REVERENDISSIMO
DOMINO,
D. NEAPOLIONI
Comitulo, Episcopo Perusino,

Ludouicus Carbo S.



NON prius, quam his diebus, Reuerendiss. Presul, te ad Episcopatus dignitatē fuisse euectum, mihi renuntiatum fuit. Quo sane nuntio gratius atque iucundius accidere potuit nihil. Cum ergo multum mecum gauisus essem, ut tibi quoque literis gratularer, mea in te uetus obseruantia omnino efflagitabat. Et quamuis uererer, ne sera gratulatio in reprehensionem incideret: tamen, cum nulla negli

gentia ſit prætermiſſa, longe enim abſum, & audiui ſero, id facere decreui. Nunc itaque toto animi ſtudio tibi, gratulor, deque tanta dignitate, quam dignisſime es conſecutus, ſummopere lętor: quam tibi laudi, populo commiſſo ſaluti, & præpotenti Deo, qui te ad tale munus, quo nullum eſt in terris maius, uocauit, ſempiternæ gloriæ futuram exopto; atque fore omnino confido. Optime enim noui te eum eſſe, qualem huius ordinis hominem requirebat Paulus; non litigioſum, non uinolentum, non cupidum; ſed modeſtum, ſobrium, pudicum, prudentem, ad docendum idoneum, addam etiam, (nec enim me mentiri, aut adulari dicent ij, quibus honeſtisſimæ uitæ tuæ rationes ab ipſa uſque pueritia, ſunt

per-

perſpectę) irreprehenſibilem. Quare, qui te norunt omnes, uno conſenſu affirmant, fore, ut Eccleſiæ tibi creditæ, quam optime ſis præfuturus: idq;, ut contingat, Deum Opt. Max. ac beatam Virginem, cuius tu patrocinio quantum confidas, non ignoro, me perpetuo precaturum polliceor. Ad quod faciendum quæ me commouent, multa ſunt. Primum quidem ea piorum hominum Congregatio, in qua una tecum aliquãdo uerſatus ſum: quam, ut olim tuis ſermonibus, & honeſtæ uitæ exemplis fouiſti, nunc etiam auctoritate te aucturum confido; & ut faceres, ſummis precibus contenderem, ni te facturum omnino pro certo haberem. Deinde, Seminarium illud, in quo colendo ego multos annos

laboraui: quod sub tua cura atque diligentia eos fructus allaturum spero; quos ego semper desideraui. Denique, tota Perusina Ciuitas de me multum benemerita, cui ego omnem felicitatem uehementer expopto; quam immortali Deo, ob eam rem maximæ curæ esse existimo, quod, in ijs quæ ad religionem pertinent, tibi eam regendam dederit. Et quoniam, qui maiore quadam necessitudine, aut obseruantia coniuncti sunt cum illis, qui ad aliquem dignitatis gradum peruenerunt, non solum literas gratulatorias, sed etiam aliquod munusculum mittere consueuere; percommode mihi accidit, ut eo ipso tempore, quo te Episcopum creatum fuisse audiui, hic meus de restitutione Tractatus in

lucem publicam exire deberet; quem, ob meam in te obseruantiam, tuaque merita tibi dicare, & tanquam debitum restituere decreui. Ad quod faciendum ea etiã caussa sum commotus, quod in eo non solum quæ ad Theologiam pertinent, sed etiam quę in utroq; iure tractantur, ut sunt omnes iustitiæ partes, humani contractus, & obligationes, examinantur; ac proinde Iuris utriusque consultissimo, & in grauissimis caussis disceptandis, ac iudicandis diu multumque uersato, dicandus fuit. Aliquot nanque annos in illo illustri Auditorum Romanæ Rotæ Collegio, in quod a Sixto V. hominum acerrimo æstimatore lectus fuisti, magna cum tua laude ueratus es. Vt merito tandem Gregorius

XIIII. tua uirtute perſpecta, non humanis fauoribus adductus, ſed ſuo, aut potius diuino motu, te nihil tale cupientem, aut cogitantem tuæ patriæ Patritium & olim publicum Legum Magiſtrum, Paſtorem & Patrem creauerit. Accipe igitur, Reuerendiſ. Antiſtes, munuſculum ſane exiguum vna cum gratulatione celeriter ſcripta, urgebat enim Typographus, habiturus alias aliquid maius, ſi hoc, quale quale eſt, tibi non ingratum fuiſſe cognouero. Vale.

Venetijs, Idib. Nou. 1591.

INDEX RERVM NOTABILIVM.



ABIGEATVS quid sit. 13
Absolui an debeat, qui paulatim restituere uult, cum totum possit. 639
Absolui non debet pœnitens qui ante confessionem restituere potuit, & promisit, & non fecit. 638.& seq.
Declara & limita ut ibid.
Accepta in extrema necessitate an sint restituenda in casu melioris fortunæ. 569.cum seq.
Accepta res ab iniusto possessore cui sit restituenda. 522. 523
Acceptio non iusta quæ contineat. 168
Acceptionis nomine quæ considerentur. 167
Acceptum pro abstinentia ab aliquo peccato, potest retineri. 329
Declara, ut in seq.
Acceptum ultra pretium taxatum pro opere alicuius uirtutis, restituendum est. 329
Declara tamen, ut ibi, & seq.
Acceptum per metum leuem in restitutionem non cadit. 300
Acceptum per quemcumque timorem in foro conscientiæ si intercedat iniuria restituendum est. 300
Acceptum ex contractu a lege damnato ex quo actio & repetitio negatur, retinere non licet. 324
Acceptum ob aliquam iustam causam an sit restituẽdum & quando. 325.& seq.

Acceptum

Acceptum in extrema necessitate quod usu non consumitur, finita illa necessitate, restituendum est. 573
Accipere rem ab aliquo quot modis contingat. 516
Accipiens rem mala fide a fure tenetur etiam ad fructus 525. *limita, & declara, ut ibi.*
Quid autem si bona fide. 527
Accusator de occulto crimine iniuste quomodo peccet. 118
Accusator & delator criminis inter se differunt. 338
Accusator quæ peccata accusare possit, & teneatur, & quę non. 338
Accusatori quot requisita conueniant. 338. *cum seq.*
Acquisita ex ficta sanctitate & paupertate, an restitutioni subiaceant. 334
Acquisita iniuste ab his qui in iudicijs uersantur, an ueniant restituenda. 335. *cum seq.*
Acquisitio quibus dubitatur, an restitutio debeat fieri, quot modis fiat. 290
Acquisitum per testamentum uel contractum minus solemne, an sit obnoxium restitutioni. 290
Acquisitum per meretricium an & quando sit subiectum restitutioni. 308. *cum seq.*
Acquisitum ex iniusta ngociatione quando sit restituendum 349. *& seq.*
Acquisitum ex causa iniusta an & quando ueniat restituendum. 319. *cum seq.*
Actualis restitutio qua necessitate sit necessaria. 38
Actus iustitiæ pendet ex natura rei, & aliarum uirtutum & ex prudentia. 562
Actus elicitus qui dicatur, & qui debitus. 625
Actus aliquis necessarius ad bellum an possit exerceri in bello iniusto sine iniustitia. 453. *cum seq.*
Actus positiuus interior restituendi est statim necessarius ad liberandum a nouo peccato. 559
Adulator an consentire dicatur. 478
Adultera quomodo teneatur etiam sub uitæ periculo manifestare filium adulterinum, ne legitimi hæreditate priuentur. 618. 622. 627. & 628

Adulter

Adulter non tenetur credere filium suppositum esse suum. 630
Et quid si sit dubius. ibid.
Vel sint signa uehementia, quod filius suppositus sit suus. ibid.
Idem & de eo qui filium alienum supposuit. 631
Adulter & qui filios nothos mittunt ad hospitale, tenentur ad restitutionem expensarũ, nisi eos paupertas excuset. 631
Adulter ratione iustitiæ non est obligatus ad aliquam restitutionem. 621
Limita tamen, ut ibi.
Adultera uel quæ partum supposuit, potest absolui a peccato sine restitutione. 623
Adultera quid teneatur facere ne filius adulterinus succedat. 627. & seq.
Idem & in ea quæ filium supposuit. ibid.
Adultera & ea quæ filium supposuit, non tenetur crimen reuelare cum periculo uitæ. 629
Intellige tamen, ut ibi.
Adultera filium habens suppositum an testari possit. 633
Adultera non restituens non peccat contra præceptum negatiuum, non furaberis. 635
Idem de eo qui se defendit contra aggressorem. ibid.
Aduocatus ad quæ sit obligatus, & quæ in eo requirantur. 343. cum seq.
Aliena bona tantum possidens an & quando teneatur ad restitutionem. 615. & seq.
Alienum accipere in extrema necessitate cuique licet, ad subueniendum sibi, nisi ab alijs subministretur quod est sibi necessarium. 572
Amicorum bona quomodo debeant esse communia. 40
Animalia in uenatione publica capta, existente lege, an restitui debeant. 228
Animalia capta in loco munito, an restituenda sint. 229
Animalia loci alicuius particularis extra suum locum capta, an reddi debeant. 229

Animalia capta in loco alieno non septo, an sint reddenda? 229.230
Animalia in loco ad uenandum pecunia locato, capta, an debeant restitui. 238
Animalia in loco priuato existentia, quæ aliquis per artem ad locum publicum traduxerit, & ceperit, an is restituere debeat. 231
Animalium societas quot modis fieri dicatur. 371
Ars campsoria est de genere potius turpitudinis quã honestatis. 404
Artis instrumenta non veniunt in restitutionem. 616
Auctoritas ponendi tributa in quibus personarum generibus reperiatur. 203.204
Auctoritas quotuplex sit. 335
Auctoritas iuris aut iudicis an liberent a vinculo restitutionis, & quando. 592.& 593
Auxilio vti in fidelium contra fideles an & quando licitum sit. 438
Auxilium dantes alicui damno pro quota parte teneantur. 481

B

Bellare an liceat in die festo. 456
Belli inferendi potestas vt penes vnum sit, an possit aliqua lege sanciri. 437
Bellum iustum quando dicatur, vel non. 432.cum seq.
Et vt iustũ dicatur quot requirantur, vel conditiones. 435
Bellum quotuplex sit. 433
Bellum ex se malum non est. 433
Bellum Christianis licitum est suscipere, & de fide est. 433
Et contra Turcas. 434
Imo & punitiuum contra hæreticos. ibid.
Bellum punitiuum contra infideles non subiectos Christianis, suscipi non potest. 434

Bellum est de lege naturæ, sicuti commertium. 438
Bellum iustum an inferri possit pro causa dubia. 438
Et an ex vtraque parte possit esse iustum. ibid.
Bellum iniustum quot modis dici possit. 438
Bellum quibus ex causis suscipi possit. 440
Bellum ecclesiasticis viris an licitum sit parare. 441
Bellum iniustum gerere volenti non est restituenda pecunia. 536
Beneficia aut officia distribuens potest ad sui libitum conferre vel non modo alcui digno distribuat. 189
Beneficiati omnes, qui post sex menses ab accepto beneficio non recitant officium, tenentur ad restitutione; & eo priuantur, si præmissa admonitione non resipiscant. 431
Beneficium ex quibus causis statim amittatur. 430
Blanditijs factum, est de iure validum. 301
Idem si precibus sine minis. ibid.
Bona corporis quot sint. 46
Bona animi & corporis quomodo auferri possint. 47
Bona temporalia exponere pro salute spirituali alicuius, quando quis sub peccati pęna obligetur. 40
Bona animi quot sint. 46
Bona accepta vel empta ex vsuris remanent obligata restitutioni. 387
Bona vsuratica empta bona fide non subiacent restitutioni. 388
Secus tamen in contractibus lucratiuis, ibid. cum alijs declarationibus.
Bona inuenta quibus sint restituenda. 542
Et in quotuplici sint differentia. ibid.
Bona quæ carent vero domino censentur bona communia. 545
Imo iure diuino sunt pauperum. ibid.
Et persona publica debet ijsdem dispensare. 546
Bona inuenta non inuento domino, an sint pauperum vel inuentoris, & quando. 547. cum seq.
Bona quorum dominus ignoratur, quot modis considerentur. 548

Bona omnia in casu necessitatis sunt communia, sicuti de iure naturę. 565
Bonorum genera ex Aristotele quot sint. 46
Bonorum externorum quid instituendum sit. 170. 173
Bonorum ordines tres. 621

C

CAlumniator qui nam sit. 112
Cambia quæ nunc fiunt, maximas continet iniquitates. 417
Cambium quid ex quotuplex sit. 402.& 403
Et an & quando sit licitum vel ne: & quot in eo requiruntur. 403.cum seq.
Et est potius de genere turpitudinis quam honestatis. ibid.
Cambium minutum quotupliciter fieri possit. 405
Et quæ requirantur, vt sit licitum. 406
Cambium siue commutatio omnis debet fieri secundum iustitiam commutatiuam pro ratione loci & rei. 415
Cambium ratione materiæ quando licitum sit. 406
Et quando ratione formæ diminutæ, vel rasæ. 407
Vel minoris valoris in vno loco quàm alio ibid.& 411
Vel etiam ratione raræ pecuniæ, & antiquissimæ. 408
Cambium ratione loci quot modis fieri possit. 408.cũ seq.
Et de eo quod fit de loco ad locum per literas, quibus ex causis fieri soleat. 410.cum seq.
Campsor quando possit pro exequutione officij aliquid vltra sortem accipere. 405
Capta in bello iniusto cui sint restituenda. 541
Causa quid sit. 465
Et quid efficiens. 466
Et quot modis quis alicuius rei causa esse dicatur. 467. & 479.& 480.
Causa totius damni quibus modis plures esse possint. 480
Causa turpis si sit ab vtraque parte, ob eam datum repeti non potest. 307

Cau-

Causa finalis simulata reddit donationem nullam: secus in impulsiua, 289
Causa turpis quot modis dicatur, 303. *& seq.*
Cedens bonis tenetur restituere cum venerit ad pinguiorem fortunam, 588
Limita tamen, vt ibidem,
Census quid sit, 202
Census perpetuus vt iustus dicatur, quomodo statuendum pretium, 400
Et quid in censu ad vitam, & de alijs, ibid.
Census quid & quotuplex sit. 393
Et quando licitus vel illicitus dicatur, ibid. & 394. cum seq.
Et quot conditiones in eo requirantur, ibid. & 397. vbi plene,
Censuum vnus vtilis reipub. non est, & multa affert damna, 401
Cessio bonorum an liberet in conscientia creditorem a restitutione vbi quattuor referuntur opiniones. 585
Cessio bonorum dicitur remedium miserabile ad liberandum ab obligligatione. ibid.
Et quot modis fiat, 586
Et quos pariat effectus, 587
Cessio bonorum non fit in pœnis pecuniarijs quæ debentur publico, sed talis pena conuertitur in corporalem. 588
Circunstantia peccati quando necessario confitenda. 561
Ciuitatem militibus in predam dare post victoriam, an licitum sit. 448
Clerici beneficiati sunt obligati restituere bona, quæ post sufficientem sustentationem male dispensarunt. 431
Colombariorum vsus an sit damnandus. 233
Columbarum damna cui sint resarcienda. 234
Columbarum occisores, an restituere teneantur. 234
Columbę ab alieno columbario ad proprium per artem traduta, an restitui debeant. 234
Commercium de iure est naturali. 438
Commodatarius & conductor non tenentur ad restitutionem

nem rei perempte sine eorum culpa. 513
Declara vt ibi. &c. 514
Compensatio an & quando debitorem liberet a restitutione. 595
Compensatio in omnibus debitis habet locum, preterquàm in deposito. 596
Item in delictis. ibid.
Et qua requirantur vt locum habeat. ibid.
Et quid si debitum sit reale ex vna parte, & ex altera ex promissione cum iuramento. ibid.
Compositiones facta cum pralatis an liberent ab obligatione restituendi. 602. cum seq.
Concurrentes ad damnum inferendum an & quando restituere teneantur. 471. *cum seq. & pro quota parte.* 481
Conditione vel causa deficiente, an sit restituendum, quod acceptum est sub ea. 280. & 286
Conditiones ad famam restituendam, qua sint. 106. 107
Conditiones pro non adiectis habita in donatione, qua sint. 285
Confessarij quomodo monẽdi circa restitutione faciendam secundum leges humanas. 650
Confessarius quid agere debeat, si fur nolit rem restituere nisi ibi, ubi furatus est. 555
Confessarius quomodo se gerere debeat erga eum, qui in articulo mortis restituturus est. 638
Confessor an teneatur penitentem absoluere qui nolit statim restituere cum possit. 636. & 638
Consentiens damno quando restituere teneatur. 477
Consensus quot modis consideretur. 477
Consilium dantes quando restituere teneantur. 411. *cum seq. vsque ad.* 476
Constitutio Pij V. in materia census quot conditiones requirat. 398
Consuetudo vel lex in inquisitione domini facienda, est seruanda. 543
Vnde reprobatur quadam Gallorum cõsuetudo circa bona per naufragium amissa. ibid.

Contractus minus solemnis etiam in foro conscientiæ est ipso iure nullus: & idem in testamentis. 292

Contractus omnis factus per metum extrinsecum cadentem in constantem virum lege naturali est obligatorius. 299

Contractus factus a minore etiã in cõscientia nõ ualet. 292

Contractus minus solemnis in causis pÿs valet etiam in foro externo. 294

Contractus factus per vim nullus est in quouis foro & lege communi. 391

Contractus quoad restitutionem quomodo diuidatur. 508

Contractus in quo non transfertur dominium triplex. ibidem.

Contractus mutui, commodati, locati, & precarij quomodo conueniant & differant inter se. 599

Item pignoris, & depositi. ibid.

Contumeliæ & iniuriæ, etiam uerberibus factæ, per uerba satisfieri potest. 155

Conuentus plurium sub uno capite omnes sunt conditionaliter obligati. 481

Corrigere maiorem minor publice non tenetur, nisi de fide tractetur. 490

Creditor damnatus a iudice restituere rem acceptam a debitore, ipsi debitori, an & quando teneatur illi sententiæ stare. 461

Creditori re sua abuti volenti contra caritatem, non est restitutio facienda. 537. & 538

Declara tamen & limita, ut ibi.

Creditoris remissio an liberet debitorem a restitutione, ubi quattuor recensentur opiniones. 580

Crimen a reo quot modis negari possit. 118

Crimina, quæ in humanum iuditium adduci possint. 116. 117

Culpa simplex quid sit & quot modis dicatur. 498

Et quomodo diuidatur. 499. & 500

Culpa lata, leuis, & leuissima quid. 500

Item latior & latissima. 501

b Culpa

Culpa obligans ad restitutionem qualis sit.502. cum seq. per totum,cum suis declarationibus.
Culpa leuis & leuissima ex se non obligant ad restitutionem. 504
Custodes alicuius loci quibus casibus cum cadentibus, pascentibus,uenantibus & alijs sine peccato dissimulare possint. 237.238
Custodes, cum uenatoribus & cesoribus dissimulantes, ut eos accusent,quomodo peccent. 239
Custos alicuius loci, quando pro damno restituere teneatur. 238.239

D

Damna quæ sequuntur ex usu censuum,quæ sint. 401
Damna minuta pluribus inferens an,et quando ad restitutionem teneatur. 483
Damna,quæ in uenatione sequuntur in alieno fundo, contra uoluntatem domini,an sint resarcienda. 230
Damna pro stupro commissa quomodo resarciantur. 163
Damni illati causa quis esse dicatur. 464
Damni remissio facta uni an alijs prodesse possit. 484
Damnum emergens quod sit. 168
Damnum quod potest in negociatione contingere quotuplex sit. 367
Et quomodo in societate sit considerandum. ibid.
Damnum inferentes negatiue non semper tenentur. 491
*Damnum inferens per sua animalia etiam sine culpa tenetur ad resarciendum totum damnum.ex communi.*505
Limita in animali feroci quod euasit de manu domini sine sua culpa. 506
Damnum illatum per seruum qua actione sit restituendum. 506
Damnum quod quis patitur in rebus suis, an liberet a restitutione,uel saltem differat.606. & distingue, ut 608. & 609.
Et quotupliciter consideretur. ibid.

Et

Et quantum debeat esse. 633
Damnum dans per se sine ulla culpa ad nullam restitutionem tenetur. 503
Declara tamen ut ibi. & 504. cum seq.
Datum ob causam ex utraque parte turpem repeti non potest. 307
Dęmones quibus rationibus retrahant homines a restitutione. 641
Debita pęnalia postponenda sunt non pęnalibus. 648
Debita, quæ ingrediuntur compensationem, quas conditiones habere debeant. 596
Debita certa incertis præferenda. 645. & 647
Et quæ sint. ibid.
Limita tamen & declara, ut ibid.
Et quid si plura sint certa, quis ordo seruandus. ibid.
Debitor si non potest commode rem suo domino soluere uel restituere, quid agendum sit, & quo in loco facienda sit solutio. 551. & 553. cum seq.
Debitor restituens domino, quando peccare dicatur. 533 & seq.
Debitor rem non restituens domino quando nouum peccatum committat. 559. & 560
Debitor an liberetur a restitutione si creditor sit excommunicatus. 598. & 599
Debitor non est obligatus ad restitutionem statim faciendam cum detrimento uel animæ uel corporis, uel etiam famę. 610
Limita & declara, ut ibi. & 1. seq.
Debitor bonę fidei non tenetur cum mutatione sui status restituere, etiam si creditor ex dilatione cogatur statum mutare. 612. & 615
Sed bene tenetur constringere se in suo statu, & amputare superfluum. ibid & 615
Limita & declara, ut ibid.
Debitor ut liberetur a restitutionis obligatione, non est necesse, ut habeat uoluntatem restituendi. 582
Debitor non est obligatus ad se uendendum, ut statim restituat.

stituat. 613
Et quid si cogeretur laborare uel seruire, uel mendicare. ibid.
Debitor restituens creditori sui creditoris an liberetur à restitutione. ubi tres recitantur opin. 594
Declara tamen ut ibid.
Debitor in casu necessitatis cui magis succurrere debeat creditori, an eius parentibus. 567
Debitum ex rapina debet praeferri ei quod est ex furto. 649
Debitum ex contractu usurario postponendum est ei, quod est ex contractu licito, etiam si tempore praecesserit. 649
Limita & declara, ut ibi.
Debitum quotuplex sit. 644
Debitum antiquius est soluendum si plura sit diuersa numero caeteris paribus. 648
Deceptio in pretio seu uenditione quando sit permissa. 353
Denuntiatio quid & quotuplex. 338
Depositarius grauiter pecat, si utatur re deposita contra uoluntatem domini. 512
Limita & declara, ut ibi.
Depositum quibus casibus non sit restituendum domino petenti. 534. & seq.
Diffamando quot modis aliquis peccare possit. 130
Digniori beneficium non conferens ad restitutionem tenetur. 189
Dilectio quod nam debitum sit. 37
Dispensatio prelati super bonis temporalibus ut ualeat, quid seruandum. 605
Dispensator malus quis. 189
Dispositio c. quamquàm de usur. in 6. ad qua extendatur. 389
Dissuadere ne quis intret religione, aut ab ea egreditur, quando sit peccatum: & an & quomodo teneatur ad restitutionem. 64. 65. 66. 67. 71. 72
Distributio beneficiorum, & officiorum ad iustitiam pertinet distributiuam. 188
Diuites tenentur ea quae sibi sunt superflua donare pauperibus

ribus in extrema necessitate constitutis. 578
Dominium quibus modis transferatur aut acquiratur. 12
Dominium ex Soto, & Ledesma quid sit. 8
Dominium ex Bartolo, & Mynsingero quid sit. 9
Dominum quotuplex sit. ibid.
Dominium creatum quid sit. ibid.
Dominium naturale quid est. ibid.
Dominium humanum, seu ciuile & politicum quid sit. ibid.
Dominium increatum quod sit. ibid.
Dominium ecclesiasticum quod sit. ibid.
Dominium profanum quod sit. ibid.
Dominium commune quod sit. ibid.
Dominium priuatum quod sit. 10
Dominium perfectum quod sit. ibid.
Dominium imperfectum quod sit. ibid.
Dominium directum quod sit. 10
Dominium utile quod sit. 10
Dominium primum in quo reperiatur. 10
Dominium rerum, quæ usu non consumuntur, non transfertur per usurarum solutionem ex communi. 387
Dominium bonorum quorum dominus ignoratus, modò alias dominiū habuerint non transit in rempublicā. 549
Dominium quot modis transfertur. 528
Domino re suā abuti uolenti contra caritatem non est restituenda pecunia. 537
Declara & limita ut ibi.
Dominus ignotus quando censeatur. 540
Dominus quando est mortuus uel ignotus, cui sit restitutio facienda. 539
Dolus quid sit, & quotuplex. 499. & seq.
Donatio facta ob causam impulsiuam ualet, etiam ipsa causa non sequuta. 287. & 289
Secus tamen si sit finalis, ut ibi.
Donatio modalis quotupliciter fieri contingat. 285
Donatio facta sine consensu alterius partis acceptantis nulla est. 284

Idem si sit facta cum conditione quæ postea defecit. 285
Donatio Ecclesiæ facta sub conditione honesta, etiam ipsa deficiente, ualet. 281
Et quid proprie ea sit, & quotuplex, & unde originem habuit. 182
Duana quid sit. 203
Dubitans habere aliquid alieni an & quando teneatur ad restitutionem. 639

E

ECclesiasticæ personæ quando teneantur ad restitutionem, & quomodo et quibus ab ea sit facienda. 428. cum seq. per totum.
Ecclesiasticæ personæ dilapidatori quo casu sit restitutio facienda. 536
Ecclesiasticis uiris, an liceat indicere et parare bellum. 441. cum seq.
Emens rem a non domino quando eam teneatur uero domino restituere una cum fructibus. 529. & seq.
Emens ab eo qui ignorat rei pretium, tenetur iustum pretium manifestare. 357
Emere rem uilius anticipata solutione quando liceat. 356
Emere rem minus quàm ualeat, licitum est in contractu de retrouendendo, iusto pretio seruato. 354
Excommunicatio lata aduersus detinentes bona alicuius, an liget creditorem qui ea accepit à debitore. 462
Excommunicatus tempore excommunicationes fructus beneficij percipere non potest. 430
Expensæ quot sint. 169

F

FAlsum testimonium dicens debet illud etiam cum uitæ periculo retractare. 619
Et intellige, ut. 634. & 635
Idem de giudice. ibid.

Fama

Fama quid sit. 100.101
Fama in quo consistat. 101
Fama quomodo non sit restituenda. 135
Fama quo periculo aliquando sit restituenda. 135.136.137
Fama qua ratione defendi possit. 152
Fama an sit felicitatis pars. 146
Fama quibus modis auferatur. 110
Fama quomodo sit restituenda in illis modis, quibus auferri potest. 110.111.112.113
Fama felicitatem consequitur. 146
Fama & honor quot modis capiantur. 617
Fama negligenda est potius & uita, quam ueritas relinquatur. 619
Famam resarcire uindictam sumendo, est grauissimus error. 151
Famam alterius lędendo sua non recuperatur. 151
Famam publicam qui amisit, quot modis se habere possit. 129
Famę restitutio a relatore alterius criminis ab alio auditi, quomodo sit restituenda. 127
Famę auferendę caussa legitima, in quibus consistat. 108
Famę restituendę necessitas quando cogat. 109
Famę restitutio ad quid etiam necessitet. 109
Famę restitutio condonari potest. 141
Famę restitutionem condonare aliquando quod peccatum sit. 141.142.145
Famę restitutione condonata, is, qui infamauit, solutus est ab omni restitutione. 145
Famę nimiam curam habere non licet. 146
Famę restitutio quando non sit necessaria. 114
Famę restituendę obliuioni quomodo satisfiat. 152
Famę restitutio necessaria ad salutem. 105
Famę restitutionem condonare & se infamare, quando liceat. 143.144.146
Famę restitutio qua ratione aliquando fieri possit. 137.138

Famæ restitutio non transit ad hæredes. 138.139
Famæ per famam compensatio, quot modis contingat. 148
Famæ mutua compensatio an, & quomodo fieri possit. 148. 149
Famæ restitutio an & quomodo per pecuniam fieri possit. 149
Famæ restitutione condonata, an damna ob illam infamiã sint remissa 150
Felicitas in quo sit posita. 146
Feræ, quæ in alienis laqueis capiuntur, an reddendæ sint. 231
Feudatarius quando possit fructus percipere non computã do eos in sortem. 384
Filia dotem acceptam ex bonis patris usurarij, tenetur restituere. 391
Filium alienum supponens quomodo teneatur crimẽ suum manifestare etiam cum uita periculo. 622
Filius spurius uel suppositus non tenetur credere matri, dicenti ipsum non esse legitimum uel uerum filium. 631
Limita tamen & declara, ut 1.632.
Filius natus ex muliere soluta, quæ habuit rem cum duobus, cuius esse dicatur. 622
Fructus omnes rei iniuste acceptæ a fure petere in externo foro non licet. 172
Fructus ex furto percepti quot sint. 168
Fructus rei acceptæ qui sint restituendi. 171
Fructus percepti ex re dubia fide possessa, an ueniant restituendi. 530
Frumentum uetus si sit. mutuatum, ut recipiatur nouum, quando dicatur usura committi. 385
Fur qua ratione possit fieri iustus. 38
Fur nocturnus impune occidi potest. 13
Furari an quis possit pecuniam amissam per ludum, & ob uerecundiam non repetitam. 279
Furem recipiens an & quando teneatur. 418
Fures quomodo damnati. 36.37
Furti nomine, quæ spectentur. 168

Furtum

Furtum quid sit. 13
Et quotuplex. ibid.
Furtum speciale, quod sit. ibid.
Furtum similitudinarium, quod sit. ibid.
Furtum quando sit peccatum mortale. 14

G

Gener & Nurus detinentes uel recipientes ex bonis socerorum quod eis debetur, peccant. 651
Gener sine obligatione ad restituendum, potest fructus predij percipere, dati in pignus ratione dotis non solutę. 383
Gloria ex August. Ambros. M. Tullio. Arist. & alijs quid sit. 99

H

Haeredes usurarij tenentur restituere id quod defunctus restituere debebat ex communi. 389
Et tenentur pro hareditaria portione. ibid.
Haredum differentia quę. 539
Hares ex testamento minus solemni non tenetur restituere hareditatem donec ab ipso in foro exteriori repetatur. 294
Hares ab intestato repetens hareditatem ex testamento minus solemni relictam, restituere tenetur. 291
Contrarium tamen uide. 294
Homicida quando, quomodo, & quibus ad restitutionem teneatur. 93.94
Homicida an teneatur soluere expensas pro funere factas. 95
Homicida an ex iustitia teneatur se se offerre iudici, aut ad bellum proficisci, ut pro homicidio satisfaciat. 95
Homicida pro aliqua illata iniuria, an debeat hęredibus satisfacere. ibid.
Homicida pro illata aliqua iniuria, an debeat restituere, 83

Homicida si pro homicidio mortem patiatur, an damna resarcire debeat. 98
Homo habet uerum dominium sua fama. 140
Homo habet dominium omnium rerum, qua in hoc uniuerso continentur. 11
Homo non est dominus uita, neq; membrorum corporis. 11
Homo est custos sua uita, & corporis, & usus ipsius. 11
Homo habet uerum dominium suarum operationum. 11
Homo habet uerum sua fama dominium. 11
Homo habet uerum dominium bonorum spiritualium, qua ab ipso acquiruntur. 11
Homo unus lege natura potest habere aliquod dominium alterius hominis. 11
Honor non reparatur per uindictam. 154
Honor ex Arist. quid sit. 100
Honor in quo consistat. 100
Honor laus, gloria, & fama in quo conueniant. 102
Honor laus, gloria & fama, nullo modo sunt negligenda. 102.103
Honor a laude & gloria quid differat. 100
Honore restituto, an offensus possit curare ut reus iudicis sententia puniatur. 90
Honoris restitutio, deposito odio, utrum peti possit. 89
Honoris restitutio quomodo fieri debeat. 87.89.91
Honoris descriptio qua. 100
Honoris restitutio est de necessitate salutis. 154
Honoris restitutio quibus modis fieri conueniat. 155.156
Honoris restitutio per uenia petitionem quando fieri non liceat. 155.156
Honoris restitutio an pecunia fieri possit. 157
Honoris restitutio an condonari possit. 157
Honoris restitutio cui sit facienda. 157
Honoris restitutio a quibus fieri debeat. 157
Honoris actiua restitutio non transit ad haredes detractoris. 158
Humana uita an sit infinitum bonum. 84

I

Ignorantia quotuplex. 451
Ignorantia inuincibilis liberat debitorem ab obligatione restitutionis. 600
Ignotus aliquis quando dicatur. 540
Impediens indignum ne beneficium aut officium consequatur non est obligatus ad aliquid restituendum. 188. 191. & 192.
Limita tamen, ut ibi.
Imperator uel Dux gerens iustum bellum an teneatur acceptare pacta, quæ ab hoste offeruntur. 446
Induci ad peccatum quot modis aliquis possit. 53
Industria & labores qualiter sint in societate æstimanda. 368
Infamare eum, qui infamiam publicam contraxit, quod peccatum sit, & quando sit peccatum. 130. 131. 132
Infamare ad propriam famam tuendam, an, quo modo, & quando liceat. 150. 151
Infamanti licet non respondere. 144
Infamiam publicam quot modis aliquis contrahere potest. 129
Iniustia unde nascatur. 581
Innocentes occidere an licitum sit in bello iustè suscepto. 441
Inquisitio sufficiens quando dicatur. 540
Interitus rei an a restitutione liberet. 601
Ioci ex uerbis scripturæ sunt omnino damnandi. 243
Iudex quando peccet mortaliter iudicando. 336
Item non tenetur iudicare ex ueritate sed secundum allegata & probata, licet sciat ut priuatus homo aliquod esse falsum. ibid.
Et debet formam iuris seruare. ibid.
Fallit tamen, ut 1. 337
Iudex quot habere debeat requisita. 335. usque ad 338
Iudex quem ordinem seruare debeat in restitutione facienda,

da, & quem persona priuata. 651
Iudicis uexationem an liceat precio redimere, uel ne. 333
Ius illud magis seruandum ad quod natura magis inclinat. 566
Ius ciuile potest facere contractum nullum etiam in foro conscientiæ. 292
Iustitia unde dicta. 1
Iustitia quid efficiat. 3
Iustitia, in quot partes diuidatur. 4
Iustitia duplex in collatione beneficij consideratur. 189
Iustitia in beneficijs distribuendis lis attendatur. 190
Et quid in officijs. ibid.
Vbi distributiuam (inquit) attendendam. 191

L

LEgatarius quando non possit recipere fructus legati sibi non soluti. 384
Legatum puellæ relictum ut possit nubere, an debeatur si ipsa moriatur ante quam nubat. 286
Leges quę uenationem in foro exteriori prohibent ad penam soluendam, quando obligent. 231
Leges quomodo obligent. 206
Leges humanæ an ligent etiam in foro conscientiæ. 283
Legum genera quot sint. 206
Læsio in quibus bonis sit grauius peccatum. 52.53
Lex prohibens, ne animalia certo tempore capiantur, an obliget ad restitutionem. 230
Liberatio a culpa peccati differt a liberatione ab obligatione restituendi. 582
Liberatio ab obligatione restituendi quot modis fieri possit. 564. cum seq. 580. 585. 588. 593. 602. & 606
Liberatio ex lege uel iudice prouenięns non semper liberat conscientiam. 592
Libertatis amissio an liberet a restitutione. 601
Lignorum cæsio, & pascua an prohiberi possint. 239
Lignorum cæsiones, & pascua quando sint illicita, & quando

do ad restitutionem obligent. 236
Locans, mutans, & commodans non poscunt repetere rem ante tempus praescriptum. 510
Limita & declara, ut ibi.
Lot factum de oblatione filiarum qualiter intelligatur. 496
Lucrans per ludum an & quando ad restitutionem teneatur. 277
Lucrum quid sit. 360
Lucrum quod fit in societate, qualiter diuidatur. 368
Lucrum cessans quomodo intelligatur restitutionem differre. 609
Lucrum cessans quod dicatur. 168
Ludens sub credito an teneatur soluere id, quod perdit in ludo. 273
Ludi, qui sint honeste recipiendi. 243
Ludus non malus, quando sit peccatum. 244
Ludus honestus potest habere aliquos sumptus. 244
Ludus licitus, quibus casibus possit fieri illicitus. 245. 246
Ludus quas significationes habeat. 240.241
Ludus, & iocus in quo differant. 240
Ludus quotuplex sit. 241.242
Ludus spiritualis, quid sit. 241
Ludus humanus quid sit. 241
Ludus diabolicus quis sit. 241
Ludus quid sit. 242
Ludus honestus & laudabilis quis sit. 243
Ludus diabolicus siue turpis quod peccatum sit. 243

M

M*Andans aut consulẽs homicidium fieri, & antequã fiat, consulens contrarium, an teneatur restituere, uel incidat in censuram, si mandatarius non obediuit.* 474. & 475. *cum seq.*

Malum

Malum minus an aliquando suadere liceat, ut maius eui tetur. 492. *& seq.* & 494. *per totum cũ aliquibus declarationibus.* 496. *& seq.*

Malum maius facere uolens dupliciter se potest habere. 493

Idem e conuerso in eo qui uult retrahere. 494

Malum minus proponere licet ei qui est paratus facere maius; cum aliquibus exemplis. 494

Malum magnum de quo dicatur. 297

Maritus impotens ad generandum, & sciens vxorem suam filium genuisse, ad quid teneatur. 633

Matrimoniũ cõtractum sine solemnitatibus à Conc. Trid. requisitis, nullum est. 293

Matrimonium contractum sub conditione turpi vel impossibili validum est. 281

Menti humanæ ex Arist. quæ insint.

Mercator petens sub vsuris pecunias, ut magis lucretur, an & quando peccare dicatur. 392

Meretrix non est domina corporis sui. 310

Meretrix an & quando possit petere & retinere pretium ob usum, corporis sui. 310

Meretrix in foro exteriori non tenetur restituere acceptum pretium pro turpi actu: imo de iure ciuili illud petere potest. 311

Limita tamen & declara, ut 1.312. *& seq.*

Et quid in maritata, & uirgine, & moniali. 316

Et quid etiam in maribus. 317

Amplia etiam in alio quocunque actu turpi, prout distinguitur contra honestatem, non autem contra iustitiam, ibid. & 1.319.

Metus quid & quotuplex: item vis. 296. *& seq.*

Et iudicis arbitrio pendet. 298

Et qualiter considerandus. ibid.

Metus cadens in constantem uirum tollit omnem culpã ob transgressionem legis humanæ: secus si diuinæ. 301

Milites omnes an occidi possit parta uictoria, qui contra pugnarunt. 447

Milites

Milites pugnando an & quando mortaliter peccent, & restituere teneantur, causa belli existente dubia. 449. & 450.
Et quid si pugnent cum ignorantia iniustitiæ belli. 451
Et quid si sine licentia. 452
Ministri omnes suis non fungentes muneribus, ad restitutionem tenentur. 432
Ministri quot sint quibus beneficia conferri possunt. 190
Moderatio inculpatæ tutelæ quan..o dicatur. 444
Mons pietatis quid sit. 375
Et quot modis fiat. ibid.
Et de eorum differentijs. 376
Item de eius iustitia uel iniustitia. 377
Montes Reip. quot fiant modis. 379
Et quando dicantur liciti, vel illiciti. 380
Montes pietatis qua de causa instituti sint. 375
Montium differentiæ quot sint. 379
Mutatio status cur suspendat restitutionem. 612
Mutuans hostibus iniuste rem occupantibus, non tenetur restituere. 384
Mutuans pro reficienda re omnibus alijs creditoribus præfertur. 650
Mutuans coacte uel rogatus, quibus conditionibus pacisci possit de lucro cessante. 382
Limita tamen & declara, ut ibi.
Mutuans quando dicatur committere usuram uel non. 381. usque ad 386
Mutuatio cum sorte mista quando licita sit. 384

N

NEcessarium aliquid ad salutem, quot & quibus modis dicatur. 33
Necessitas extrema aufert omne ius gentium & ciuile, & redigit ad ius naturale. 566
Necessitas extrema restituendi an tollat obligationem. 564. cum seq.

Declara, ut 1.573.& seq.
Necessitas extrema an obliget saltem ad restitutionem in casu melioris fortunæ. 569.cum seq.
Necessitas extrema quotuplex. 571
Negotiatio quid & quotuplex sit. 359
Et quando licita uel illicita. ibid.& 1.seq.
Negotiatio ex se non est nec bona, nec mala. ibid.
Negotiatio in repub.est omnino necessaria. 360
Negotiatio ex quibus illicita fiat. 360.cum seq.per totum.
Negotiationis ratione licet carius uendere merces quam empta fuerint. 360
Nobilis persona, quæ nunquam seruiuit, non est obligata ad seruitutem, ut possit restituere. 613
Notarius ad quæ sit obligatus, & quæ in eo requirantur. 345.cum seq.

O

Obligatio onerosa præferenda est obligationi liberę uel lucratiua etiam prius facta. 648
Obligatio ad restituendum unde nascatur. 585
Obligatus ad restitutionem quãdo, quis esse dicatur. 42.45
Obligatus an quis sit restituere uel nõ ex quibus cognosca tur. 457.cum seq.
Occidere aliquem quot modis contingat. 441
Odium non est retinendum, sed statim dimittendum. 88
Officia præstita creditori an liberent a restitutione. 601
Onus adiectum in emptione & venditione quando dicatur sapere vsuram. 357
Opera bona quotuplicia sint. 325.& 327
Opera quæ præstatur a socio qualiter æstimetur, & quot in eius æstimatione requirantur. 367
Et qualiter etiam industria. 368
Ordo restitutione qualis. 643.& 646
Et declara vt ibi.
Et qualis de iure communi. 650

Et

Et qualis a iudice & qualis a priuata persona seruare debeat. 651
Ordinem in restituendo non seruans mortaliter peccat. 651
Ordines qui in humana societate obseruantur, qui sint. 5

P

PActa quę fiunt in bello ī quotuplici sint differētia. 446
Participans non dicitur qui laudat aut approbat. 472
Participantes in damno an & quando & quomodo teneātur restituere. 463. cū seq. & 479. cū seq. & 482. & seq.
Participare cum aliquo, quot dicatur modis. 464. & 466. & 467. & 479. cum seq.
Pauperes succedentes in locum domini ignoti, quo iure succedant. 545. & 549
Peccata quæ denuntiantur in quotuplici sint differentia. 338
Peccatum nouum quando committatur cum restitutio non fit. 558. & seq.
Peccatum non potest pretio æstimari. 310
Peculatus, qui sit. 13
Pecunia non æstimabile quid dicatur. 381
Pecunias sub usuris petens uel recipiens quando mortaliter peccare dicatur. 391. & 392
Pedagium seu guidagium quid sit. 203
Pęna pro defraudato tributo quando sit soluenda. 207
Pęnitens an teneatur obedire confessori præcipiente ut statim fiat restitutio. 639
Pęnitens quibus rationibus à Deo excitetur ad restitutionem. 642
Pęnitentia quid sit. 29
Pœnitentiæ actus ad quem habitum iustitiæ reducatur. 29
Pœnitentia qualiter iniungenda mulieri adulteræ uel quæ partum supposuit. 623
Pensionem antecipatam accipientes iniuste faciunt. 396
Periculum de pretio amittendo uel de expensis faciendis pro eo exigendo, facit ut emptor pacisci possit de maiore pretio soluendo. 356

Periculum uitæ & famæ amittendæ an restituendi tollat obligationem. 618.& seq.& 622.& 623
Personæ, quæ possunt uiuere ex bonis usurarij quæ sint. 391
Persona ecclesiastica dilapidatori quando sit restitutio facienda. 536
Plagiatus, qui sit. 13
Pontifex habet potestatem indirectam in bonis temporalibus. 603
Imo habet etiam facultatem componendi & dispensandi in bonis incertis. 604
Pontifex potest transferre legata ad pias causas alicui certæ personæ uel loco applicata, ad aliquam aliam piam causam. 605
Possessio est de ratione præscriptionis. 589
Possessor iniustæ rei quas expensas repetere & retinere possit. 172
Possessor malæ fidei nullo tempore præscribit. 591
Possidens res alienas quot modis possidere dicatur. 615
Præcepta decalogi in quot partes diuidantur. 42
Præceptum non furaberis quod nam præceptum sit. 44.45
Præceptum de restitutione ad quod decalogi præceptum reducatur. 44
Præceptum Decalogi, non furaberis, quomodo sit intelligendum. 42.43
Præceptum de restitutione facienda quot necessariò requirat. 561
Præceptum de restitutione facienda quando obliget debitorem. 557.cum seq.
Prædandi necessitas ex quibus oriatur causis. 448
Præscriptio rei alienæ, et iudicis auctoritas an liberent à restitutione. 588.& 592
Præscriptio quid, & de alijs ad eam pertinentibus. 588
Præscriptio contra quos non possit currere. 589
Præscriptio legitima quæ sit. 591
Pretium pro malo opere acceptum, restituendum est. 304
Pretium acceptum ob peccatum cum alterius iniuria, iure naturæ non est restituendum. 321

Pretium quotuplex sit.349.& ex quibus uarietur. 350
*Pretium à lege humana taxatum etiam Clerici seruare debent.*358
Pretium iustum quale dicatur. 356
Pretium rei uendita, si res pereat ante quam emptori tradatur, an sit restituendum. 364
Princeps Christianus a possit auxilium petere a Principe infideli ad bellum gerendum contra Principem fidelem. 438
Princeps an & quando possit cum aduersario pacisci, ut non teneatur restituere damna suis subditis iniuste illata. 449
Prior in debiti exactione, licet posterior iuste retinet. 651
Probatio ab accusatore adhibenda, quotuplex sit. 117
Procurator ad quæ sit obligatus, & quæ in eo requirantur. 347

R

Relator alterius criminis ab alio auditi quando, & quo modo peccet. 124.125.126
Relator alterius criminis ab alio auditi se abstinere debet 127
Religio in persona religiosi quod ius habeat. 70
Religionis ingressus an libere a debiti solutione. 596.
Remissio creditoris an sit idonea uel ne, quid requiratur 583
Remissio damni facta uni, an alijs prosit. 484
Repetere rem suam quot modis quis possit. 533
Repeti res locata, mutuata, & commodata non potest ante tempus præscriptum. 510
Res aliqua quot modis accipi possit. 20
Res accepta quot modis considerari possit. 176
Res uenditioni subiecta in quotuplici sint differentia. 350
Restituendi obligatio unde oriatur. 47.48.49
Restituendi obligatio unde oriatur. 186
Restituere, quid significet. 19
Restituere, quid sit. 19
Restituere an sit obligatus, qui rem accepit. 456.cum seq.

Restituere quando sint obligati, qui causam damni dederunt. 468.& seq.per totum.
Restituere an teneatur & quando, qui pluribus damna minuta infert. 483
Restituere nemo tenetur cũ uitæ ꝑiculo bona externa. 623
Restituere domino quod eius est, quando nõ teneatur. 625
Restituere quando aliquis teneatur ratione culpæ. 498. & seq.
Restitutio quot modis sumatur. 19
Restitutio quid sit. 20
Restitutio quid includat. 47
Restitutio sub quo contineatur genere. 28.30
Restitutio a quo habitu iustitiæ eliciatur. 29
Restitutio quando sit satisfactio. 21.22.& 23
Restitutio cuius rei proprie dicatur. 34
Restitutio quod præceptum sit. 34
Restitutio est necessaria ad salutem. 35.37
Restitutio non producitur a pœnitentia. 30
Restitutio in bonis spiritualibus quando sit necessaria. 58. 59.60
Restitutio pro membro mutilato, an, quid, quomodo & cui sit facienda. 76.77 78.79
Restitutio pro occisione quando, quomodo, & cui fieri debeat. 81.82.83.86.87
Restitutio an reipublicæ uel iudici pro illato damno debeatur. 83
Restitutio post mortẽ homicidæ, quę transeat ad hęredes. 96
Restitutio pro homicidio quibus sit facienda. 96
Restitutio damni quibus sit facienda. 97
Restitutio, beneficij consecutione impedita, cui sit facienda. 194
Restitutio, ab eo qui distribuit beneficia, quibus casibus sit facienda. 194
Restitutio, pro officio uel præmio seculari, cui sit facienda. 195
Restitutio, boni consecutione impedita, quando, & quibus fieri debeat. 196

Restitutio pro uero crimine in iudicio negato ratione pœnæ & damni, an, & quando sit facienda. 198.199.200
Restitutio ab eo qui iniuste a iudice absoluitur, an sit facienda. 201
Restitutio in bonis qua habentur in spe, an sit facienda, & quomodo. 184.*cum seq.*
Restitutio in re quando sit facienda, & quando in eius estimatione. 177
Restitutio ratione simoniæ quomodo faciẽda. 418.*cum seq.*
Restitutio iniuste in bello captorum quando, & quomodo, & quibus sit facienda. 442.*cum seq. per totum.*
Restitutio à participantibus quomodo sit facienda. 479. *cum seq.*
Restitutio quando & quomodo & quibus facienda a personis ecclesiasticis. 428.*cum seq. per totum.*
Restitutio quomodo facienda ab usurario & a participantibus in usura. 387
Restitutio quando sit facienda ratione societatis iniustę. 366
Restitutio eius, quod est acceptum per contractum minus solemnem, an sit facienda. 290
Restitutio quibus ministris facienda, & quomodo. 190
Restitutio an sit facienda, quod acceptum est per metum. 295
Restitutio cui sit facienda si a pluribus minutatim & incertis personis sit aliquid subreptum. 543.*& seq.*
Restitutio facienda an sit publica authoritate, an per se sufficiat. 544
Restitutio pauperibus facienda, potest quibuscũq; fieri. 544
Restitutio facienda pauperibus in locum domini ignoti, quo iure fiat. 545.*&* 549
Restitutio quomodo sit facienda ab eo, qui rem iusto nomine accepit. 508
Restitutio an sit facienda ei, a quo res est accepta, uel nõ, & quando. 515.*&* 517.*per totum.*
Restitutio acquisitorum ex iniusta mutuatione quomodo fiat. 381

Restitutio accepti ob turpem causam quot modis fieri contingat. 302.cum seq.
Restitutio quibus rationibus arte demonũ differatur. 641
Restitutio quibus personis sit facienda. 517.cum seq.
Restitutio rei a fure uel iniusto possessore accepta, an sit facienda uero domino, uel ne. 520.521.& seq.
Restitutio quę fit per nuntium an & quando liberet debitorem. 556
Restitutio quo tempore sit facienda. 557.cum seq.
Restitutio quando differtur cum uoluntate creditoris, potest debitor absolui. 637
Idem si aliqua alia ratio subesset. ibid.
Restitutio non est statim facienda sicut nec satisfactio. 636
Restitutio non est domino facienda qui re sua abusi velit. 531.cum seq.
Restitutio ratione cambij iniusti quomodo facienda. 402
Restitutio an sit facienda per eum, qui non habet nisi bona aliena. 614
Restitutio an sit facienda à participantibus in actu negatiuè, & quando, et quot sint necessaria. 484.et 485.cum seq.& 491
Restitutio actualis non est necessaria ad tollendam restitutionis obligationem. 581
Restitutio actualis statim facienda est, quamprimum fieri potest. 562
Restitutio rei quot modis facienda, & cuius expensis. 552.cum seq.
Restitutio rei vbi facienda sit, quuando dominus est remotus. 551.& 553.& seq.
Restitutio quo ordine fieri & seruari debeat. 643.& 646.
Restitutio, domino mortuo, faciẽda est eius haredibus. 650
Restitutionem sibi fieri quãdo aliquis uelle non debeat. 39
Restitutionem quot modis quis impedire potest. 190
Restitutioni an sint obligati, qui non defendunt ex carita- ... stitia. 487
... is famae condonatio, quibus casibus sit peccatum 142.143

Restitutionis nomine, quę spectentur. 168
Reus in iudicio an suum crimen manifestare debeat. 117
Reus negando suum crimen an ad restitutionem teneatur. 122
Reus in iudicio an crimen negare possit. 118.119.120.121. 122.
Reo quot requirantur in iudicio; & ad quæ sit obligatus. 340.& seq.
Rixantes homines quando aliquis magnæ auctoritatis uir impedire teneatur. 490

S

SACERDOS *bellando an incurrat irregularitatem* 442
Sacrilegium, quid sit. 13
Satisfacere, quid designet. 17
Satisfacere quot modis vsurpetur. 17
Satisfactio, quid sit. 17
Satisfactio quotuplex. 18
Satisfactio. quæ fit Deo & quæ fit homini, in quo differant. 18.
Satisfactio, quæ fit Deo, quæ requirat. 18
Satisfactio pro iniuria qua ratione fiat. 88
Satisfactio ad pœnitentiam est reuocanda. 27
Satisfactio sub quo habitu institiæ contineatur. 29.30
Scandalum potius nasci permittitur quam quod veritas relinquatur. 619
Scientia ad humanum actum necessaria. 2
Serui capti in bello iusto an possint licite fugere. 455
Simonia quid & quotuplex sit. 418.420
Simonia quando non fit, licet aliquid detur pro aliquo obtinendo. 332.& seq.
Simonia ut committatur quot requirantur. 419
Societas animalium quot modis fieri possit. 371
Societas officiorum quomodo Romæ fieri solet. 372.& 373. cum seq.
Societas quid sit. 3

Et quot modis fieri contingat. ibid.
Et ut iusta dicatur, quot conditiones habere debeat. ibid.
Societas contracta, ut unus pecuniam, alter labores, & alter industriam ponat, an & quando ualeat. 368
Societas quando iusta uel iniusta dicatur ubi per conclusiones determinat. 369
Socij damni quando & quomodo teneantur ad restitutionem. 482
Socius quis dicatur. 366
Solutio est ei prius facienda, qui prius suum repetit. 651
Spe aliquid haberi, duplici modo contingit. 184
Et quid sit. 186
Spiritualia bona in quo tuplici sint differentia. 418. cum seq.
Spoliator an restitutionis debito satisfaciat si rem ibi ponat, ubi eam accepit. 555
Stuprator quando ad restitutionem teneatur. 161. 162. 164
Stuprator quomodo, quid & quibus, restituere debeat. 164
Stupri restitutio ubi & quando sit facienda. 163
Stuprum quot modis contingat. 160
Summissio & humiliatio iniuria affecto, an omnino satisfaciat. 91
Suspensus non facit fructus suos, sed eos restituere tenetur. 430

T

Talia quid sit. 203
Testamentum minus solemne nullum est etiam in foro conscientiæ. 292
Idem in contractibus dicendum. ibid.
Testator relinquens in testamento ut restitutio fiat, an liberari possit a purgatorio antequam heres restituat. 639
Testis ad qua teneatur, & quot in eo requirantur. 342. cum seq.

Timori cedere ad bonum faciendum, bonum est. 296.& 301
Traditio ob turpem causam quotuplex sit. 303
Tributa qui possint imponere, & an sint soluenda. 206 207.208
Tributa iniusta an, & quando sint soluenda. 207
Tributa quando sint iniusta. 208
Tributorum genera in lege ciuili quot reperiantur. 203
Tributum quid sit. 202
Et quot modis nominetur. ibid.
Tributum seu uectigal iustum quas conditiones requirat. 203.204.205
Tutor non exponens lucro pecuniam pupilli, cum possit, tenetur ad fructus quos percipere potuisset. 384

V

VEctigal quid sit. 202
Venatio publica per uimprohibita an obliget ad restituẽdum. 231
Venatio publica an a Principe absoluto per leges prohiberi possit. 224
Venatio publica an a priuato domino prohiberi possit. 224
Venationem prohibendo quot modis principes peccent. 225
Venationis leges quomodo, & quando obligent. 226
Vendens rem hodie currenti pretio, sciens cras minus ualere non tenetur ad restitutionem. 355
Vendens plus iusto pretio ob expectatam pecuniam restituere tenetur. 356
Vendere expectata pecunia & statim reemere soluta pecunia, an liceat. 358
Vendere merces carius quam empta fuerint, ratione negotiationis an liceat. 358.& 360
Venditio rei quot modis fieri possit. 352
Venditio insta uel niusta qua sit, & quando dicatur; & qua in ea requirantur. 351
Declara & limita, ut 1. seq. per totum.

Venditionem iniustam quæ reddant, 359
Venditor quando maius rei pretium petere possit. 357
Veniæ petitio ad honoris restitutionem quando non sit suffi ciens. 156
Victoria parta an occidi possint omnes milites qui contra pugnarunt. 447
Virtus, ea Arist. quid sit. 4
Virtutis proprietates, quæ. 2
Vitium quotuplex sit. 326
Vitium celare rei uendendæ in quibus casibus obliget ad re stitutionem, 355
Voluntarium proprie quid sit. 4
Voluntarium simpliciter est, quod ex metu etiam cadente fit, ex communi. 298
Voluntas humanarum actionum principium. 2
Voluntatis gradus quot sint in eo, qui daturus est. 187
Vsura quot modis accipiatur. 381
Item quid sit. ibid.
Et quando committatur, uel non, ibid. cum suis declarationibus. usque ad 1.386
Vsura quotuplex sit. 391
Vsurario pecunia non est restituenda, qui eam uelit fœnori dare. 357
Vsurarius uerum habet dominium earum rerum, quas sibi emit pecunijs per usuram acquisitis. ex cõmuni. 387
Vsurarius quid & quando restituere teneatur. 387. & 388. *cum seq.*
Cum suis declarationibus, ut ibi.
Vsuris participantes tenentur ad restitutionem: & quæ sint istæ personæ. 390
Cum declarationibus suis. ibid.

Habes indicem, habiturus meliorem, si auctor ipse fecisset.

FINIS.

QVAESTIONVM INDEX.

QVID, & quotuplex sit Iustitia. Quæst. I. 1
De dominij atq; furti natura. Quęst. II. 7
De restitutionis & satisfactionis natura; seu, an restitutio sit satisfactio. Q. III. 14
An restitutio sit effectus iustitiæ commutatiuæ. Quæstio IIII. 25
An restitutio sit de necessitate salutis. Quæst. V. 31.
An de restitutione sit certum præceptum, qualeque sit, & vbi contineatur. Quæst. VI. 41
Ponuntur fundamenta quædam necessaria ad recte explicandam, & intelligēdam totam materiam de restitutione. Quæst. VII. 45
An in bonis animi detrimentum inferri possit. Quæstio VIII. 49
An qui nocet in bonis spiritualibus, quæ sunt in præcepto, teneatur ad restitutionem. Quæstio IX. 54.
An qui reuocauit aliquem ab ingressu religionis teneatur religionem ingredi. Quæstio X. 61
An qui volentem religionem ingredi, aut iam ingressum retraxit, teneatur restituere damnum quod inde fortasse religio cepit. Quęst. XI. 68
An pro nocumento illato in bonis corporis facienda sit restitutio. Quæst. XII. 74
An homicida sit obligatus ad restitutionem. Quæstio XIII. 80
De modo, quo qui percutit, aut mutilat aliquem, restituere debet. Quęstio XIIII. 85
De modo, quo facienda sit restitutio ab homicida. Quæst. XV. 92
De famæ, laudis, glorię, honorisq; natura. Q. XVI. 98
An famę restitutio sit de necessitate salutis. Quæstio XVII. 104

Qua

Qua ratione fama restituēda sit, cum falsum, uel uerum, sed occultum manifestatur crimen. Quęstio XVIII. 110
An qui verum in iudicio negauit crimē, sit ad famam restituendam obligatus. Quęst. XIX. 114
An qui alterius crimina ab alijs audita refert, sit ad famę restitutionem obligatus. Quęst. XX. 123
An qui diffamauit aliquem eo in loco, ubi non est diffamatus, famā restituere debeat. Quęst. XXI. 128
An fama cum uitę & famę periculo restituenda sit. Quęst. XXII. 133
An famę restitutio condonari seu remitti possit. Quęst. XXIII. 139
An qui se mutuo infamarunt, possint inter se famę compensationem facere, & an infamatus possit infamando suā tueri famam. Quæst. XXIIII. 147.
De honoris restitutione, an fieri debeat, & quomodo facienda sit. Quęst. XXV. 152
De restitutione facienda ab eo, qui uirginem uiolauit. Quæst. XXVI. 158
De restitutione bonorum externorum, an satis sit id solum restituere, quod acceptum fuit, seu quid quantunque restituendum sit. Quæstio XXVII. 166
De restitutione rei apud iniustum possessorem corruptæ, aut deterioratæ. Quæstio XXVIII. 174
An quod non fuit acceptum restituendum sit, vel de restitutione facienda ab eo, qui impediuit ne quis aliquod bonum gratuitum consequeretur. Quæstio XXIX. 180
De restitutione facienda ab eo, qui beneficij, vel officij consecutionem impedit. Quæst. XXX. 188
An sit restituendum id, quod solui debuisset, si uerum crimen in iudicio negatum non fuisset. Quæstio XXXI. 197
De tributorum & gabellarum iustitia. Quæstio XXXII. 202
Afferuntur ac soluuntur nonnullę dubitationes circa
materiam

materiam tributorum, & gabellarum. Quæstio XXXIII. 209
An leges, quæ venationem, aucupium, piscatumque prohibent, sint iustæ. Quęstio XXXIIII. 220
De restitutione facienda ratione venationis, aucupij, piscatusque prohibiti. Quęstio XXXV. 226
De columbariorum usu, & de cædendi atque pascendi iure, deq; locorũ custodibus. Quæst. XXXVI. 232
De natura, & iustitia ludi, quid & quotuplex sit ludus. Quæst. XXXVII. 240
An lud⁹, qui omnino, aut aliqua ex parte, pẽdet a fortuna sit licitus, & an per leges humanas, prohiberi potuerit. Quæst. XXXVIII. 248
De personis quibus ludere, aut ludũ spectare liceat. Quęstio XXXIX. 255
De forma & legibus ludi. Quæst. XL. 259
An quę acquisita sunt per ludum in foro conscientiæ restituenda sint. Quęst. XLI. 265
An qui lusit sub credito, si quid ludendo amisit restĩtuere teneatur. Quęst. XLII. 272
Afferuntur ac soluuntur dubitationes quędam circa restitutionẽ ludi caussa faciendam. Quæ. XLIII. 277 277
An quę ex aliqua conditione & caussa accepta sunt, conditione uel caussa deficiente restituenda sint. Quæst: XLIIII. 280
An quę accepta sunt per contractum minus solemnẽ restituenda sint. Quęst. XLV. 290
An ea quę accepta sunt per metum restituenda sint. Quęst. XLVI. 295
De restitutione eorum, quę accipiuntur ob aliquam turpem caussam. XLVII. 302
An acquisita per meritricium restituenda sint. Quęst. XLVIII. 308
An quę iniusta caussa acquiruntur restituenda sint. XLIX. 319
An sit restituendum id quod ob aliquam iustã & honestam

Periculum uitæ & famę amittendæ an restituendi tollat obligationem. 618. & seq. & 622. & 623
Personæ, quæ possunt uiuere ex bonis usurarij quæ sint. 391
Personæ ecclesiasticæ dilapidatori quando sit restitutio facienda. 536
Plagiatus, qui sit. 13
Pontifex habet potestatem indirectam in bonis temporalibus. 603
Imo habet etiam facultatem componendi & dispensandi in bonis incertis. 604
Pontifex potest transferre legata ad pias causas alicui certæ personæ uel loco applicata, ad aliquam aliam piam causam. 605
Possessio est de ratione præscriptionis. 589
Possessor iniustæ rei quas expensas repetere & retinere possit. 172
Possessor malæ fidei nullo tempore præscribit. 591
Possidens res alienas quot modis possidere dicatur. 615
Præcepta decalogi in quot partes diuidantur. 42
Præceptum non furaberis quod nam præceptum sit. 44. 45
Præceptum de restitutione ad quod decalogi præceptum reducatur. 44
Præceptum Decalogi, non furaberis, quomodo sit intelligendum. 42. 43
Præceptum de restitutione facienda quot necessariò requirat. 561
Præceptum de restitutione facienda quando obliget debitorem. 557. cum seq.
Prædandi necessitas ex quibus oriatur causis. 448
Præscriptio rei alienæ, et iudicis auctoritas an liberent à restitutione. 588. & 592
Præscriptio quid, & de alijs ad eam pertinentibus. 588
Præscriptio contra quos non possit currere. 589
Præscriptio legitima quæ sit. 591
Pretium pro malo opere acceptum, restituendum est. 304
Pretium acceptum ob peccatum cum alterius iniuria, iure naturæ non est restituendum. 321

Pretium quotuplex sit.349.& ex quibus uarietur. 350
*Pretium à lege humana taxatum etiam Clerici seruare debent.*358
Pretium iustum quale dicatur. 356
Pretium rei uenditæ, si res pereat antequam emptori tradatur, an sit restituendum. 364
Princeps Christianus a possit auxilium petere a Principe infideli ad bellum gerendum contra Principem fidelem. 438
Princeps an & quando possit cum aduersario pacisci, ut non teneatur restituere damna suis subditis iniuste illata. 449
Prior in debiti exactione, licet posterior iuste retinet. 651
Probatio ab accusatore adhibenda, quotuplex sit. 117
Procurator ad quæ sit obligatus, & quæ in eo requirantur. 347

R

Relator alterius criminis ab alio auditi quando, & quo modo peccet. 124.125.126
Relator alterius criminis ab alio auditi se abstinere debet 127
Religio in persona religiosi quod ius habeat. 70
Religionis ingressus an liberet a debiti solutione. 596.
Remissio creditoris an sit idonea uel ne, quid requiratur 583
Remissio damni facta uni, an alijs prosit. 484
Repetere rem suam quot modis quis possit. 533
Repeti res locata, mutuata, & commodata non potest ante tempus præscriptum. 510
Res aliqua quot modis accipi possit. 20
Res accepta quot modis considerari possit. 176
Res uenditioni subiecta in quotuplici sint differentia. 350
Restituendi obligatio unde oriatur. 47.48.49
Restituendi obligatio unde oriatur. 186
Restituere, quid significet. 19
Restituere, quid sit. 19
Restituere an sit obligatus, qui rem accepit. 456.cum seq.

Restituere quando sint obligati, qui causam damni dederunt. 468.& seq.per totum.
Restituere an teneatur & quando, qui pluribus damna minuta infert. 483
Restituere nemo tenetur cũ uitæ p̃iculo bona externa. 623
Restituere domino quod eius est, quando nõ teneatur. 625
Restituere quando aliquis teneatur ratione culpæ. 498. & seq.
Restitutio quot modis sumatur. 19
Restitutio quid sit. 20
Restitutio quid includat. 47
Restitutio sub quo contineatur genere. 28.30
Restitutio a quo habitu iustitiæ eliciatur. 29
Restitutio quando sit satisfactio. 21.22.& 23
Restitutio cuius rei proprie dicatur. 34
Restitutio quod præceptum sit. 34
Restitutio est necessaria ad salutem. 35.37
Restitutio non producitur a pęnitentia. 30
Restitutio in bonis spiritualibus quando sit necessaria. 58.59.60
Restitutio pro membro mutilato, an, quid, quomodo & cui sit facienda. 76.77 78.79
Restitutio pro occisione quando, quomodo, & cui fieri debeat. 81.82.83.86.87
Restitutio an reipublicæ uel iudici pro illato damno debeatur. 83
Restitutio post mortẽ homicidæ, quę transeat ad hęredes. 96
Restitutio pro homicidio quibus sit facienda. 96
Restitutio damni quibus sit facienda. 97
Restitutio, beneficij consecutione impedita, cui sit facienda. 194
Restitutio, ab eo qui distribuit beneficia, quibus casibus sit facienda. 194
Restitutio, pro officio uel præmio seculari, cui sit facienda. 195
Restitutio, boni consecutione impedita, quando, & quibus fieri debeat. 196

Resti-

Restitutio pro uero crimine in indicio negato ratione pœnæ & damni, an, & quando sit facienda. 198.199.200
Restitutio ab eo qui iniuste a iudice absoluitur, an sit facienda. 201
Restitutio in bonis quæ habentur in spe, an sit facienda, & quomodo. 184.*cum seq.*
Restitutio in re quando sit facienda, & quando in eius estimatione. 177
Restitutio ratione simoniæ quomodo faciẽda. 418.*cum seq.*
Restitutio iniuste in bello captorum quando, & quomodo, & quibus sit facienda. 442.*cum seq.per totum.*
Restitutio à participantibus quomodo sit facienda. 479. *cum seq.*
Restitutio quando & quomodo & quibus facienda a personis ecclesiasticis. 428.*cum seq.per totum.*
Restitutio quomodo facienda ab usurario & a participantibus in usura. 387
Restitutio quando sit facienda ratione societatis iniustę. 366
Restitutio eius, quod est acceptum per contractum minus solemnem, an sit facienda. 290
Restitutio quibus ministris facienda, & quomodo. 190
Restitutio an sit facienda, quod acceptum est per metum. 295
Restitutio cui sit facienda si a pluribus minutatim & incertis personis sit aliquid subreptum. 543.*& seq.*
Restitutio facienda an sit publica authoritate, an per se sufficiat. 544
Restitutio pauperibus facienda, potest quibuscũq; fieri. 544
Restitutio facienda pauperibus in locum domini ignoti, quo iure fiat. 545.*&* 549
Restitutio quomodo sit facienda ab eo, qui rem iusto nomine accepit. 508
Restitutio an sit facienda ei, a quo res est accepta, uel nẽ; & quando. 515.*&* 517.*per totum.*
Restitutio acquisitorum ex iniusta mutuatione quomodo fiat. 381

Restitutio accepti ob turpem causam quot modis fieri contingat. 302.cum seq.
Restitutio quibus rationibus arte demonũ differatur. 641
Restitutio quibus personis sit facienda. 517.cum seq.
Restitutio rei a fure uel iniusto possessore accepta, an sit facienda uero domino, uel ne. 520.521.& seq.
Restitutio quę fit per nuntium an & quando liberet debitorem. 556
Restitutio quo tempore sit facienda. 557.cum seq.
Restitutio quando differtur cum uoluntate creditoris, potest debitor absolui. 637
Idem si aliqua alia ratio subesset. ibid.
Restitutio non est statim facienda sicut nec satisfactio. 636
Restitutio non est domino facienda qui re sua abusi velit. 531.cum seq.
Restitutio ratione cambij iniusti quomodo facienda. 402
Restitutio an sit facienda per eum, qui non habet nisi bona aliena. 614
Restitutio an sit facienda à participantibus in actu negatiuè, & quando, et quot sint necessaria. 484.et 485.cum seq.& 491
Restitutio actualis non est necessaria ad tollendam restitutionis obligationem. 581
Restitutio actualis statim facienda est, quamprimum fieri potest. 562
Restitutio rei quot modis facienda, & cuius expensis. 552,cum seq.
Restitutio rei vbi facienda sit, quando dominus est remotus. 551.& 553.& seq.
Restitutio quo ordine fieri & seruari debeat. 643.& 646.
Restitutio, domino mortuo, faciẽda est eius hæredibus. 650
Restitutionem sibi fieri quãdo aliquis uelle non debeat. 39
Restitutionem quot modis quis impedire potest. 190
Restitutioni an sint obligati, qui non defendunt ex caritate uel iustitia. 487
Restitutionis famæ condonatio, quibus casibus sit peccatum mortale. 142.143

Restitutionis nomine,quæ spectentur. 168
Reus in iudicio an suum crimen manifestare debeat. 117
Reus negando suum crimen an ad restitutionem teneatur. 122
Reus in iudicio an crimen negare possit. 118.119.120.121. 122.
Reo quot requirantur in iudicio; & ad quæ sit obligatus. 340.*& seq.*
Rixantes homines quando aliquis magnæ auctoritatis uir impedire teneatur. 490

S

SACERDOS *bellando an incurrat irregularitatem* 442
Sacrilegium,quid sit. 13
Satisfacere,quid designet. 17
Satisfacere quot modis vsurpetur. 17
Satisfactio,quid sit. 17
Satisfactio quotuplex. 18
Satisfactio.quæ fit Deo & quæ fit homini,in quo differant. 18.
Satisfactio,quæ fit Deo,quæ requirat. 18
Satisfactio pro iniuria qua ratione fiat. 88
Satisfactio ad pœnitentiam est reuocanda. 27
Satisfactio sub quo habitu iustitiæ contineatur. 29.30
Scandalum potius nasci permittitur quam quod veritas relinquatur. 619
Scientia ad humanum actum necessaria. 2
Serui capti in bello iusto an possint licite fugere. 455
Simonia quid & quotuplex sit. 418.420
Simonia quando non sit,licet aliquid detur pro aliquo obtinendo. 332.*& seq.*
Simonia ut committatur quot requirantur. 419
Societas animalium quot modis fieri possit. 371
Societas officiorum quomodo Romæ fieri solet. 372.*&* 373. *cum seq.*
Societas quid sit. 3

Et quot modis fieri contingat. ibid.
Et ut iusta dicatur, quot conditiones habere debeat. ibid.
Societas contracta, ut unus pecuniam, alter labores, & alter industriam ponat, an & quando ualeat. 368
Societas quando iusta uel iniusta dicatur ubi per conclusiones determinat. 369
Socij damni qaando & quomodo teneantur ad restitutionem. 482
Socius quis dicatur. 366
Solutio est ei prius facienda, qui prius suum repetit. 651
Spe aliquid haberi, duplici modo contingit. 184
Et quid sit. 186
Spiritualia bona in quo tuplici sint differentia. 418. cum seq.
Spoliator an restitutionis debito satisfaciat si rem ibi ponat, ubi eam accepit. 555
Stuprator quando ad restitutionem teneatur. 161. 162. 164
Stuprator quomodo, quid & quibus, restituere debeat. 164
Stupri restitutio ubi & quando sit facienda. 163
Stuprum quot modis contingat. 160
Summissio & humiliatio iniuria affecto, an omnino satisfaciat. 91
Suspensus non facit fructus suos, sed eos restituere tenetur. 430

T

TAlia quid sit. 203
Testamentum minus solemne nullum est etiam in foro conscientiæ. 292
Idem in contractibus dicendum. ibid.
Testator relinquens in testamento ut restitutio fiat, an liberari possit a purgatorio antequam hæres restituat. 639
Testis ad quæ teneatur, & quot in eo requirantur. 342. cum seq.

Timori cedere ad bonum faciendum, bonum est. 296. & 301
Traditio ob turpem causam quotuplex sit. 303
Tributa qui possint imponere, & an sint soluenda. 206 207. 208
Tributa iniusta an, & quando sint soluenda. 207
Tributa quando sint iniusta. 208
Tributorum genera in lege ciuili quot reperiantur. 203
Tributum quid sit. 202
Et quot modis nominetur. ibid.
Tributum seu uectigal iustum quas conditiones requirat. 203. 204. 205
Tutor non exponens lucro pecuniam pupilli, cum possit, tenetur ad fructus quos percipere potuisset. 384

V

VEctigal quid sit. 202
Venatio publica per uim prohibita an obliget ad restituẽdum. 231
Venatio publica an a Principe absoluto per leges prohiberi possit. 224
Venatio publica an a priuato domino prohiberi possit. 224
Venationem prohibendo quot modis principes peccent. 225
Venationis leges quomodo, & quando obligent. 226
Vendens rem hodie currenti pretio, sciens cras minus uale re non tenetur ad restitutionem. 355
Vendens plus iusto pretio ob expectatam pecuniam restitue re tenetur. 356
Vendere expectata pecunia & statim reemere soluta pecunia, an liceat. 358
Vendere merces carius quam empta fuerint, ratione negotiationis an liceat. 358. & 360
Venditio rei quot modis fieri possit. 352
Venditio insta uel niusta qua sit, & quando dicatur; & qua in ea requirantur. 352
Declara & limita, ut 1. seq. per totum.

Ven-

Venditionem iniustam qua reddant, 359
Venditor quando maius rei pretium petere possit. 357
Venia petitio ad honoris restitutionem quando non sit sufficiens. 156
Victoria parta an occidi possint omnes milites qui contra pugnarunt. 447
Virtus, ea Arist. quid sit. 4
Virtutis proprietates, quæ. 2
Vitium quotuplex sit. 326
Vitium celare rei uendendæ in quibus casibus obliget ad restitutionem, 355
Voluntarium proprie quid sit. 4
Voluntarium simpliciter est, quod ex metu etiam cadente fit, ex communi. 298
Voluntas humanarum actionum principium. 2
Voluntatis gradus quot sint in eo, qui daturus est. 187
Vsura quot modis accipiatur. 381
Item quid sit. ibid.
Et quando committatur, uel non, ibid. cum suis declarationibus. usque ad 1.386
Vsura quotuplex sit. 391
Vsurario pecunia non est restituenda, qui eam uelit fanori dare. 357
Vsurarius uerum habet dominium earum rerum, quas sibi emit pecunijs per usuram acquisitis. ex cõmuni. 387
Vsurarius quid & quando restituere teneatur. 387. & 388 cum seq.
Cum suis declarationibus, ut ibi.
Vsuris participantes tenentur ad restitutionem: & quæ sint istæ personæ. 390
Cum declarationibus suis. ibid.

Habes indicem, habiturus meliorem, si auctor ipse fecisset.

FINIS.

QVAESTIONVM INDEX.

QVID, & quotuplex sit Iustitia. Quæst. I. 1
De dominij atq; furti natura. Quęst. II. 7
De restitutionis & satisfactionis natura; seu, an restitutio sit satisfactio. Q. III. 14
An restitutio sit effectus iustitiæ commutatiuæ. Quæstio IIII. 25
An restitutio sit de necessitate salutis. Quæst. V. 31.
An de restitutione sit certum præceptum, qualeque sit, & vbi contineatur. Quæst. VI. 41
Ponuntur fundamenta quædam necessaria ad recte explicandam, & intelligēdam totam materiam de restitutione. Quæst. VII. 45
An in bonis animi detrimentum inferri possit. Quæstio VIII. 49
An qui nocet in bonis spiritualibus, quæ sunt in præcepto, teneatur ad restitutionem. Quæstio IX. 54.
An qui reuocauit aliquem ab ingressu religionis teneatur religionem ingredi. Quæstio X. 61
An qui volentem religionem ingredi, aut iam ingressum retraxit, teneatur restituere damnum quod inde fortasse religio cepit. Quęst. XI. 68
An pro nocumento illato in bonis corporis facienda sit restitutio. Quæst. XII. 74
An homicida sit obligatus ad restitutionem. Quæstio XIII. 80
De modo, quo qui percutit, aut mutilat aliquem, restituere debet. Quęstio XIIII. 85
De modo, quo facienda sit restitutio ab homicida. Quæst. XV. 92
De famæ, laudis, glorię, honorisq; natura. Q. XVI. 98
An famę restitutio sit de necessitate salutis. Quæstio XVII. 104

Qua

Qua ratione fama restituẽda sit, cum falsum, uel uerum, sed occultum manifestatur crimen. Quęstio XVIII. 110
An qui uerum in iudicio negauit crimẽ, sit ad famam restituendam obligatus. Quęst. XIX. 114
An qui alterius crimina ab alijs audita refert, sit ad famę restitutionem obligatus. Quęst. XX. 123
An qui diffamauit aliquem eo in loco, ubi non est diffamatus, famã restituere debeat. Quęst. XXI. 128
An fama cum uitę & famę periculo restituenda sit. Quęst. XXII. 133
An famę restitutio condonari seu remitti possit. Quęst. XXIII. 139
An qui se mutuo infamarunt, possint inter se famę compensationem facere, & an infamatus possit infamando suã tueri famam. Quæst. XXIIII. 147
De honoris restitutione, an fieri debeat, & quomodo facienda sit. Quęst. XXV. 152
De restitutione facienda ab eo, qui uirginem uiolauit. Quæst. XXVI. 158
De restitutione bonorum externorum, an satis sit id solum restituere, quod acceptum fuit, seu quid quantunque restituendum sit. Quæstio XXVII. 166
De restitutione rei apud iniustum possessorem corruptæ, aut deterioratæ. Quæstio XXVIII. 174
An quod non fuit acceptum restituendum sit, vel de restitutione facienda ab eo, qui impediuit ne quis aliquod bonum gratuitum consequeretur. Quæstio XXIX. 180
De restitutione facienda ab eo, qui beneficij, vel officij consecutionem impedit. Quæst. XXX. 188
An sit restituendum id, quod solui debuisset, si uerum crimen in iudicio negatum non fuisset. Quæstio XXXI. 197
De tributorum & gabellarum iustitia. Quæstio XXXII. 202
Afferuntur ac soluuntur nonnullę dubitationes circa materiam

materiam tributorum, & gabellarum. Quæstio XXXIII. 209
An leges, quæ venationem, aucupium, piscatumque prohibent, sint iustæ. Quęstio XXXIIII. 220
De restitutione facienda ratione venationis, aucupij, piscatusque prohibiti. Quęstio XXXV. 226
De columbariorum usu, & de cædendi atque pascen di iure, deq; locorũ custodibus. Quæst. XXXVI. 232
De natura, & iustitia ludi, quid & quotuplex sit ludus. Quæst. XXXVII. 240
An lud⁹, qui omnino, aut aliqua ex parte, pẽdet a fortuna sit licitus, & an per leges humanas, prohiberi potuerit. Quæst. XXXVIII. 248
De personis quibus ludere, aut ludũ spectare liceat. Quęstio XXXIX. 255
De forma & legibus ludi. Quæst. XL. 259
An quę acquisita sunt per ludum in foro conscientiæ restituenda sint. Quęst. XLI. 265
An qui lusit sub credito, si quid ludendo amisit restĩtuere teneatur. Quęst. XLII. 272
Afferuntur ac soluuntur dubitationes quędam circa restitutionẽ ludi caussa faciendam. Quæ. XLIII. 277 277
An quę ex aliqua conditione & caussa accepta sunt, conditione uel caussa deficiente restituenda sint. Quæst: XLIIII. 280
An quę accepta sunt per contractum minus solemnẽ restituenda sint. Quęst. XLV. 290
An ea quę accepta sunt per metum restituenda sint. Quęst. XLVI. 295
De restitutione eorum, quę accipiuntur ob aliquam turpem caussam. XLVII. 302
An acquisita per meritricium restituenda sint. Quęs. XLVIII. 308
An quę iniusta caussa acquiruntur restituenda sint. XLIX. 319
An sit restituendum id quod ob aliquam iustã & honestam

nestam caussam accipitur. Quæst. L. 325
De restitutione eorum, quę iniuste acquiruntur ab omnibus personis, quę in iudicijs uersantur. Quęst. LI. 335
De restitutione eorum quæ ex iniusta negotiatione, siue ratione emptionis & uendicationis iniustę acquiruntur. Quęstio LII. 349
Quid & quotuplex sit negotiatio, & quando sit licita, uel illicita. Quęst. LIII. 339
De restitutione facienda ratione alicuius iniustę societatis potest. Quęstio LIIII. 366
De montium iustitia, & speciatim de monte pietatis. Quęst. LV. 375
De restitutione eorum, quę ex mutuatione iniusta, siue per usuram acquiruntur. Quęst. LVI. 381
De modo restitutionis faciendę ab usurario, & a participantibus in usurę crimine. Quęst. LVII. 387
De censibus. Quęst. LVIII. 392
De restitutione facienda ratione cambij iniusti. Quęst. LIX. 402
De restitutione facienda ratione simonię. Quęstio. LX. 418
De restitutione facienda a personis ecclesiasticis. Quęst. LXI. 428
De iustitia caussisq; iusti belli. Quę. LXII. 432
De restitutione eorum, quæ iniuste capiuntur in bello. Quest. LXIII. 442
An qui rem accepit sit ad restitutionem obligatus. Quæst. LXIIII. 456
De participantibus in damno inferendo, qui & quot damni illati causa dicantur. Quæst. LXV. 463
De restitutione facienda ab illis, qui aliquid agendo seu positiue ad damnum inferendum concurrunt. Quę. LXVI. 471
Qua ratione a participantibus sit facienda restitutio. Quęst. LXVII. 479
De restitutione facienda a participantibus in actu, sed

sed negatiue.Quęst.L X V I I. 484
An aliquando liceat suadere minus furtum, siue malum,ut uitetur maius.Quęst.L X I X. 492
Quid & quotuplex sit culpa, & ob quas actiones aliquis ratione culpę restituere teneatur.Quę.L X X. 496
Quę culpa obliget ad restitutionem.Quęst. L X X I. 502
De restitutione facienda ab eo qui rem iusto nomine accepit.Quęst.L X X I I. 508
Cui facienda sit restitutio : de qua re communes traduntur regulę.Quæst.L X X I I I. 514
An res a fure & ab iniusto possessore accepta sit restituenda uero domino.Quæst.L X X I I I I. 520
An sit restituendum ei domino,qui re sua abuti uelit: uel de restitutione depositi.Quæst.L X X V. 531
Cui faciẽda sit restitutio, cum dominus est mortuus, uel est ignotus, uel res est inuenta. Quę.L X X V I. 539
Quo iure restitutio eorum bonorum,quorum dominus ignoratur facienda sit pauperibus & ad quem eorum pertineat dispensatio.Quæ.L X X V I I. 545
Vbi restitutio facienda sit.Quæst.L X X V I I I. 551
An restitutio sit statim facienda.Quæ.L X X I X. 557
An extrema necessitas restituendi obligationem tollat.Quæst L X X X. 564
An qui rem alienam in extrema necessitate accepit, sit obligatus restituere cum ad pinguiorem uenerit fortunam.Quæst.L X X X I. 569
An creditoris remissio debitorem a restitutione liberet.Quæst.L X X X I I. 580
An cessio bonorum liberet in conscientia debitorem a restitutione.Quæst.83. 585
An alienæ rei præscriptio,& iuris iudicisque auctoritas a restitutione liberes.Quæst.L X X X I I I I.588
Examinantur septem caussæ, de quibus dubitari solet,an a restitutione liberent.Quæst.L X X X V.

An compoſitiones quas faciunt debitores cum prelatis liberent eos ab obligatione reſtituendi. Quæſt. LXXXVI. 602

An ratione detrimenti quod quis patitur in rebus ſuis poſſit nõ reſtituere, aut reſtitutionem differre. Quæſt. LXXXVII. 606

De reſtitutione facienda ab eo, qui non habet niſi bona aliena, an debeat ſe his omnibus bonis priuare, ut reſtituat. Quæſt. LXXXVIII. 614

An periculum uitæ & famæ amittendę reſtituendi obligationem tollat: ſeu de reſtitutione facienda ab adultera, & ab ea quę filium ſuppoſuit. Quæſt. LXXXIX. 618

An qui poteſt reſtituere, & tamen nolit, ſit a confeſſario abſoluendus. Quæſt. XC. 636

Quibus rationibus homines dæmonis arte a reſtitutione retrahantur, & quæ cauſſæ eos ad reſtituendum commouere debent. Quæſt. XCI. 641

De ordine in reſtitutione ſeruando. Quæ. XCII. 643

F I N I S.

Maiora quędam menda, ſic emendato.

Pag.2. u.16. proficiſcatur. p.20. u.31. eſt. p.44. u.6. non ſuraberis. p.125. u.10. faciant. p.118. u.28. mei uacat. p.165. u.30 prohibita. p.188. u.20. aliquid. p.201. u.8. ſint. p.223. u.20. ſuſtentant. p.333. u.30. nollet. p.381. u.12. ſumatur. p.384. u.1. definitione. p.496. u.15 ſolent. p.536. u.26. gerere. p.543. u. ultimo, quid. p.537. u.37. cõſilium. p.560. u.31. debitorem. p.572. u.10. contracto. p.581. u. neceſſarium. p. 582. u.18. ablatã. p.602. u.1. debitores. p.613. u.7. laborare ſi qua ſunt alia, Lectoris iudicio relinquuntur.

TRACTATVS DE OMNIVM RERVM Restitutione Amplissimus.



Quid & quotuplex sit Iustitia. *Quæstio. I.*



CVM Restitutio, de qua omnis nostra futura est disputatio, sit actus siue effectus quidam iustitię; & effectus recte cognosci & explicari nequeat, ni prius ea vnde proficiscitur causa perspecta fuerit; propterea, & tractandi ratio, & utilitas nos admonent, ut priore loco aliquid de iustitia dicamus. De nomine itaque definitione, partibusq; iustitiæ breuiter, pro nostro instituto, hac prima disputatione, ad eorum, quæ postea tractanda sunt, faciliorem intelligentiam, scribemus.

Iustitia, ut ab eius notatione initium capiam, sic dicta est, quod ius, hoc est, æqualitatem statuat: quæ aliquando omnium uirtutum cumulum designat; ut is dicatur iustus, qui est omnium uirtutum genere ornatus: aliquando uero certam virtutem, qua quod iustum est statuitur: quam hunc in modum l. iustitia, ff. de iustit. & iure, descripsit Vlpianus.

Iustitia est constans & perpetua uoluntas ius suum cuique tribuendi. Vt autem definitionem, non satis bene a multis intellectam, perspicue explicemus, nonnulla diligenter animaduertenda sunt.

Primum, in humana mente in qua uirtutes, tanquam in subiecto, esse dicuntur, tria ex Aristotele libro secundo Ethico, reperiuntur: potentia, qua aliquid ui naturæ efficere possumus, ut est intellectus, & uoluntas: habi-

tus, hoc est, qualitas quędam, quæ per actuum exercitationem & frequentiam de nouo in animi potentijs gignitur: ac demum passiones, seu affectiones: ut amor, odium, indignatio, & id genus aliæ. Virtutes autem, ut omnes Philosophi morales docent, non potentiæ, non affectiones, sed habitus sunt. Quo etiam loco illud obseruandum est, solere interdum scriptores, eo nomine appellare habitus, quo uocantur potentiæ, in quibus esse putantur. Quo modo Aristoteles libro sexto Ethico, capite sexto, & qui eum secuti sunt philosophi, habitum, quo prima scientiarum principia cognoscuntur, Intellectum, nominarunt; cum eorum cognitio sit in intelligendi potentia sita.

Secundum, quamuis multę sint virtutis proprietates; tamen, hę quattuor sunt præcipuę: quarum prima est, vt virtus proficiscitur ex scientia: qui enim uel ignoranter vel temere & casu agit, is studiosus haberi non debet. Est itaque scientia, vt ex Aristotele libro tertio Ethico discitur, ad humanum actum constituendum omnino necessaria: quod pro multorum casuum conscientiæ intelligentia, est perpetua memoria retinendum. Secunda, vt proficiscatur a uoluntate & electione; quæ, ut Philosophus lib. 6. Ethico c. 5. & Gregor. Nyssenus lib. 7. de liber. arbi. cap. 2. scripserunt, est actionum humanarum principium: quo fit, ut ea actio quæ necessario efficitur, etiamsi scienter fiat, non sit humana, nec uirtutis, aut vitij nomen mereatur, vt initio primę secundæ docet beatus Thomas. Tertia, virtus debet esse perpetua, id est frequens; quoniam, vt Tullius libro primo de officijs scribit, omnis uirtutis laus in actione consistit: neque, ut est in prouerbio, vna hirundo, aut dies vnus, ver efficit. Ex qua frequentia & vsu fit, vt uirtus non facile a suo contrario superari possit. Ex eo itaque facile cognoscitur aliquem adeptum fuisse virtutem, ut opusculo de hac re, docuit Plutarchus, quod facile eam exerceat, & eius contrario resistat. Quarta, virtus debet esse uniuersalis, hoc est, in omni materia sibi subiecta, & pro-

& proposita, exercenda est: ita ut is vere dicatur fortitudinis uirtutem habere, qui in omni proposita materia eam exercere, & omnia ardua constanti animo aggredi, atq; superare ualeat. Neque enim eum temperatum vere appellares, qui tantum in potu sibi temperaret, sed eum qui in cibo & in omni sensus delectatione se temperanter gerreret.

Tertium particula illa, ius, quæ in definitione iustitiæ ponitur, multas, ut Iurisperiti scribunt, significationes habet, quas nolumus hoc loco sine necessitate recēsere, cum eas cognoscere, nihil ad nostrum institutum faciat, de quibus lege scriptores, l. pen. ff. de orig. iur. & Albert. Bolog. de lege & iure, c. 15. nu. 9. Ioan. Mon. cap. cupientes de elect. lib. 6. Dicam igitur breuiter, ius, in hac definitione sumi, ut significat æqualitatem in re constitutam; vt cum inter duos quantum cuique debeatur decernitur.

Vt autem id melius explicetur, animaduerte, omnes homines in bonis quæ possident, siue animi, siue corporis, siue fortunæ sint, aliquod habere dominium, vel naturæ, uel alio nomine acquisitū, lib. 2. insti. ti. 1. vt in agros, in pecunias, in corporis membra, & famam. Et quoniam multi reperiuntur, qui non contenti suis, in aliena bona manus suas inijciunt, sibique quod alterius est vsurpant; hinc fit, ut aliorum dominium imminuant, & quandam inæqualitatem introducant. Quare, ut hominum societas, quam inęqualitas ex alienarum rerum occupatione maxime euertit, conseruari posset, necessaria fuit iustitiæ uirtus, per quam homines a rebus non suis abstinerent, aut certe, si inique occupassent, eas per eandem uirtutem restituerent. Est itaque iustitia quasi regula, quæ æqualitatem in rebus constituit, atque conseruat, & inæqualitatem ad æqualitatem reuocat: & hæc ęqualitas in re constituta, ius, proprijssime dicitur. His hunc in modum declaratis, haud difficile erit allatam definitionem exponere, atque intelligere.

Dicitur ergo iustitia, uoluntas, id est, per Metony-

miam habitus uoluntatis, sumendo potentiæ nomen pro ipso habitu: neque enim uirtus, & uitium sunt potentia, seu facultas, ut Gregorius Nyssenus, lib. 1. de libero arbitrio, c. 3. & Aristoteles libro secundo, & sexto Ethico, c. 1. scribunt. Hac particula, quæ loco generis in hac descriptione ponitur, duæ explicantur uirtutis proprietatis, nimirum quod sit ex scientia, & ex electione: cum non possit dici proprie uoluntarium, nisi quod scienter & libere fit. Ideo Aristoteles locis citatis, uirtutem definiens, aiebat, esse habitum electiuum. Designatur etiã eiusdem uirtutis subiectum, q̃ est volũtas.

Dicitur constans, vt explicetur tertia uirtutis conditio: quia habitus firmus non fit nisi ex frequentatis & multiplicatis actibus, &c.

Dicitur, perpetua, vt quarta demonstretur uirtutis proprietas: iustitia enim in quacunque re proposita æqualitatem constituere debet.

Dicitur, ius suum, id est, id quod secundum æqualitatem cuique debetur, & id quod de alterius dominio fuerat detractum. Qua particula demonstratur obiectũ, siue subiectum & materia in qua iustitia uersatur.

Denique, dicitur tribuendi, ut explicetur proprius huius virtutis actus, qui est tribuere cuique suum: & ut manifestetur id, in quo omnis uirtutis laus consistit, actio nimirum propria & vsus. Quæ particula ponitur loco differentiæ.

Ex quibus colligeres, hanc orationem esse quandam iustitiæ descriptionem, per eius genus & propriam operationem assignatam. Hæc igitur est allatæ definitionis sententia, Iustitia est habitus, quo constanti & perpetua uoluntate ius suum cuique tribuitur. Vel breuius, est habitus suum cuique tribuens. De qua definitione lege diuum Thomam, 2.2.q.58.art.8.& Ioan. Gersonem lectione tertia de vita spirituali. Atque hactenus de definitione; nunc de diuisione dicamus.

Iustitia, relictis diuisionibus nihil ad rem nostram pertinentibus, in tres diuiditur partes, in iustitiam legalem,

lem, distributiuam, & commutatiuam, vt constat ex Aristot. lib. 5. Ethico. Ad cuius diuisionis explicationem animaduertendum est, in eo potissimum hanc virtutem ab alijs distingui, quod aliæ ordinant hominem ad seipsum, dum modum in proprijs affectibus ponunt: at vero iustitia dirigit ac perficit hominem etiam erga alios: vt cum alijs iuste uiuat, ut neminem lædat, & si quem læserit, ei satisfaciat, & quod cuique debet persoluat. Possunt autem in humana societate, quæ speciatim iustitia continetur, tres obseruari ordines, quos iustitia dirigit atque conseruat.

Primus ordo est ille, quem habent singuli homines ad bonum commune, quod, quo maius est, eo magis retinendum est; idque per legum obseruationem fit. Ad hunc igitur ordinem conseruandum opus est quadam iustitia, per quam homines, qui sunt reipub. partes, ita disponuntur, vt nihil contra commune bonum efficiãt, illudque, quantum in se est, conseruent: & hæc dicitur iustitia legalis, per quam ita homines afficiuntur, ut ab ijs abstineant, quibus commune bonum tollitur, & ea faciant, quæ idem bonum conseruant.

Secundus ordo, quem habet tota resp. seu is qui reip. curam gerit, erga ciues & priuatos homines, quos conseruare, & debitis præmijs, pro meritorum ratione, officia & honores, bonaq; publica distribuendo, afficere debet. Ad quem ordinem perficiendum & retinendũ opus fuit alia iustitia, quę in Principe & publica persona residet; quam philosophi morales, distributiuam nominarunt. Hinc est quod olim, antiqui, ut Anasarchus sophista scripsit, iustitiam apud Iouem pingebant; eiusque filiam, auctore Phornuto, esse asseuerabant. Huic iustitiæ illud uitium est contrarium, quod personarum acceptio nominatur, reipub. pestis teterrima.

Tertius ordo, est unius priuatæ personæ ad aliam eiusdem ordinis: qui ordo perficitur ac conseruatur per aliam iustitiam, quæ cõmutatiua a Philosophis qui de moribus scribunt: nominatur per quam ita homo affici-

tur, vt priuatum cuiusque bonumintegrum esse uelit.

Tres igitur sunt iustitiæ uniuerse accepte, partes: quę vt genere conueniunt, ita specie differunt. Genus, siue obiectum in quo conueniunt, est, iustum, seu æqualitas; cum omnis iustitia circa iustum uersetur: uerum, cum nō idem iustū considerent, specie inter se distinguūtur.

Nam iustum quod legalis iustitia considerat, consistit in equalitate & conformitate factorum, in ordinem ad leges, quæ commune bonum spectant: quas qui seruat, tanquam bona reip. pars, toti consentit: qui uero transgreditur, dissentit, & turpitudinem quandam toti, quo cum est coniunctus, affert. Turpis enim est omnis pars uniuerso suo nō consentiens, can. quæ cōtra, dist. 8.

Iustum autem, quod distributiua spectat, positum est in quadam proportione meritorum personarum, & boni communis, quod inter illas personas pro ratione rerum gestarum distribuendum est. Exempli gratia, dux, & miles se preclare in bello gesserunt, sed ille multo plura & maiora, quam iste pro rep. gessit: si his tribuatur premium, non spectatur æqualitas præmij, ut tantum detur uni, quantum alteri, sed consideratur proportio inter res gestas & premium: ita ut ei qui plus laborauit & maioribus officijs remp. affecit, plus detur; minus uero ei, qui minora contulit beneficia: ut sicut se habent personæ in rebus gestis, ita se habeat Princeps in reddendo premio. Hoc iustum Aristoteles libro quinto Ethico, capite tertio, vocat, secundum proportionem geometricam.

At uero iustum in quo versatur commutatiua, consistit in æqualitate rei ad rem; ut tantum detur, quantum est debitum, uel fuit promissum: tantum restituatur, quantum fuit ablatum: & tanti res ematur & uendatur quanti ualet: & tantum tibi reddam, quantum commodasti. Hanc æqualitatem Aristoteles, eodem libro, capite quarto, secundum proportionem arithmeticam appellat. Et quod nos uocamus commutatiuum, quod hęc æqualitas in rerum commutatione spectari soleat, Grę

ci

ci diorthoticon, hoc est directiuum & emendatiuum vocant. Quando autem hoc ius læsum fuerit, confugiendum est ad iudicem, qui æqualitatem restituat; qui animatum ius appellari solet: aut certe ad uirum iustum, hoc est, ad hominem probum, uirtutibus ornatum, quẽ humanarũ actionũ regulã Aristoteles in Ethicis facit.

Ex quibus intelligi licet, cur Græci, quod nos ius dicimus, dicæon, quasi bipartitum, & in duas partes diuisum, nominent: & Iudicem, dicasten, idest bipartitorem, vt est apud Aristotelẽ lib. 5. Ethico, capite quarto. Et hæc breuiter de nomine, definitione, & partibus iustitię dixisse sufficiat: quarum rerum notitia in tota hac tractatione sæpissime nobis usui est futura.

De Dominij atque furti natura. *Quæstio. II.*

QVONIAM vero tota de restitutione tractatio in eo posita esse uidetur, vt qui rei suæ dominio priuatus, & a possessione deiectus est, in rem suam restituatur, dominiumque recuperet, propterea ad ea omnia quæ toto hoc opere scripturi sumus facilius intelligenda, aliquid de dominio, omni remota disputatione, præmittendum esse uidetur.

Supposita ergo rerum diuisione, tanquam utili & necessaria ad res ipsas tuendas, ad humanas res ordinatius tractandas, ad iurgia fugienda, concordiamque retinendam, de dominio per rerum diuisionem introducto, hæc summatim dicemus: quid sit dominium, quotuplex sit, in quibus tanquam in subiecto reperiatur, de obiecto seu quibus de rebus habeatur dominium, quibus modis dominia acquirãtur, & trãsferãtur. His aliqd adijciemus de natura furti, quo turbatur dominium.

Quod igitur ad primum attinet, omissis multis, quæ de nomine dominij dici possent, de quibus alias copiose disputabo, dominiũ uarie describi solet, sed nos una uel altera descriptione contẽti erimus: quarũ prima est Soti lib. 4. de iustitia & iure q. 1. art. 1. & Ledesmæ in 2.

par. quarti sent. q. 18. art. 1. dubio primo, quæ sic habet.

Dominium est ius siue facultas propria utendi re aliqua, ad propriam utilitatem, ad quemcunque usum a lege permissum. Vt autem hęc descriptio intelligatur, animaduerte; in rebus quarum habetur dominium, duo considerari posse: primum, est res ipsa alicui per rerum diuisionem & proprietatem applicata, per quam proprietaté potest de re illa disponere, eã donando, uẽdendo, destruendo, ac conseruando: alterum, est vtilitas, quę ex illa percipitur, uel per simplicem vsum, uel per fructus, quos ex ea aliquis capit, vt ex agris frumentum, & uinum. Quæ duo inter se separari possunt, ita vt penes vnum sit rei proprietas, qui proprietarius nominatur, penes alium fructuum perceptio & is vsusfructuarius dicitur. Et quoniam expedit reip. vt nemo re sua abutatur, ideo per leges non licet domino quacũque ratione re sua uti. Rursus, in re, quę sub dominio esse potest, duo spectantur; primum est proprietas illa, per quam tale ius in rem habetur; ita ut eam nemo tibi auferre iure possit, tu uero eam alijs tradere queas: alterum, rei possessio, cum & animo, & re possidetur. Potest autem in rem aliquam duplex haberi ius seu facultas, vel ad vtilitatem aliorum, quo modo Rex in subditos, & Pater in seruos & suam familiam ius habet: uel ad utilitatem propriam eius, qui facultatem in rem habet. His ita notatis breuiter allatã declaro definitioné.

Dominium igitur dicitur ius seu facultas, quæ particula loco generis ponitur, cum multæ sint facultates, quę dominium non sunt. Propria, vt distinguatur a possessione & vsu; quia possessio & vsusfructus, non includunt proprietatem, a proprietate tamen dependent. Vtendi re ad propriam utilitatem, ut distinguatur a dominio politico, & paterno, quod ad alienam utilitatem est institutum. Ad quemcunque vsum, vt distinguatur ab vsufructu, & emphyteusi, per quam habetur facultas disponendi de fructibus, non autem de re, quod est dominij proprium. A lege permissum, vt seiungatur a do-

minio

minio tutorum, qui nõ possunt de re, quã sub tutela habẽt, pro sua volũtate, disponere, cũ a lege prohibeãtur.

Altera Bartoli, qui l. si quis, §. differentia, ff. de acquirenda possess. hoc pacto descripsit dominium, Dominiũ est ius de re corporali perfecte disponendi, nisi lege prohibeatur, saluo iure alterius. Mynsingerus paullo aliter, cum dixit, Dominium est ius de re corporali perfecte disponendi, aut uendicandi, nisi lex, uel conuentio obsistat. Ponunt in sua definitione Iurisperiti, de re corporali, quia existimant dominium proprie non esse de re spirituali. Dicunt, perfecte disponendi, vt distinguant ab usu, & vsufructu, vel ad excludendam possessionem, quæ est ius insistendi. Disponendi de re, cum adest, & uendicandi, cum abest. Nisi lex, vt excludantur personæ, quibus a lege prohibitum est alienare res suas, vt sunt pupilli. Saluo iure &c. vt distinguant ab emphyteusi, quia emphyteuta non potest de fructibus disponere, nisi saluo iure proprietarij. Atque hactenus de definitione.

Quod attinet ad diuisionem, quamuis non me lateat multas esse dominij diuisiones, tamen eas solas breuiter attingam, quæ ad rem nostram proxime faciunt. Dominium proprie sumptum, aliud est diuinum & increatum, aliud creatum: illud est in Deo, qui est fons & origo totius dominij; & ideo Rex regum & Dominus dominantium nominatur & per eum omnes Reges regnant, & legumlatores iusta decernunt. Creatum dominium est illud, quod Deus rationali creaturæ, & speciatim homini, cuius pedibus omnia subiecit, communicauit. Hoc subdiuiditur in naturale, quod est commune omnibus hominibus in res omnes, naturæ lege: & in humanum, siue ciuile, & politicum, quod humana ratione est introductum: quod in duas distribuitur partes, in ecclesiasticum, quo possidentur bona diuino cultui dicata: & in profanum, quo homines sæculares sua bona possident. Hoc iterum duplex, alterum commune, quo plures aliqua bona communiter possi-

dent,

dent, ut resp. & hominum congregatio: aliud priuatum cuiuscunq; priuati hominis. Humanũ rursus subdiuidi potest in perfectum & imperfectum: perfectum illud dicitur, quo quis plene de re aliqua disponere potest: imperfectum, cum non omni ex parte res aliqua possidetur. Solet etiam diuidi in directum, & vtile: directum illud appellatur, quod habetur in rem: utile, quod habetur in rei vsum.

In hac materia de restitutione, non sumitur dominiũ stricte, ut significat solam rei proprietatem, sed ut complectitur proprietatem, vsum, & vsumfructum Quoniã non solum dicuntur fures seu iniqui possessores, & iniusti homines, qui a domino rem surripiũt, sed etiam, qui vtilitatem & fructum auferunt, aut impediunt: non solũ rei quæ actu possidetur, sed etiam eius ad quam aliquo modo ius habetur.

Ex his colligere licet, quod tertio loco explicandum proposuimus, in quibusnam personis reperiatur dominium, seu quodnam sit dominij subiectum.

Primum igitur, dominium tanquam in fonte reperitur in Deo, & sanctissima Trinitate. Deinde in Christo domino, etiam secundum naturã humanã considerato: quod dominium acquisiuit, uel ex unione naturæ humanæ cum diuina, vel etiam ex merito. Propterea ei mare & uenti obediebant: cui aliquando Pater dixit, Postula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, psalmo secũdo. Beatissima etiam Virgo priuata quadam ratione est omnium rerum domina. Angeli quoque, & tandem homines, de quorum dominio in præsentia priuatim loquimur. Hinc est, quod homo dicitur factus ad Dei similitudinem Gen. 1. quod rebus omnibus, tanquam dominus, præpositus fuerit. In rebus autem sensu & ratione carentibus non est dominium, cum sint rationis expertes, in qua ratione fundatur dominij ratio. Quo fit, ut pueri ante rationis usum, & stulti, etiam si nunquam usum rationis sint habituri, sint dominij capaces, cum sint ad

Dei

Dei imaginem facti, & rationem atque liberum arbitrium habeant, quod est dominij fundamentum.

De eo quod quarto loco explicandum proposuimus, hoc est de obiecto, seu super quibus rebus habeatur dominium, statuo hęc dicta.

Primum dictum, homo habet dominium omnium rerum, quæ in hoc uniuerso continentur: quod dictum intelligendum est de dominio uniuersę, vt complectitur rerum vsum: & patet, tum ex Genesi, ca. 1. tum ex psalmo octauo, vbi Deum omnia homini subiecisse dicitur.

Secundum dictum, homo non est dominus uitę: Sapientiæ c. 16. Deus uitæ & mortis dominus uocatur: neque etiam membrorum corporis: est tamen custos suæ uitę, & corporis, & usus ipsius: at uero suarum operationum verum habet dominium: quia Deus posuit illum in manu consilij sui, Eccles. 15.

Tertium dictum, homo habet uerum suæ famæ dominium: quæ doctrina pro certissima habenda est, & alio loco infra a nobis probabitur, cum de famæ restitutione instituta erit disputatio.

Quartum dictum, homo habet uerum dominium bonorum spiritualium, quæ ab ipso acquiruntur; vt virtutum, scientiarum, & artium: at vero bonorum spiritualium, quæ diuinitus dantur, probabile est non habere dominium; sicuti nec rerum sacrarum, quarum tamen habet vsum.

Quinctum dictum, vnus homo lege naturę potest habere aliquod dominium alterius hominis. Doctrina est communis philosophorũ & Theologorum, & speciatim Aristotelis, lib. 1. c. 3. & 7. politico, & Diui Thomæ prima par. q. 96. art. 3. & 4. Lege Dried. lib. 1. de libert. christian. quod etiam dominium fuisset in statu innocentiæ, sed perfectiore modo. Est enim homo animal politicum, ac proinde vt in cõmunitate viuat, debet esse alteri homini iure naturę aliquo pacto subiectus. At vero dominium despoticũ introductũ est iure gentium: quamuis respectu Christianorum, etiam ex bello iusto, nulla-

nascatur seruitus, cum se redimere possint; vt cõmunis est Doctorum sententia. Et hæc de rebus, quę sub dominium cadunt: nunc modos quibus dominia acquiruntur, aperiamus.

Quod autem attinet ad modos quibus potest transferri, aut acquiri dominium, hi fere numerantur. Primus propria voluntate, Instit. de rerum diuis. §. Per traditionem; vt per donationem, contractum, &c. modo voluntas sit aliqua ratione manifestata: neque enim sola interiori voluntate transfertur dominium: voluntate inquam libera, non coacta, & sine errore, qui ad rei substantiam pertineat. Secundus, reip. seu Principis constitutione: vel propter aliquam causam pertinentem ad commune bonum, vel propter aliquam culpam, & delictum: de quo modo legendi sunt scriptores cap. quæ in ecclesiarum, de constitut. & l. fi. C. si contra ius. Tertius, iusta iudicis sententia, glo. can. fraternitatis 12. q. 2. Quartus, iure gentium, quo modo in iusto bello quę capiuntur fiunt eius, qui iustum bellum gerit.

Circa secundum modum nota, non semper quod quis legum auctoritate aliquid retinet, tutus est in conscientia. Nam leges humanæ quę de rebus aliquid disponunt, sunt in duplici differentia: alię solum concedunt, aut negant actionem seu repetitionem: aliæ vero, aut negant, aut concedunt ipsum dominium, vt patet in præscriptione: & quod harum legum vigore possidetur, iuste & tuta conscientia retinetur: non autem id, quod per illas priores habetur. Huc pertinet Augustini doctrina, epist. 54. quæ est ad Macedonium, quæ habetur can. fi. 27. q. 4. Atque hęc de dominio breuiter ad notasse volui, quę nobis in hoc tractatu sæpe vsui futura sunt: & ideo ea tanquam fundamenta pręmittenda duximus.

Quod attinet ad furtum, quo speciatim violatur dominium, ac restituendi necessitas inducitur, cuius notitia est omnino in hac materia necessaria, breuiter, quid, & quotuplex, & quale peccatum sit, docebimus.

De primo, relicta Paulli Iurisconsulti definitione, quę

quę habetur §.furtum l.1.ff.de furtis, Theologi hunc in modum furtum definiunt. Furtum est acceptio occulta rei alienę. Dicitur acceptio rei alienæ, vt demonstretur reponi in genere peccatorum, quæ sunt contra iustitiam: & non quorumcunque, sed eorum, quibus res aliqua occupatur, quæ sit extra hominem, quę tamen ad ipsum aliquo modo pertineat. Dicitur occulta, vt demonstretur esse sine violentia, ob quam caussam differt a rapina, & a fraude: quo fit ut sit contra voluntatem domini. Quare clarius posses hunc in modum definire.

Furtum est ablatio iniusta rei alienę inuito domino. Dicitur ablatio, qua voce significatur etiam retentio, & damni illatio. Dicitur, rei alienę, quia non satis est ad furti constitutionem auferre aliquid ab alio, sed opus est, vt id sit alterius. Dicitur, iniusta, quia iudex aufert aliquid a reo per sententiam, sed quia iuste facit, non est furtum: similiter, quando aufertur per iocum, & in vtilitatem eius a quo aufertur, & in extrema necessitate, & quando aufertur suum ab iniusto possessore, eo inuito, non est furtum; quia non intercedit iniustitia.

De secundo, furtum vniuerse sumptum, duplex est: alterum quod dicitur furtum speciale, cum aufertur alienum occulte, sine violentia: alterum quod dicitur rapina, cum res aliena inuito & sciente domino per vim vsurpatur. Rursus, furtum duplex est, alterum verum, vt est illud, quod descripsimus: alterum similitudinarium, quod non habet veram rationem furti; vt cum quis per insidias rem suam ab alio possessam, omisso ordinis iure, recuperat; quod a legibus puniri solet. Rursus furtum pro varietate rei furtiuæ, in quattuor secatur species, quæ sunt istę; Sacrilegium, cum sumitur res sacra de loco sacro: vel sacra de non sacro; vel non sacra de sacro. Peculatus, cum quis reip. bona vsurpat. Abigeatus, cum grege disperso, aliquis alienum animal surripit. Plagiatus, cum quis hominem furatur. Denique furtum diuiditur in nocturnum, & diurnum: quæ duo furti genera in eo differunt, quod fur nocturnus im

pune

pune occidi potest, diurnus non item.

De tertio, furtum ex genere suo est peccatum mortale, cum grauis est materia; quando leuis est ueniale. Grauitas seu magnitudo materię dupliciter spectari potest: primo, in se, & tūc illa dicitur grauis materia, quę non modo a paupere, sed etiam a diuite non paruifieret: in specie autem non potest dari certa regula, sed id iudicio prudentis uiri relinquendum est, cum res ex circūstantijs personarum, locorum, temporumque pēdeat. Sunt qui dicant pro magna quantitate haberi decimam scutati partem. Secundo modo, ratione alicuius personæ, & tunc minor quantitas ratione indigentis, putabitur magna; & quod alias fuisset peccatum ueniale, fiet mortale.

Et licet paruam quantitatem furari sit peccatum ueniale; tamē ex his capitibus potest fieri mortale. Primo ex intentione, cum fur multum surripere intendebat, Secundo, cum inde sequitur peccatū mortale; ut si quis surriperet rem leuem ab eo, quem scit blasphematurū ob rem leuem sibi sublatam. Tertio, cum inde aliquod grauius damnum oriretur: ut si quis surriperet acum, ita ut per duos dies artifex nihil lucrari posset. Postremo, quando parua quantitas sępius repetitur, & adest animus hac ratione cumulandi, secus, si hoc non fieret animo: quia tunc semper esset ueniale. Quod autem attinet ad eorum restitutionem, quę furto accepta sunt, suo loco latissime disputabitur. Et hęc de dominio & furto pręnotasse sufficiat: nunc ad alia pergamus.

De restitutionis & satisfactionis natura; seu, an restitutio sit satisfactio. Quæstio III.

NUNC propius ad susceptam materiam accedentes; ut id de quo futura est disputatio melius intelligatur, Restitutionis naturam explicabimus. Et quia magnam affinitatem cum satisfactione habet, ideo hanc pręsentem disputationem

tionem diſcutiẽdam propoſuimus: in cuius explicatione,& ſatisfactionis,& reſtitutionis naturam explanabimus. Et quoniam in hac difficultate ſunt uariæ ſcriptorum ſententię,quę ſua habent fundamenta, propterea contrariæ opinionis argumenta,ut rei difficultas appareat, in mediũ afferam. Qui igitur reſtitutionẽ & ſatisfactionẽ inter ſe differre arbitrãtur, his nitũtur rationib.

Primo,quæ habent diſtincta obiecta, ſunt diſtincta; actus enim ex Ariſtotele lib.2.de anima,ex obiectis diſtinguuntur: atqui ſatisfactio & reſtitutio ſunt actus circa diuerſa obiecta;quia illa fit Deo,hęc homini:igitur.

Secundo, ea quorum effectus ſunt diuerſi, ſunt inter ſe diuerſa: ſed per ſatisfactionem remittitur illata iniuria,non autem per reſtitutionem;vt ſi quis reddat proximo quę ab eo abſtulit,ſed tamen malo animo, is reſtituit quidem quia reſarcit ęqualitatem,ſed non ſatiſfacit,cum opus iniquo animo factum non placeat Deo, cui proprie ſatisfacere dicimur:igitur.

Tertio,ſatisfactio fit poſt peccati perpetrati pœnitentiam; eſtque pœnitentię pars: at reſtitutio eſt ante pęnitentiam;quia non remittitur peccatum per regulam iuris libro 6.niſi reſtituatur ablatum: igitur.

Quarto,ſatisfactio eſt opus uoluntarium, alias non debitum ex pręcepto: at reſtitutio ex lege naturæ eſt debita; non ſunt igitur idem: quo fit ut nemo per opera alias debita ſatisfacere queat.

Quinto,animę in purgatorio ſatisfaciunt, & non reſtituunt: non ſunt igitur idem ſatisfactio & reſtitutio; cum ea quę ſeparari poſſunt,per regulam dialecticam, ſint inter ſe omnino diuerſa.In hac diſputatione,de eo de quo potiſſime dubitatur,ſunt duę ſcriptorũ ſentẽtię.

Prima,cuius meminit Alexand.Alenſis,quarta parte quæſt.84.memb.3.art.3.& q.86. & Albertus,4. ſent. diſtinct.15.artic.45.qui ait eſſe antiquorum opinionem, quæ affirmat reſtitutionem eſſe a ſatisfactione diſtinctam: quod reſtitutio ſit quaſi preambulum & fundamentum ſatisfactionis.In hac ſententia fuit Altiſiodoren.li-

ren. libro quarto summę, in materia de restit. quęst. 3. & 6. Gulielmus Parisien. in materia de sacram pœnitentię, capite de satisfactione: Albertus, diuus Thomas, 4. sentent. distinct. 15. q. 1. artic. 1. Scotus, Durandus, Paludanus, in ead. distin. quarti sent. & Sotus lib. 4. de Iustitia & iure quęst. sexta, artic. 1. Qui omnes, & si in sententia conueniant, differunt tamen in assignanda ratione. Nam Altisiodorensis utitur prima ratione, diuus Thomas secũda, Scotus tertia, Durandus & Paludan. quarta.

Secunda sententia, quę procedit cum distinctione, satisfactio dupliciter sumitur, vno modo pro pœna imposita a sacerdote in confessione: altero modo pro quocunque bono opere, quod homo efficere tenetur, ut pro iniuria Deo illata satisfaciat, etiamsi a sacerdote non imponatur. Si priore modo sumatur, restitutio, non est idem, quod satisfactio: quia, ut Alexander inquit, raptor restituere tenetur, etiamsi sacerdos id non pręcipiat: at vero si posteriore sumatur modo, nõ differunt: cum idem opus, quo restituimus, si in gratia fiat, apud Deum satisfacere etiam possit. Ita Alexander loco citato, diuus Bonauentura, dist. 15. par. 2. q. 4. Franc. Mayro, dist. 16. quęst. 1. & Marsilius in quartum senten. q. 11. art. 3. qui addit, restitutionem posse a sacerdote imponi pro satisfactione, & ita fiet pars sacramenti pœnitentię: quod Durandus & Paludanus speciatim negant.

At uero Richardus, dist. 15. art. 5. q. 1. aliam adhibet distinctionem, qua utranque opinionem defendi posse putat. Nam, si Dei iustitia consideretur secundum bonitatem & decentiam eius, restitutio potest esse satisfactio, & aliquam pœnę debitę partem remittere: si autem, ut est voluntas retribuendi secundum merita, restitutio non est satisfactio: & ita, si Deus restituenti nihil pœnę remittat, non est iniustus. Quid in hac difficultate sit tenendum, nos quibusdam positis fundamentis, nonnullis conclusionibus aperiemus.

Primum fundamentum, satisfactio, seu satisfacere, si eius etymologiam spectes, nihil aliud designat, quam,

quod

uod satis est, facere, vt satisfactio idem ualeat, ac si di-
ceres sufficiens factio: & satisfacere, idem, quod, quan-
tum a nobis exigitur facere. Vnde, aliquis dicitur ap-
petitui suo satisfacere, quia tantum facit, quantum ap-
petitus petit.

Hęc vox quattuor modis vsurpari potest: primum vniuerse pro quacunque satisfactione bona, uel mala, seu honesta, vel turpi: ita vt complectatur actus, tum virtutis tum vitij: qua ratione homines suis cupiditatibus satisfacere dicuntur.

Deinde, satisfacere sumitur pro eo, quod est tantum facere, quantum a nobis iuste exigitur, ita vt solum includat actus iustitię, siue commutatiuæ siue distributiuę, siue legalis. Quo fit, vt harum virtutum actus non distinguantur a satisfactione, hoc modo sumpta, nisi penes rationem. Exempli gratia, actus iustitiæ commutatiuę non distinguitur re a satisfactione: quia idem actus dicitur restitutio respectu furis, prout quod ablatum erat reddit, satisfactio vero, prout eodem actu efficit id, quod ab ipso exigitur. Similiter in iustitia distributiua, idem actus dicitur distributio; vt, quod est commune in inferiores & benemeritos diuiditur; & satisfactio, prout is qui distribuit, id efficit, quod ab ipso requiri potest. In legali etiam idem actus dicitur obedientia, vt per eum seruatur lex; satisfactio, vt per eundem actum fit suo officio satis.

Præterea, satisfacere sumitur pressius, vt solum refertur ad iniuriam Deo, vel homini illatam: ita vt satisfactio solum ibi esse dicatur, vbi est iniurię compensatio.

Postremo, adhuc pressius sumitur pro ea tantum satisfactione, qua pro offensa facta Deo satisfacimus. Vnde, vt aiebat Anselmus, satisfacere, est debitum honorem Deo rependere. In hac disputatione satisfactio sumitur duobus posterioribus modis: quam hunc in modum definires.

Satisfactio est actus voluntarius, quo quantum pro iniuria illata a nobis iuste exigitur præstamus. Dicitur,

actus voluntarius; quia si vi extorqueatur, non est actus virtutis, & potius satispassio, quã satisfactio diceretur: quare, qui inuiti pro commisso crimine patiuntur, non dicuntur proprie satisfacere. Dicitur, pro iniuria, vt excludatur restitutio, quæ proprie fit de re aliena ablata, aut alio modo accepta. Vnde hanc assignant aliqui differentiam inter restitutionem & satisfactionem; quod illa fiat ad tollendam inęqualitatem inductam in rem exteriorem; hæc vero ad sarciendam inæqualitatem factam in re interiore, idest in honore, per iniuriam oblato. Dicitur, quo præstamus, &cet. quia in satisfactione debet intercedere opus aliquod, quo compensetur iniuria.

Est autem satisfactio, vt paullo ante dicebã, duplex; altera, quæ fit Deo, altera quæ homini: quæ in eo potissime differunt, quod illa, quæ fit Deo necessario requirit uoluntatis mutationem, ita ut peruersa uoluntas, qua committitur peccatum, quo Deus iniuria afficitur, mutetur in bonam: vt enim solo actu interiori Deo infertur iniuria, ita etiam satisfactio, qua talis iniuria remouenda est, interior esse debet: in quo actu præcipue consistit pactum reconciliationis inter Deum & hominem. Ideo psalmo quinquagesimo aiebat Propheta, sacrificium Deo cor contritum & humiliatum. At vero ea satisfactio quę fit homini, potest esse sine uoluntate bene affecta, & in melius mutata, modo adsit externa reconciliatio, quam homines respiciunt; cum cor, quemadmodum Deus, intueri nequeant. Quare, manente odio interno, adhuc inter homines, reconciliatio per satisfactionem aliquam, qua illata remoueatur iniuria, fieri potest: de qua re late libro de Pacificatione scripsimus.

Ex quibus colligere licet, eam satisfactionem, quæ Deo fit, duo requirere, nimirum verum cultum, reuerẽtiamque per quam ei ablatus restituatur honor, & uerã voluntatis mutationem, quam Græci mætaneam, nos pęnitentiam uocamus; quę non solum nouę uitæ propositum,

ositum, sed etiam, ut cócilium Tridentinum decernit, perpetrati peccati detestationem includit. Vt uere eã Ausonius epigrammate de occasione, & pęnitentia, his uerbis descripserit.

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat, sic metanea vocor.

Atque ex his quę diximus, ni fallimur, quę sit satisfactionis natura, de qua latius scribendi non est hic locus, haud obscure cognoscitur.

Secundum fundamentum, in quo explicanda est, restitutionis natura. Restituo unde dicta est restitutio, idem significat, quod rursus, seu iterum statuo, & in pristinum statum, quod immutatum erat, reuoco: & restitutio, quasi iterata statutio. Vnde restituere, nihil aliud est, quam in possessionem, & pristinum dominium, statumque & conditionem iterum aliquem, aliquidve statuere. Et, ut Caius l. plus, ff. de uerb. signific. ait, plus est in restitutione, quã in exhibitione: Exhibere enim est tradere: restituere uero, etiam in possessionem mittere.

Potest autem restitutio duobus modis sumi, primo generatim pro quacunque restitutione cuiuscunq; rei, quocunque modo acceptę, uel ablatę ab alio, siue per iustam, siue per iniustam acceptionem; siue idem numero, siue specie, aut genere, & ualore, qúo modo damnum illatum in fama & uita resarciri solet, restituatur. Altero modo strictius, pro restitutione, qua idem numero, uel specie redditur. At uero apud Iurisperitos sumitur pro restitutione in ius suum, & in possessioné, a qua aliquis fuit depulsus: vnde apúd illos, restitutio est in priorem statum repositio, l. restituere. ff. de uerb. signifi. quod si status totaliter integretur, dicitur restitutio in integrum: si uero prior status non omnino instauretur, sed uel fructus, uel interesse, nominatur, uel redditio, uel satisfactio. De qua restitutione integri fiunt a legistis tractatus. Hoc loco in prima significatione sumitur; quã hũc in modũ, 4. sent. dist. 15. art. 42. describit Alber.

Restitutio est rei ablatæ redditio, seu compensatio. Quę descriptio oẽm cõtinet restitutionẽ, siue idẽ re siue valore restituatur: ac proinde dicitur redditio, seu cõpensatio: per illam idem restituitur, per hanc æquiualens redditur. At uero Nauarrus in suo Enchiridio ca. 17.nume.6.hoc modo, Est actus iustitiæ specialis commutatiuæ, quo redditur alteri, quod suum est, uel, quod ei debetur lege verę iustitiæ, formaliter, uel virtualiter, de bonis animi, corporis, honoris, uel pecuniæ. Cuius nimis longæ definitionis explicationem, ab ipso reposce. Tu breuius, sic describeres, Restitutio est actus iustitiæ, quo cuique redditur, quod ab eo ablatum, uel acceptum est. Dicitur actus, ut eius designetur genus: dicitur iustitiæ, vt indicetur habitus, cuius est actus, nimirum iustitiæ, qua ita afficimur, ut aliena rapere, & iniuste retinere nolimus: dicitur, quo cuique redditur, &c. quia hic actus facit æqualitatem in re, dum quod acceptum est, ei a quo acceptum fuit uel alijs, ad quos pertinet, redditur: dicitur, quod ablatum, vt designetur iniusta acceptio, quocũque modo facta, inferendo damnum in rem uel in personam, & in honorẽ: dicitur, uel acceptum, vt exprimatur restitutio, quæ fit ob rem iuste acceptam; vt per mutuum, vel depositum, &c. Vnde in acceptione alienæ rei duo spectari possunt, res, quæ accipitur, & actus accipiendi, qui potest esse bonus, uel malus, siue iustus & iniustus, vt si res aliqua furto, & cõmodato accipiatur.

Ex quibus colligere licet, quattuor esse modos quibus res aliqua accipi potest. Primus cum res aliena iuste accipitur, ut mutuo, & deposito: secundus, cum iniuste, vt furto, & fraude: tertius, cum acceptio & mala, sed non iniusta; ut si quis occulte præter iustitiæ ordinem, ab alio auferret, quod suum erat: quartus, quando acceptio, est bona & iusta; ut si quis rem suam ab alio per se culte repeteret, quã alia ratione recuperare non posset.


His hũc in modum explicatis, facile intelligi potest, quid in hac disputatione quæratur, Ponamus ergo Petrum

um reſtituere Ioanni pecunias furtò acceptas, quæri-
r an iſta reſtitutio poſſit eſſe, uel ſit ſatisfactio, ita ut
etrus reſtituendo Ioanni ſatisfaciat etiam Deo pro pę
cõmiſſi peccati: quæ difficultas intelligi poteſt, etiã
ſpectu hominis; & de eo, qui ſit in gratia conſtitutus,
de peccatore. Quid autem ſentiendum ſit, nunc qui
ſdam concluſionibus explanabo.

Prima concluſio, ſi ſatisfactio ſumatur pro officij, exe
tione, omnis reſtitutio eſt ſatisfactio, ita ut ſint idem
, quamuis diſtinguantur ratione. Hæc concluſio pa-
ex ijs, quæ in primo fundamento diximus. Sumimus
im hoc loco ſatisfactionem, in ſecunda ſignificatio-
; & aſſerimus in quocunque reſtitutionis actu inueni
ſatisfactionem, hoc eſt, ſui muneris executionem.
are, cum quis reſtituit cuipiam honorem, ſimul etiã
isfacit; quia quantum debet facit.

Secunda concluſio, Reſtitutio proprie, & particula-
er ſumpta, reſpectu hominis, non eſt ſatisfactio. De-
ro, cum Petrus reſtituit pecuniam Ioanni pro dam-
illato, in quo interceſſit iniuria, eſt quidem reſtitu-
ſecundo modo ſupra explicato, ſumpta; ſed non eſt
isfactio, ſi ſatisfactio tertio modo ſumatur: ac ſi dice-
, qui homini pro ſolo damno compenſat, ei non ſa-
acit ꝑ iniuria illata, nec honorẽ famamve reſarcit.
Primum, quia reſarcito damno illato, adhuc reſtat
sfactio pro honoris diminutione: quare ſi reſtitutio
atisfactio hoc pacto conſiderentur, non erunt idem.
Deinde, quoniam hi duo actus, ſub hac ratione con-
rati, habent obiecta omnino diuerſa, nimirum iniu
m illatam, & damnum, ſiue æqualitatem in bonis
ernis: at qui honorem reſacit, non ideo damnum
npenſat.

Tertia concluſio, Reſtitutio eo modo ſumpta, ut ſecũ
onclusione diximus, reſpectu Dei, eſt uera ſatisfa-
. Hanc concluſionem defendimus cum poſteriore
éntia, quam ſic declaro: cum Petrus, in caſu pro-
to, Ioanni rem ablatam reſtituit, licet pro iniuria il



lata ei non satisfaciat, satisfacit tamen Deo, quem iniuria affecerat, lædendo proximũ; modo tamen sit in gratia constitutus: quæ conclusio his munitur rationibus.

Primo omne opus iustũ factum ab eo, qui est gratus Deo, est meritorium & satisfactorium, maxime si sit difficile & arduum, &, vt scriptores loquuntur pęnale: at huiusmodi est ista restitutio, quod negari nulla ratione potest, erit igitur satisfactoria.

Secundo, illud opus est satisfactorium, quo restituitur honor Deo: atqui huiusmodi est ista restitutio respectu Dei, cum sit actus uirtutis, & obseruatio præcepti diuini, ob timorem & reuerentiam Dei, satisfactoria igitur.

Tertio ex diuo Bonauentura, fingamus duos raptores, quorum alter habeat vnde restituat, alter uero minime: & accedant ad confessionis sacramentum, habẽti confessarius minorem pœnitentiam imponet, non habenti uero maiorem: igitur restitutio, in illo erit aliqua satisfactio. Confirmatur, quoniam ut ait Augustinus, can. Satisfactio de pęnit. dist. 3. Satisfactio, est peccatorum caussas excindere, quod sane efficit, qui restituit.

Quarta conclusio, Restitutio facta in peccato mortali non est satisfactio respectu Dei. Hæc conclusio, quę alibi latius est demonstranda, unica nunc confirmatur ratione: quoniam omnis nostra satisfactio, ut conciliũ Tridentinum decernit, innititur satisfactioni Christi, quam nemo participat, nisi qui ei est unitus per gratiã. Vere etiam dixit Paul. 1. Cor. 13. nihil ei prodesse, qui caritatem non habet.

Quinta cõclusio, Restitutio potest imponi a confessario in pœnã peccati, & erit vera satisfactio. Hoc affirmamus cum Marsilio, & Nauarro, can si quis de pœit. distin. 5. & nonnullis alijs, contra Durandum, & Paludanum: quam breuiter in præsentia duplici ratione demonstro.

Primo, ex communi ritu Confessariorum, qui post absolutionis formam, solent addere hæc verba, Quidquid boni feceris, aut mali sustinueris, sit tibi in remissionem

onem peccatorum:at in hac bonorum operum vniuer
tate continentur etiam bona alias debita,quæ per hæc
erba ad satisfaciendum applicantur:ergo etiam restitu
o,alioqui debita, potest ad satisfaciendum imponi.

Secundo, ad opus quod alias est in præcepto, potest
liud præceptum, adiungi, vt si quis voueat se castita-
em seruaturum,& eleemosynam in necessitatem datu-
rum:vbi,si quis transgrediatur,duplex committit pecca
tum: ergo pari ratione super restitutione,quæ alias erat
in præcepto diuino & naturali, potest imponi satisfa-
ctionis præceptum.

Sexta conclusio, Restitutio imposita a confessario in
pęnitentiam,est pars sacramenti pœnitentiæ. Patet ex
proxima conclusione; quia est pars satisfactionis, quæ
est vna ex huius sacramenti partibus. Et quoniam per
has conclusiones propositæ difficultati satis factum esse
puto,restat,vt argumenta contraria dissoluantur.

Ad primum,si loquamur de restitutione particulari-
ter, vt supra explicuimus,restitutio & satisfactio,respe
ctu Dei, idem sunt re, differunt tamen ratione: nam ut
redditur quod ablatum est,dicitur restitutio, vt vero est
virtutis actus,vocatur satisfactio.

Ad secundum, concludit hoc argumentum respectu
hominis,non autem ratione Dei:quare, licet restituen-
do homini ego non satisfaciam, satisfacio tamen Deo,
vt explicuimus.

Ad tertium, non est necesse, vt restitutio præcedat re
confessionem,sed satis est si pręcedat in voto,quo etiam
modo satisfactio præcedere debet:at uero actu,vtraque
confessionem subsequi debet.

Ad quartum,huius argumenti solutio patet ex proba
tione quinctæ conclusionis,ubi diximus,opera alias de-
bita posse loco satisfactionis imponi.

Ad quinctum,primum,casus iste quem argumentum
fingit,non est ad rem:non enim hoc loco de quacunque
restitutione fit sermo,sed de ea,qua restituitur res acce-
pta,ut pecuniæ, & de ea quæ fit homini. Deinde dici-

mus,animas eorum qui sunt in purgatorio,non solum satisfacere, sed etiam restituere: siquidem dum pęnas illas ex iustitia libenter perpetiuntur, Deo honorem restituunt, quem peccando abstulerant, dum eius iustitiam in se demonstrant.

Atque ex his,quæ explicata,& probata sunt,colligere licet,non esse ueras eas differentias, quas Sotus inter restitutionem & satisfactionem ponit.

Non est uera illa prima, qua dicit, restitutionem esse de re,satisfactionem de culpa:quia hæc differentia respectu Dei nulla est,licet sit uera respectu hominis, ratione cuius restitutio, uniuerse sumpta, satisfactio dici potest. Satis itaq; Deo facimus pro culpa,dum rem ablatam restituimus,ob rationem superius positam.

Non secunda sumpta ex parte personæ, quod erga Deum sit satisfactio,non autem restitutio: quia restitutio generatim sumpta, potest etiam esse circa Deum, dum ei ablatum reddimus honorem:quem ipse a nobis tanquam pater & Dominus iure repetit.

Non tertia,quod restitutio præcedat confessionem, & non remittat pęnam, quam satisfactio delet: quoniam, ut est dictum,utraque uoto præcedit,& re subsequitur,ac pęnam delet.

Non quarta,quod satisfactio non sit sine amicitia, ut esse potest restitutio: quia hoc discrimen non est ad rem;cum difficultas sit de restitutione respectu Dei: at ista differentia procedit respectu hominis.

Neque quincta, quod una sit pars sacramenti, & non alia,ut est iam conclusum,& probatum.

Quo fit,ut neque sexta, quod una imponatur uirtute clauium,nimirum satisfactio,& non altera,quæ est iure naturæ debita,cum utraque a sacerdote imponi possit.

Denique,nec septima,quod una sit in purgatorio, & non alia,ob ea quę diximus in responsione ad ultimum. Atque hic sit huic quæstioni finis.

An reſtitutio ſit effectus iuſtitiæ commutatiuæ.
Quæſtio. IIII.

CVM ex ijs,quæ proxima diſputatione diximus, certum ſit reſtitutionem eſſe actum quendam iuſtitiæ,quo inæqualitas ad æqualitatem reuocatur: nunc, quoniam plures ſunt iuſtitiæ partes, ut prima diſputatione docuimus, uidendum eſt,cuius partis,ſiue ſpeciei ſit actus.Et quod non ſit actus commutatiuæ his probatur rationibus.

Primo,reſtitutio per nos, idem eſt quod ſatisfactio: quæ non pertinet ad commutatiuam, nec etiam ad diſtributiuam,cum ſit actus uirtutis pænitentiæ; igitur.

Secundo,iuſtitia commutatiua, ut Ariſtoteles libr. 5. eth.docet, eſt circa res externas: at uero reſtitutio eſt etiam in alijs rebus,ut in honore,& fama;igitur non proficiſcitur a commutatiua.

Tertio, quando aliquis reddit gratiam pro acceptis beneficijs,reſtituit:at talis reſtitutio non modo non pertinet ad commutatiuam, ſed neq; ad iuſtitiam:ad aliud igitur uirtutis genus,ut Ariſtoteles docet, reuocatur.

Quarto, uidetur eſſe actum utriuſque iuſtitiæ.ſ.commutatiuę,& diſtributiuæ: quoniam,cum inducta eſt inęqualitas, ſiue commutando, ſiue diſtribuendo, ſemper facienda eſt reſtitutio:pertinebit igitur ad utranque uirtutem. Princeps enim, ſeu bonorum publicorum diſtributor,ni tantum daret, quantum eſt obligatus,reſtituere deberet.

In hac diſputatione,quod attinet ad id, quod examinandum propoſuimus,nulla eſt diſcordia inter Doctores, Verum quod pertinet ad ſatisfactionem, diuus Thomas exiſtimat reuocandam eſſe ad iuſtitiam commutatiuam,& eſſe eius effectum, ac proinde cum reſtitutione conuenire. At uero Scotus exiſtimauit ſatisfactionē eſſe actum iuſtitiæ uindicatiuæ. Quæ ſint utriuſque opinionis fundamenta, non eſt huius loci exponere;

quid

quid autem hac de re sentiendum sit, in conclusionibus aperiemus: ad quarũ explicationẽ hęc fundamẽta pono.

Primum fundamentum, hęc disputatio in eum potissimum finem proposita est, ut restitutionis inquiramus ac constituamus genus, cui si addantur differentiæ, eius innotescat natura. Potest autem restitutionis genus duobus modis spectari: primo inuestigando in qua categoria seu natura reponenda sit: altero, in quo genere moris, hoc est ad quod uirtutis genus reuocanda sit: & si eius genus plures habet species, ad quam pertineat. Cum autem perspicuum sit reuocandam esse ad iustitiam, quæ plures partes habet, restat ut uideatur, ad quam speciem pertineat. Patet ergo quorsum hæc dubitatio spectet: ad quam explicandam secundum statuo fundamentum.

Secundum fundamentum, uindicatio qua commissa punitur culpa, duobus modis considerari potest: primũ, ut exercetur a Iudice, cuius est, a reis debitas pęnas reposcere, & hac ratione considerata, est actus iustitiæ uindicatiuæ, quo in alio eius punitur culpa, pro commissis erroribus: nam pro ratione delicti, debet esse plagarum modus. Deinde, ut exercetur ab eo qui peccatum perpetrauit: cum iustitiam Dei, uel iudicis pręueniens, a se ipso, de suis erratis, quasi suiipsius iudex pęnam sumit, iuxta illud, primæ ad Cor. c. 11. Quod si nosmetipsos di iudicaremus, non utique diiudicaremur. Sua enim misericordia Deus nos nostri quodammodo iudices facit, ut Gregorius in 3. par. Pastoral. ait. Quod si hoc pacto pęnitentiæ uindicatio spectetur, non erit reuocanda ad iustitiam, quæ, ut supra diximus, & Aristoteles docet, est uirtus non ad se, id est non ratione sui, sed ad alterum. Quo fit, ut is quem pęnitet, & ex se pęnam de se sumit, non sit proprie Christi minister, sicuti Iudex reipub. cum ille Deum præueniendo seipsum puniat, quod non facit iustitia uindicatiua, quæ alienam culpam in alio punit, & hoc est eius proprium subiectum, in quo uersatur. Vnde colligeres, satisfactionem non

non ad uirtutem iuſtitiæ, ſed ad pœnitentiam, quæ eſt virtus ab alijs diſtincta, ut alibi docebitur, reuocandam eſſe. Cæterum, ſi ſatisfactio conſideretur ut a Sacerdote, tanquam a Iudice Chriſti uicem gerente imponitur, quo modo rationem quandam inuoluntarij habet, reuocari poteſt ad iuſtitiam uindicatiuam, quæ eſt in Sacerdote, ut Iudicis perſonam gerit.

Tertium fundamentum, unum & eundem actum humanum, diuerſo tamen modo conſideratum ad uarias virtutes referre licet: ut eſt productus, ſiue elicitus, & ut ſcholæ loquũtur, eliciti ue, reuocatur ad eum habitum, ſiue potentiam a qua tanquam a cauſſa proxima profiſciſcitur: ut uero eſt imperatus, ſiue imperatiue, ad diuerſas uirtutes pertinere poteſt, prout ad diuerſos ordinatur fines. Exempli gratia, ſi actus reſtitutionis in hunc finem exerceatur ut ſatisfiat Deo, reuocabitur ad uirtutem pœnitentiæ: ſi, ut diuina amicitia & gratia reconcilientur, ad caritatem: ſi ut inſtauretur æqualitas, ad iuſtitiam: atque idem de alijs actibus dicas. Ex hac itaque doctrina intelligi licet, quo pacto una & eadem actio ad diuerſas poſſit reuocari uirtutes, & reuocari ſoleat, ſi diuerſi conſiderentur fines, quorum gratia fieri poteſt.

Quartum fundamentum, quod eſt pro hac materia de reſtitutione diligenter animaduertendum, non ex eo quẽpiam obligari ad reſtitutionem, quod caritatis, & miſericordiæ præceptum, tranſgrediatur, etiamſi alteri nocumento ſit: ut ſi quis in extrema neceſſitate proximo non det eleemoſynam, aut non commodet; ſed ſolum ex tranſgreſſione legum iuſtitię, qua tranſgreſſione introducitur inæqualitas in res alienas. Siquidem legum caritatis tranſgreſſio non ordinatur, ex ſe, ad inferẽdum damnum in aliorum bona, ſed potiſſimum ad actus interiores refertur: cum qui hac ratione peccat, non ſit ita in alios affectus, ut eſſe deberet. Quo fit, ut qui ex caritate dare deberet, ni dederit, ad nullam reſtitutionem ſit obligatus: cum nihil contra iuſtitiam alle-

num retinendo peccet; ut peccaret is,qui ex iustitia da re est obligatus. Restitutionis itaque fons & origo, est legum iustitiæ transgressio,quod docte, præter alios,ob seruauit Alensis,4.par.q.86. Vbi illud etiam adnotauerim, quod & si restitutionis nomen primo impositum fuerit ad significandam restitutionem rei exterioris,cũ eadem res numero,uel specie,aut valore redditur:tamẽ translatum est deinde ad significandam omnem compẽsationem, quæ fit inter homines;inter quos per iniustitiam introducta est quoquo modo inæqualitas ut est restitutio famæ,& honoris:quamuis huiusmodi restitutiones,potius compensationes,vt scribit Albertus,appellari deberent. Quo fit ut nomine restitutionis vtamur etiam in redditione honoris,& famæ. His adnotatis,has statuo conclusiones.

Prima conclusio, Restitutio considerata ut res quædam est,pertinet ad categoriam actionis. Est conclusio per se manifesta: est enim actus quidam & effectus ab aliqua facultate seu uirtute productus.

Secunda conclusio, Restitutio est actus uirtutis. Primum restitutio est actio bona & laudabilis, si congruenti modo fiat;& ut postea dicetur,est de necessitate salutis,ad quam solum actus boni conferunt: atqui omnis bonus actus ab aliqua uirtute proficiscitur,igitur. Deinde, de restitutione est præceptum naturale & diuinum: præceptum autem est solũ de actibus uirtutis:erit igitur uirtutis actus.

Tertia conclusio, Restitutio est actus uirtutis iustitiæ. Primo restitutio, ex se suaque natura, constituit æqualitatẽ in re, quod ut Aristoteles,& Iurisperiti docent,est iustitiæ proprium:ergo ad nullam aliam uirtutis speciem pertinere poterit,quam ad iustitiam.Deinde actus contrarij,ut Philosophi tradũt, sunt circa idẽ, vt liberalitas & auaritia circa bonorum externorum vsum: at subtractio alienæ rei, quæ est restitutioni opposita,est contra iustitiam: igitur etiam restitutio,quæ alienum damnum sarcit, pertinebit ad iustitiam.

Quar-

Quarta concluſio, Reſtitutionis actus producitur, vel elicitur proxime ab habitu iuſtitiæ commutatiuæ, ita ut ſit eius effectus proprius.

Primo reſtitutio facienda eſt ſecundum rei ęqualitatem, nulla habita perſonarum, ſed rei tantum ratione: hoc autem, ut ex prima diſputatione conſtat, eſt commutatiuæ iuſtitiæ proprium: igitur.

Secundo rem alienam uſurpare, aut aliquo modo retinere, auferreve, eſt contra commutatiuam: quare, & reſtitutio, cum cōtraria in eodē ſint reponenda genere.

Tertio, nō poteſt reuocari ad iuſtitiā legalē, cum ſit actus, qui reſpicit priuatam perſonam, bonumque priuatum: non ad diſtributiuam, cum in reſtituendo non ſpectetur perſonæ perſonarumque merita: ad commutatiuam igitur, ex ſufficienti partium enumeratione.

Quincta concluſio, Pœnitentiæ actus ſeu pœnitentia, nec ad commutatiuam, nec ad diſtributiuam iuſtitiam, proprie loquēdo, reducitur. Hęc concluſio quę in materia de ſacramēto pœnitentiæ latius probanda eſt, in præſentia hac unica ratione confirmatur: Quoniam pœnitentia eſt uirtus quædam ab alijs diſtincta, circa quoddam obiectum, de quo nulla alia eſt uirtus, nimirum circa peccatum commiſſum, ut eſt offenſa Dei: non ergo caritas, non uirtutum omnium cumulus, non iuſtitia, ut quidam uolunt, ſed quædam alia uirtus, quam hunc in modum deſcriberes.

Pœnitētia eſt dolor, & deteſtatio peccati, ut eſt offenſa Dei, cum propoſito de nō peccando in poſterum. Vbi nota, nos hoc loco deſcribere pœnitētiam, ut uirtus eſt, non vt eſt ſacramentum: qua ratione conſiderata, hoc pacto noua definitione finire commode poſſes; Pœnitentia eſt ſacrum ſignum uerbis abſoluentis, & actibus confitentis conſtans, abſolutionem animę a peccato efficaciter ſignificans. Quę deſcriptio alibi explicāda eſt.

Sexta concluſio, ſatisfactio potius reducitur ad iuſtitiam commutatiuam, quam ad diſtributiuam. Quoniā in ſoluenda pœna pro meritis, attenditur rei ęqualitas,

quam

quam commutatiua spectat. Vnde lex illa tallionis, dens pro dente, & oculus pro oculo.

Septima conclusio, satisfactio potest aliquo pacto reduci ad iustitiam uindicatiuam, prout imponitur a sacerdote per potestatem clauium. Idem diceres de restitutione, ut satisfactionis naturam induit. Hęc conclusio est manifesta ex dictis: ex quibus facile argumẽta in contrariam partem allata solueres.

At primum, licet restitutio possit esse satisfactio; tamen non producitur a pœnitentia, licet ab ea imperari possit: elicitur ergo a commutatiua iustitia, & ad eam reuocatur.

Ad secundum, soluitur hoc argumentum ex ijs, quæ diximus in postrema parte quarti fundamenti: quia si restitutionis uocabulum late sumatur, omnem complectitur compensationem.

Ad tertium, referre gratiam non est, proprie loquendo, restituere, cum id quod donatum est, non sit restituẽdum: neque quod hac ratione acceptum fuit, obligat ad aliquid ex iustitia reddendum, essent enim fœnerarij: sed pertinet ad debitum honestatis, & liberalitatis.

Ad qnartum, soluitur hoc argumentum a domino Caietano, sed satis obscure: tu ita responderes; Quamuis princeps distribuendo peccauerit contra distributiuam, non dando cuique pro meritis: tamen, cum restituit, seruare debet commutatiuam; quia tantum debet reddere, quantum defraudauit.

Ex quo citatus doctor infert, posse aliquem esse obligatum ad restituendum, non solum quia abstulit, quod iam erat alterius proprium, sed etiam quia quod alteri tribuere debebat, non tribuit. Hinc fit, ut Princeps qui obligatus erat ad distribnendum aliquid in suos ciues, & non distribuit; si post aliquot annos uelit restituere, non satisfaciat si in præsentes ciues distribuat; sed ijs debet restituere, quibus dare debebat, aut eorum hæredibus. Quod si bona quæ subtraxit, communitati subtraxit, sat erit si communitati restituat. Atque ex ijs,

quę

quę hac disputatione explicata sunt cum ijs quæ supra scripsimus, Restitutionis naturam satis manifestam esse arbitramur.

An restitutio sit de necessitate salutis. *Quæst. V.*

EXPLICATA restitutionis natura, sequitur ut de eius necessitate & obligatione inquiramus: quibus expositis latissimam materiam de rebus restituendis, & de restitutionis modo aggrediemur. Cum autem in hac disputatione, quę etiam in fine huius tractatus poni potuisset, quęrimus, an restitutio sit de necessitate salutis, id examinare uolumus, an fieri possit, ut qui alienam rem aliquo pacto acceptam, seu occupatam retinet, possit salutem consequi, non facta restitutione. Et quod non sit necessaria, saltem semper, his rationibus probari potest.

Primo, Hebręi, Exodi capite duodecimo, ex Ægypto in terrā promissionis ituri, quorū exitus fuit figura eorum, qui ex hac uita ad aliam migrant, acceperunt mutuo uasa ab Ægyptijs, ea non reddituri; igitur poterit quispiā aliena bona retinere, & in terram promissam ingredi, seu salutem consequi.

Secundo, non restituere, non est peccatum: non igitur impedit salutis consecutionem: quod sumptum est, probatur, quia non est contra naturę legem, ex qua omnia bona sunt communia, ut patet ex auctoritate Clementis Romani Epistola quarta ad Iacobum fratrem in principio, quam etiam auctoritatem citatam apud Gratianum inuenies, 12. quæst. 1. can. Dilectissimis. Adde etiam, quod ex amicitiæ lege, ut Plato, Aristoteles, & Euripides in Oreste, affirmant, sunt omnia commumunia; at Christiani sunt, aut saltem esse deberent, ex Christi præcepto, maxime amici: igitur unus ea poterit retinere, quæ sunt alterius, sine detrimento salutis.

Tertius, multi saluari possunt, non facta restitutione quare non erit de necessaria ad salutem: consequentia

est

est manifesta; quod sumptum est, probatur. Primum, quia multi sunt qui non habent vnde restituant, quibus salutis via prçclusa esse non debet. Deinde, quoniam sçpe contingit vt restitutio fieri non possit sine detrimẽto famæ, quod est maius bonum; at cum iactura maioris boni nemo restituere debet; igitur. Quarto, nemo peccat retinendo rem alienam, quando dominus vult eum retinere, aut certe velle debet: non igitur erit semper necessaria: antecedens patet, primum exemplo furiosi, cui ex lege naturæ non sunt reddenda arma deposito accepta: deinde, si quispiam nolit restituere, tenemur consentire, ne si nos dissenserimus, ipse peccet & peccando damnetur: siquidem ex lege caritatis, magis proximi salutem quam nostra temporalia bona curare debemus. Quinto, de bonis iuste acceptis, vt de illis quç mutuo, vel commodato accipiuntur, non est facienda restitutio: non est igitur semper necessaria: quod sumptum fuit expresse, 2.2. quæst. 62. docuit Diuus Thomas. Quod attinet ad opiniones, in hac quæstione nulla est inter Doctores discordia: omnes. n. vno ore idem fatentur. Fuit tamen hac in re grauissimus error Græcorum, vt Guido Carmelita, & Alfonsus a Castro libro decimotertio, referunt: qui existimarunt restitutionem rei iniuste ablatæ, non esse ad salutem necessariam; sed satis esse habere pęnitentiam, seu dolorem de commisso crimine: ita ut par sit ratio de hoc & de alijs peccatis. Sacerdotes autem, qui huiusmodi doctrinam tradebant, fures oleo iniungere, & ad aliquam rapinæ partem sibi dandam obligare solebant: iuxta prouerbium, quod Lampridius in vita Alexandri Seueri refert: ὅς τις ἂν πολλὰ κεκλόπηκεν, ὀλίγα δὲ τοῖς βοηθῆν, σῶος ἔσαι. idest quicunque multa rapuerit, pauca autem suffragãtibus dederit, saluus erit.

Huc referres etiam eorum stultam sententiam, qui uoluerũt omnia bona debere esse omnibus communia, de qua re alibi dicam fusius, cum de dominio scribam. Huc etiam pertinet error eorum, qui affirmarunt, furtũ,

non

non esse malum, ut de Germanis refert Iulius Cæsar, & apud Lacedemonios res aliorum mobiles, impune occupare licebat. In quo etiam errore sunt nonnulli rustici, qui bona quæ præsertim in agris habentur, ut sunt arborum fructus, sine ulla culpa capi posse putant, existimantes hoc bonorum genus esse commune.

Nec prętermiserim, quod de Erasmo Sotus refert, cũ aliquãdo in illud Lucæ, Quod superest, date eleemosynam, restitutionis necessitatem negasse, aut infirmasse: quem tamen errorem seipsum emendans, in alia editione abrasit. Quod autem Lutherus, & eius sectatores de satisfactione, quæ est tertia ueræ pęnitentiæ pars, dicũt, eius necessitatem negantes, non est huius loci examinare. Vt autem quæ ad hunc locum pertinet exponam, hęc fundamenta pono.

Primum fundamentum, duobus modis dicitur aliquid esse necessarium ad salutem: uno modo tanquam medium, seu necessitate medij: altero modo necessitate præcepti. Id dicitur necessarium primo modo, sine quo nullo pacto potest contingere salus: qua ratione fides & gratia, sunt necessaria; quia sine his saluabitur nemo: id uero altero modo, sine cuius actuali susceptione, seu usu & executione, modo absit contemptus, homo saluari potest: vt est baptismi actualis susceptio, actualis peccatorum confessio, cum non adest ministri copia: tunc enim sufficit suscipiendi desiderium. Per salutem autem, non solum uitæ æternę consecutio, sed etiã iustificatio, & gratiæ adeptio post peccatum per pęnitentiam, intelligitur. Quare uidendum est, an aliquo ex his duobus modis sit necessaria restitutio, & si est necessaria, an utroque, an altero tantum, ad salutem utroque modo acceptam. Ex his alia colligitur restitutionis distinctio & propositę quęstionis sententia; quod sit dubitatio, uel de restitutione quantum ad actum, idest ut re fiat, uel quantum ad uoluntatem & desiderium restituendi, ut interdum satis sit restituendi uoluntas.

Secundum fundamentum, in quo explicanda est diui Thomæ sententia, quæ habetur in art.2.quęst.62.in 2.2. quo in loco de restitutione disputat. Animaduertendum igitur est, ea quę sub restitutionem cadere possunt, esse in duplici genere: alia enim iniuste fuerunt accepta, ut furto, & rapina: alia uero conscio & uolente domino; ut quę mutuo, & credito habentur: hac posita distinctione, Angelicus Doctor ait, solum ea esse restituenda, quæ primo modo accipiuntur, non autem quæ secundo; quod tamen est a uero alienum, cum hęc etiã restituenda sint. Adit etiam esse inæqualitatem uelle ea restituere, quę iuste accepta sunt: quod etiam uidetur a ueritate abesse. Propterea dominus Caietanus putauit hunc locum esse mendosum. At uero Sotus, libro 4. de iust.& iure, quæst.6.art.2. hunc in modum sancti Doctoris sententiam exponit. Cum aliquid iuste ab alio acceptum fuit, ut commodato, & credito, quousque tẽpus restituendi, aut soluendi non uenit, iuste retinetur, cum dominus hoc tempore non censeatur minus de suo habere, ac proinde interim non est ulla restitutione opus: cum uero suo tempore quod acceptum fuerat redditur, non tam restitutio, quam simplex mutui redditio, & pecunię solutio nominatur, cum nunquam de sua possessione & iure dominus fuerit deiectus: secus uero, si ultra tempus contra domini uoluntatem rem apud se habuerit, aut pecuniam non numerauerit. Quare proprie loquendo, solum restitutio eius rei esse dicitur, quę iniuste fuit occupata, aut ultra tempus inuito domino retenta. Et hinc est quod Beatus Thomas ait, in hoc tantum rerum genere esse necessariam restitutionem. Quod uero de inæqualitate dicit, intellige cum Soto, de eo, qui quod suum erat accepit, ut depositum suum, & laborum suorum mercedes, aut quod dono, uel alia simili ratione acceptum fuit. His iactis fundamentis, has adstruo conclusiones.

Prima conclusio, Præceptum de restitutione facienda, est preceptum naturali lumine cognitum. Hanc

concluſionem hac unica ratione confirmo: Furtum dam nandum eſſe, naturæ uiribus cognoſcitur: igitur & reſti tutionem eſſe faciendam: ſiquidem non reſtituere, eſt quoddam furtum facere. Quod autem furtum cum le ge naturæ pugnet, patet ex eo, quod apud omnes natio nes fures dannati fuere, & tanquã reip. hoſtes iure opti mo grauiſſime puniti: licet quibuſdam in locis ob depr auatam naturam, aliter obſeruatum fuerit. Et omnes quotquot fuerunt legis naturæ pręceptores, ut antiqui Poetæ, qui ijdem erant cum Theologis & Philoſophis, huiuſmodi uitium prohibuerunt, & tanquam reip. peſtem damnarunt: quorum aliquot auctoritates, ne multos hic ſine neceſſitate citem, uide apud Iuſtinum libro de Monarchia, & apud Clementem Alexandrinum libro ſexto Stromatum.

Secunda concluſio, reſtitutio earum rerum, quę iniuſtæ fuerunt ablatæ, eſt neceſſaria ad ſalutem conſequẽdam, ita ut nemo ſaluari poſſit, niſi reſtituat. Intelligenda eſt hæc concluſio de neceſſitate præcepti; ita, ut ſi quis poſſit reſtituere, & non reſtituat, non conſequatur ſalutem. Eſt hæc concluſio certa fide tenenda, con tra ſtultam illam Græcorum opinionem: quam concluſionem his rationibus confirmo.

Primo auctoritate ſcripturæ, Exodi c. 20. prohibetur furtũ: a quo non abſtinet, qui rẽ, quã iniuſte accepit, nõ reſtituit. Ezech. 33. negat Deus ſe penitentibus daturũ ueniam, niſi prius pignus, rapinamque, id eſt quod rapiẽ do acceperint, reddiderint. Tobias, ut in eius legitur hiſtoria, c. 2. cum uocem balantis hœdi, quem uxor attule rat, audiuiſſet, Videte inquit, ne forte furtiuus ſit: reddite eum dominis ſuis: quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Eccleſiaſtici c. 34. Im molantis ex iniquo oblatio, eſt maculata. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui uictimat filium in conſpectu patris ſui: Qui oſtendit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt. Denique Prouerb. capit. vigeſimoſexto. Qui cum fure par-

titur, vel participat, occidit animam suam.

Secundo, summorum Pontificum decretis, si tua culpa, ait Gregorius IX. est damnum datum, restituere debes, capite ultimo, titulo de iniurijs & damno dato. Alexander III. ait vsurarios cogi ad usuras restituendas, ob eam caussam, quod non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Est etiam celeberrima & ab omnibus approbata iuris regula, libro sexto, quæ ait, Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

Tertio auctoritate Sanctorum Patrum, Inuenta, ait Cyrillus, siue Origenes in Leuiticum lib. 4. non restituere, dicendo, mihi Deus dedit, est peccatum, & rapina. Si res aliena, ait Augustinus, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem vera agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatũ, si ut dixi, restitui potest. 14. q. 6. can. si res, & can. si quid, eadem causa, quæst. 5. Gregorius etiam decreuit, eodem loco, can. comperimus, vt qui alienam rem consecrauit, quæ restitui non potest, pretium restituat. Hieronymus tractans locum illum Prouerbiorum supra citatum, scribit, non solum furem esse reum, sed etiam eum, qui furti est conscius, si quærẽte possessore, non indicet: Quod Ledesma, & Sotus non de fure occulto, sed de furto intelligunt.

Quarto, ex naturali & omnibus hominibus insita lege, qua docemur, vt quod nobis nolumus, ne alteri faciamus: at nemo vellet sua, se inuito, ab alijs detineri: ergo quisque naturæ instinctu ad restituendum obligatur. Illud naturæ lumen, tanti fecit Alexander Seuerus, ut in eius uita refert Lampridius, ut cum aliquem puniri iubebat, & maxime fures, per præconem proclamari iusserit, quod tibi non uis, alteri ne feceris. Quam sentẽtiam, idem Cæsar in Palatio, in publicis operibus, inscribi curauit. Apud Tirhenos, referente Hieracle, libro de politijs, Pueri eum, qui æs alienum conflasset, & non persoluisset, vacuum marsupium gestantes, εἰς δυσωπίαν, id est ignominiæ causa, insequebantur.

Quin-

Quincto, ideo fures damnantur, quia, nocumentum alijs iniuſte inferunt: at idem faciunt qui non reſtituũt: igitur. De furto talis lex fuit apud Locros, ut Hieracles eodem libro ſcribit, ut ſi quis in furto deprehēderetur, oculis priuaretur. Et cum Zeleuci principis filius furti reus ageretur, & a Locris abſolueretur, id non permiſit pater; ſed unum ſibi, & alterum filio oculum effodit.

Sexto, iuſtitia eſt neceſſaria ad conſequendam ſalutem, ſicuti & aliæ uirtutes, cum ſiue uirtutibus ſalutem conſequatur nemo; igitur & reſtitutio, quæ eſt iuſtitiæ effectus.

Septimo, ſi contraria ſententia in humanam remp. introduceretur, maxima inde orirentur incommoda; & pauci eſſent qui a furto, præſertim occulto, abſtinerent: & ita publica tolleretur pax, ad quam conſeruandam quiuis, quantum in ſe eſt, naturæ lege obligatur.

Tertia concluſio, Rerum quę iuſto titulo ſunt acceptę reſtitutio, ſuo tempore, eſt ad ſalutem neceſſaria. Eſt concluſio fide tenenda; quæ præterquam quod patet ex ijs, quæ diximus, his rationibus confirmatur.

Primo, hãc ueritatem nos docuit Dominus, cũ dixit; Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quę ſunt Dei, Deo, Matt. 22. & beatus Paul. ad Rom. 13. cũ ſcribit, Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem, cui honorem honorem. Nemini quicquam debeatis; niſi ut inuicem diligatis. Particulam illam, Niſi, Chryſoſtomus & Auguſtinus exceptiue explicant, hoc eſt, hoc tantum debitũ maneat apud uos, ut inuicem diligatis: cũ hoc ſit quoddam debitum perpetuo ſoluendum, & nunquam perſoluendũ. At uero Sotus & Ledeſma dicunt facere ſenſum expoſitorium, ideſt potius inuicem ametis. Nam, cum rem alienam retinere cum caritate pugnet, admonet Apoſtolus, vt nihil cuipiam debeamus, ſed potius omnes ſincere amemus.

Secundo, qui rem iuſto nomine acceptam ſuo tempore non reſtituit, vſurpat alienum inuito domino; at

hæc est ratio propria furti lege naturali,& diuina prohibiti,igitur.

Quarta conclusio,actualis restitutio est necessaria necessitate præcepti,non autem necessitate medij. Declaro, potest aliquis salutem consequi, etiamsi restitutionis præceptum non seruet, non ex contemptu, sed ex impotentia; quia non habet unde restituat. Doctrina est certissima, ob eam rationem, quia nemo obligatur ad id quod prestare nequit. Lege pulcherrimam Augustini auctoritatem can. si res, supra citato, sumptam ex epistola, que est ad Macedonium. Verum, si ob suam culpam factum est, ut non potuerit restituere, huius culpæ pœnam luet.

Ex qua doctrina inferre licet, non esse vllo modo verum, quod multi imprudenter dicunt, animas eorum, q. licet non restituerint, curarunt tamen restitutionem fieri; non liberari a purgatorio donec restitutio ab eo fiat, cui commissa fuit, ueluti ab hærede. Esset enim contra diuinam iustitiam, si quispiam puniretur ob alienã culpam, vnde etiam sequeretur, quod si heres nunquam restitueret, ille nũquam a pœnis liberaretur, nec salutem consequeretur: quod affirmare est omnino stultum. Verum tamen est, quod si negligenter restituendum curauit, penas de sua negligentia dabit. Quo fit, ut inepte ad suam opinionem confirmandam, isti regulam illam ex Augustini doctrina collectam, afferant, Peccatum nõ remitti, nisi restituatur ablatum: quia, hoc pronunciatũ intelligendum est de remissione culpe in hac uita, non de remissione pœnæ in alia. Implicat enim remissam esse culpam, & penam persolui non posse.

Quincta conclusio, Qui est in peccato mortali non potest fieri iustus, & salutem per gratiam consequi, sine animo saltem restituendi, cum poterit. Est conclusio fide tenenda, quæ hoc pacto confirmatur.

Primo, omnibus rationibus quas attulimus pro secunda conclusione: quia est par ratio de salute æterna, & de gratia, qua acquiritur ius ad uitam æternam, quæ est

veluti gratia consummata, vt Doctores loquuntur.

Secundo sine contritione, cum proposito de non peccando, non remittitur peccatum: at qui non habet animum restituendi, non est ita affectus: igitur nisi debitor habeat restituendi uoluntatem, nunquam ex impio, fiet iustus.

Tertio, ex illa egregia Augustini sententia, quam supra citaui: vbi ait, non agere ueram pęnitentiam, sed simulare eum, qui cum possit reddere, non reddit.

Sexta conclusio, Nemo debet velle sibi restitutionem fieri, cum is qui debet restituere, non potest: quoniam iste non restituendo, non censetur rem inuito domino retinere: quando autem fieri potest, si quis nolit sibi fieri, opus est perfectionis, ad quod Epictetus in suo Enchiridio homines hortari uidetur. Vt autem, quæ diximus, adhuc magis confirmentur, allata soluamus argumenta.

Ad primum, ideo Hebræi potuerunt iuste accepta vasa non restituere, quia Ægyptij non dederant eis mercedem pro suis operibus: & non poterant alia uia quod sibi debebatur recuperare: adde etiã, quod Deus id eis præceperat: Deus autem, ut rerum omnium dominus, potest transferre dominia.

Ad secundum, negatur antecedens: neque probatio quicquam valet: dicuntur enim res communes de lege naturæ, vt doctores loquuntur, negatiue; quia natura res indiuisas reliquit: eadem tamen naturæ lex dictat, ut rerum diuisio fiat: & ita de iure gentium, vel, vt Iurisperiti loquuntur, de iure naturæ secundario, rerum diuisio facta fuit, quam Deus approbauit. Est itaque error in fide, affirmare nõ licere habere aliquid propriũ, & omnia bona debere esse cõmunia, vt alias latius probabitur in materia de dominio, 24. q. 3. can. quidam. Quod autem ad Clementis auctoritatem attinet; dicerem primum textum illum fuisse corruptum: vnde in posterioribus editionibus talia uerba non reperiuntur. Deinde, non loquitur de rerum communione vniuersę,

sed de ea,quæ debet esse inter eos,qui uolũt uitam apostolicam,& perfectam traducere,eo modo, quo olim illi primi Christiani faciebant. lege Adr. in responsione ad secundam rationem. Quando autem Philosophi dicunt,amicorum bona debere esse communia,intelligũtur de communione quantum ad vsum : quia per uirtutem,liberalitatis & caritatis debent fieri commũnia, ut sapienter secundo politico docet Aristoteles.

Ad tertium,de ijs,qui non habent unde restituant, iã diximus,ex Augustini doctrina,quid sit sentiendum: de eo vero casu,cum non potest fieri restitutio sine iactura famæ,dicemus inferius,loco magis idoneo; nunc autem dixerim,posse fieri per tertiam personã,& occulte.

Ad quartum,quod attinet ad depositum furiosi, naturæ ratio dictat,ut ei non restituantur arma,cum id & ipsi,& reipub.sit vtile:expedit enim reip.ne quis re abutatur sua. Ad illud,quod rei restituendæ dominus teneatur consentire,inquit Adrianus,opus esse vt ei, qui rem habet,constet dominum consentire, vt sit tutus in conscientia quæ responsio:quibusdam non satisfacit: vnde melior est hæc alia eiusdem auctoris solutio. Neminẽ esse obligatum sub peccati pœna ad exponenda bona tẽporalia pro salute spirituali alicuius, nisi quando sunt ad hunc finem omnino necessaria; quod non accidit in proposita materia; in qua solum dicuntur esse necessaria ex suppositione,posita nimirum malitia illius, qui non vult restituere,quam malitiam si deponeret,vt deponere est obligatus, iam nulla appareret necessitas. Idem accideret in hoc casu,si quis ex improbitate cuipiam diceret,meipsum necabo, ni mihi centum nũmos aureos dederis. Secus dicendum esset,vt idem adnotauit auctor,si quis ex impotentia, seu infirmitate id uellet efficere,nisi sibi subueniretur.Vt si qua uirgo ex inopia vellet suum corpus prostituere : uel aliquis egenus ob creditorum vexationẽ,omni auxilio destitutus, vellet se occidere.

Ad quinctum,quid sit dicendum,planum est ex secun

do fundamento,& ex tertia conclusione. Manifestum itaque est aliquod esse de restitutione facienda præceptum: de quo quale sit, & vbi contineatur quæri solet; qua de re sequenti disputatione agemus.

An de restitutione sit certum præceptum, qualeque sit, & vbi contineatur, Quæst. VI.

TRIA in hac disputatione, vt ex titulo patet, a nobis queruntur, quæ cum facilia sint paucis explicabimus, quę autem dubitationem faciunt argumenta, hęc sunt.

Primo, si quod esset de restitutione præceptum, contineretur in decalogo, quem qui seruat, salutem cōsequitur, iuxta illud, si uis ad uitam ingredi, serua mandata: at in præceptis decalogi non ponitur restitutio; igitur. Quod si dicas, contineri sub pręcepto, Nō furaberis, id falsum esse uidetur, ut secunda ratione demonstrabo.

Secundo, si de restitutione est præceptum, illud debet esse affirmatiuum; quia non obligat pro omni tempore, vt præcepta faciunt negatiua: quare, cum affirmantis, & negantis præcepti natura sit omnino diuersa, unum non continebit alterum.

Tertio, restitutio est bona quædam operatio: bonæ autem actiones non prohibentur, sed imperantur: restituendi igitur pręceptum affirmatiuum erit: quod tamen nullibi expressum reperitur, & pręsertim in decalogo, vbi poni debuisset, cum ibi omnia necessaria ponuntur præcepta. Quare, uel nullum est de restituendo mandatum, aut si est, erit præceptum nouum: de qua re duæ sunt scriptorum sententię.

Prima eorum, qui existimant esse præceptum speciale, affirmatiuum: quod tamen reducitur ad pręceptum decalogi, Non furaberis, quod est negatiuum. Ita diuus Thomas 2.2.q.62.art.8. Sotus lib.4. de iust.& iure, q.6.artic.2.& Ledesma in 2.par.quarti sent.q.18.art.2.

Secunda aliorum, qui existimant, præceptum de restituendo

stituendo, esse idem cum præcepto, Non furaberis, ita Alexander Alensis, 3. par. quęst. 86. Subtilis Doctor, 4. senten. distin. 15. quæst. 2. art. 4. Ioannes Maioris, ea dem dist. q. 26. Ioan. Medina, q. 2. Cod. de rebus restit. & est communior sententia. Quæ autem probabilior nobis uideatur, quibusdam fundamentis, & conclusionibus breuiter exponemus.

Primum fundamentum, inter alias diuisiones in quas diuinæ legis præcepta diuidi solent, ea est, quod alia affirmatiua, alia negatiua dicuntur: illis præcipitur aliquis actus, ut cum dicitur, honora parentes: his vero prohibetur; ut, Non occides: in illis peccatur omittendo, id est, non faciendo, quod iubetur: in his committendo, cũ fit, quod uetatur. Inter hæc duo pręceptorum genera, illud potissimum solet assignari discrimen, quod affirmatiua obligant ad semper, sed non pro semper, ut scholæ loquuntur: ac si diceretur, obligare quandocunque sese offert occasio, aut tempus seruandi illud præceptum, non autem cum occasio obseruandi abest: uerbi gratia, tunc debeo honorare parentes, cum erit tempus & occasio honorandi, cum aliquid præcipiunt, cum aliqua re egent, non autem quocunque temporis articulo. At uero præcepta negatiua, obligant ad semper & pro semper: itaque neque occasione data, neque remota occasione, debeo uelle occidere. Quo loco animaduertendum est, quod subtiliter, & uere subtilis adnotauit Doctor, pręceptum de restituendo, eo modo, quo pręceptũ est, semper obligare. Etenim hæc est huius præcepti substantia, ne alienã rẽ inuito domino retineamus, pro eo nimirum tempore, quo dominus cum ratione potest uelle sibi rem suam restitui. Quo fit, ut quando aliquis non habet, unde restituat, & quando dormit, & uniuerse, eo tempore, quo restituere non potest, non peccet, nec peccatum aggrauet, quia non retinet inuito domino. Ex qua doctrina facile solueres argumentum eorũ, qui tenent esse præceptum affirmatiuum, quia si esset negatiuum, semper peccaret, qui non restitueret; quod est

fal-

falsum, quæ consequentia ex allata ex Scoto doctrina facile soluitur.

Secundum fundamentum ex doctrina Adriani quęst. 1. de restitutione desumptum, negatiua præcepta duplicem includunt actum, alterum negatiuum, quem principaliter prohibent; alterum affirmatiuum, quem consequenter iubent: cuius ommissio ęquiualet actui negatiuo prohibito. Vt ecce, præceptum, non occides, non solum prohibet occisionem; sed etiam imperat, ne ommittamus illos actus, qui si prętermittantur, sequitur occisio: quare, cum pręcipitur ne occidamus, præcipitur etiam, ut proximum a morte liberemus, cum possumus, & debemus. Quam doctrinam probat Adrianus, primũ ex Symmacho, qui ait, Mortem languentibus probatur infligere, qui hanc cum potest non excludit. Deinde, ex Ambrosio dicente, Pasce fame morientem; quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non paueris, fame occidisti: can. pasce, dist. 86. Denique ex Hieronymo, qui moriturus, referente Eusebio, hæc inter cætera fratribus dixit. Eum esse homicidam, qui fratrem uiderit errantem, & mortalibus oppressum criminibus, & non ministrauerit ei uerbum doctrinæ, qui doctus est, homicida est, & sine caritate, timeatis, o Doctores, & Rectores, quibus iniungit Dominus prædicationis officia, & cæt. Vnde recte infert Adrianus, hominem aliquando peccare ommissiue in præcepto negatiuo, ratione illius actus, qui in tali præcepto secundario præcipitur. Ad rem itaque nostram, cum dicitur, Non furaberis, non solum prohibetur actus furandi, sed etiam præcipitur restitutionis actus, ut si quid raptum fuerit, restituatur. Quam doctrinam etiam obseruare licet in pręcepto affirmatiuo; nam cum Deus præcipit, ut Sabbatha sanctifices, hoc est, ut dies festos colas, non solum iubet, ut ei debitum in his diebus cultum exhibeas, sed etiam prohibet, ne opera exerceas seruilia. Quo loco illud etiam adnotauerim, esse diuinæ scripturæ phrasim, ut sub prohibitione, seu pręcepto negatiuo, intelligatur etiam af-

firmat-

firmatiuum, & econuerso. His positis, ad propositam difficultatem hisce conclusionibus respondeo.

Prima conclusio, utraque opinio est probabilis, & nihil est in hac quęstione fide tenendum, siue dicas esse nouum & affirmatiuum praeceptum, siue esse idem cum illo, Non occides. Ni uelis cum quibusdam dicere, nec esse affirmatiuum, nec negatiuum, sed praeceptum quoddam mistum ex affirmatione, & negatione. Dicunt enim aliqua esse praecepta pura, seu simplicia, quae continent solam affirmationem, uel negationem: aliqua uero mista, quae aliquid affirmationis & negationis habent, ut hoc de restitutione pręceptum, quo iubemur, restituere, & non retinere.

Secunda conclusio: si ponatur ut distinctum praeceptum, ab illo, Non furaberis, adhuc ad illud reduci debet. Quoniam omnia alia praecepta, quae extra decalogum traduntur, ad illa, tanquam ad prima quaedam naturalis doctrinae practicae principia reuocari a Doctoribus solent, ut alias, in nostra introductione ad Theologiam, diximus. Cũ ergo restitutio sit quoddam legis naturae praeceptum, ad illa reuocari debet: at, ad nullum aliud reduci posse uidetur, quam ad istud, cui aequiualet, cum idem sit reddere, quod non furari, igitur.

Tertia conclusio, probabilius est praeceptum de restituendo esse idem cum illo, de furto non faciendo.

Primo, quia uidetur esse communior scriptorum opinio, quam Nauarrus confirmat ex cap. saepe, de restitut. spoliatorum, & can. si res. 14. q. 6.

Secundo, ex ijs, quę adnotata sunt, & ex diuinae scripturae phrasi, quae multis in locis ad ueram sententiam percipiendam animaduertenda est. Sacrae enim literae, Hebraeorum consuetudine, ita loquuntur, ut dum aliquid negant, eius etiam contrarium iubeant.

Tertio, ex eo, quod praeceptum de restituendo, aut semper obligat, aut aggrauat, nisi executioni mandetur, quod est praecepti negatiui proprium, igitur.

Quarto, quia unum & idem naturae lumen, seu una

& eadem ex principijs a natura insitis deducta conclusio, docere uidetur, ut non furemur, & ut restituamus, cum non restituere, sit furari.

Quarta conclusio, Præceptum non furaberis, licet sit negatiuum, continet tamen affirmationem, ut præceptum de restituendo negationem, ut diuus Tho. scribit.

Quincta conclusio, qui non restituit, cum potest, & restituendi datur occasio, & cum nouum actum, seu uoluntatem, & propositum de non restituendo habet, nouum committit peccatum: alias, dum est in mora, solum aggrauat peccatum. Patet ex communi doctrina, quæ de negatiuis præceptis traditur: de qua re inferius loco magis idoneo disputabitur latius. Atque his conclusionibus satis sit huic difficultati factum: argumenta facile ex dictis soluuntur.

Ad primum, cum præceptum de restituendo sit idem cum illo de non furando, constat contineri in præceptis decalogi: uel si non continetur reducitur, cum idem ualeat, ut est dictum.

Ad secundum, dicimus esse idem cum negatiuo, quod in se implicat etiam affirmationem, ut explicatum fuit.

Ad tertium, qui negat aliquid faciendum, iubet etiã id, quod, si non fiat, non abstinetur ab eo, quod prohibitum est, ut secundo fundamento diximus. Quare nõ est necesse ut sit distinctum præceptum affirmatiuum de restitutione, prẹter illud negatiuum, de furto non faciẽdo.

Ponuntur fundamenta quædam necessaria ad recte explicandam & intelligendam totam materiam de restitutione. Quæst. VII.



Vna nobis restat disputatio ex iis, quas ad uniuersam de restitutione materiam clare explicandam, planeque intelligendam proponendas esse duximus, in qua, sine ullis argumentis, quędam alia, quasi totius tractationis fundamenta, ponemus: in quorum primo omnium

bonorum

bonorum, quæ homines possident, in quibus aliquid damni capere possunt, diuisionem quandam afferemus. Cum ergo restitutio sit actus iustitiæ, qui exercetur circa rem alienam, ut sciamus quid restituendum est, oportet prius cognoscere, quę, & quot sint hominis bona, in quibus possit introduci per aliquā actionē inæqualitas.

Primum fundamentum, tria sunt vt Aristoteles libro septimo politico, capite primo scribit, bonorum genera quæ ab hominibus in hac vita possidentur: in quorum primo continentur, ea quæ sunt in animo, quæ spiritualia uocantur, ut sunt omnes animi dotes: in secundo bona corporis, vt vita, sanitas, pulchritudo, & corporis partes: in tertio bona externa quę fortunæ dicuntur, ut sunt diuitiæ, & opes.

Animi bona in duo subdiuiduntur genera; nam alia habentur a natura, & naturalia nuncupantur, ut sunt facultates naturales; intellectus, nimirum, & uoluntas, alia uero aduentitia, quæ de nouo ad naturam accedūt, quę dicuntur acquisita, ut sunt virtutum & scientiarum habitus. Hæc rursus in duplici sunt differentia, quædam uiribus naturæ acquiruntur, ut artium, scientiarum, & quarundam uirtutum habitus: alia diuinitus concessa, quæ dicuntur infusa, ut sunt Spiritus sancti charismata. Item, spiritualium bonorum alia sunt simpliciter ad salutem consequēdam necessaria, ut sunt gratia, & uirtutes; quorum bonorum contraria, nos salute priuant, ut uitia & peccata: alia uero non necessaria simpliciter, quę conferunt ad maiorem perfectionem acquirendam, & hec bona supererogationis, seu de consilio, dicuntur: ut religionem profiteri, omnia sua bona dare pauperibus, & id genus alia, de quibus nullum habemus preceptum, sed consilium.

Corporis bona, alia sunt simpliciter necessaria, ad corporis consistentiam, ut quædam corporis partes, sine quibus corpus nequit consistere: alia quæ solum faciunt ad perfectionem, & pulchritudinem, ut digiti & aures. In partibus autem corporis præter necessitatem, & perfectio-

fectionem spectandus etiam est earum usus.

Bonorum externorum, alia possidemus in aliorum animis, ut famam & honorem: alia uero in rebus ipsis, ut in agris, animalibus, & lapillis. Inter bona animi ac quisita, & corporis fortunæque bona, illud est discrimen, quod ad nostrum propositum pertinet, quod illa non possunt auferri nisi indirecte; ut consilio, suasione, & malo uitæ exemplo, & non sine consensu eius, cui auferuntur, ut August. libro de uera religione, docet: hæc uero etiam directe, & immediate. Tria itaque sunt, uniuerse loquendo, bonorum genera, in quibus detrimentum pati possumus, bona animi, corporis, & fortunæ: de quorum restitutione suo ordine disputabimus, si prius quę sit restitutionis origo explicuerimus, cuius rei caussa, nonnulla alia subijciam fundamenta.

Secundum fundamentum: restituendi obligatio, ut ex dictis constat, ex aliquo perpetrato oritur peccato; non ex quocunque, sed ex peccato contra iustitiam facto, per quod aliqua introducitur inæqualitas, quæ per restitutionem remouenda est. Quare, illud perpetuo in hac materia memoria retinendum est, neminem unquam ad restitutionem obligari, quantumuis peccet cõtra solam caritatem, nisi admisceatur peccatum quod aliquo pacto sit contra iustitiam, per inequalitatem, uim dolum, uel fraudem.

Tertium fundamentum, restitutio quandam includit obligationem ortam ex culpa contra iustitiam, quę obligatio duplex est, altera ciuilis, altera, naturalis: ea dicitur ciuilis, per quam contra obligatum, in iudicio, seu in foro externo agere licet: Quæ contrahitur, uel uerbis & literis, per stipulationem, & promissionem: uel re, & hoc pacto, uel ex delicto, ut furto, rapina, & extorsione; uel contractu, ut commodato, & locato. Naturalis ea dicitur, quæ in foro cõscientię obligat, etiã si per eam in externo foro agere non liceat. Quare, interdum aliquis potest esse obligatus ad restituendum in foro externo, sed non in foro interno; & contra: aliquan

do uero in utroque foro, ut in ipsa tractatione sæpe dicetur: hic has duas obligationes simpliciter distinxisse sufficiat, cum de eis sæpe facienda sit mentio.

Quartum fundamentum, uarijs modis potest aliquis nocere proximo in illis tribus bonorum generibus supra numeratis, uel impediendo, ne consequatur: ut si quis per fraudem impediret, ne alius consequeretur beneficium, uel dignitatem: uel quæ habet auferendo, aut præter domini uoluntatem retinendo; ut si quis furto, rẽ alienam surriperet, aut cũ est tẽpus reddendi domino, quod ab eo accepit, non restitueret, quod furti naturam sapit: uel detrimentum aliquod rei alienæ inferrendo; vt si quis rem alienam deteriorẽ redderet: uel denique, quando aliquis esset caussa cur alius, impediret, rem alienam acciperet, detineret, aut uitiaret, ut si quis uerbo aut opere efficeret, vt alius noceret, aut si nocumẽtum, cum posset, non impediret. Ex quibus colligere licet, obligationem restituendi, vniuerse loquendo, ex duplici capite oriri, nimirum ratione acceptionis, seu retentionis, siue quis per se accipiat, siue sit causa cur alius faciat: & ratione rei acceptę, cum quis habet rem, quę est restituenda, quam ipse non accepit: vt si quis rem alterius inuenisset, aut bona fide a fure emisset, qui non ex acceptione, sicuti fur, sed ex re accepta, cum sit alterius, restituere deberet. Qui est obligatus ex acceptione, semper debet restituere, siue rem habeat, siue non: qui uero tantum ratione rei acceptæ, solum tenetur reddere, si rẽ habeat. Siquidem in restitutione duo spectantur, rei substantia quæ accipitur, aut retinetur, vitiaturve, & ipsa acceptio, iniustaque retentio. Hi itaque sunt duo fontes, ex quibus omnis dimanat restitutio.

Quinctum fundamentum, quattuor modis acquiruntur ea, de quibus potest esse dubitatio, an sint restitutioni obnoxia. Quędam acquiruntur contra uoluntatem domini & contra legem; vt quæ furto, & quasi furto, rapinave accipiuntur. Quædam contra uoluntatem domini, sed non contra legem; ut quæ per præscriptionem

alio-

aliove legis beneficio, & auctoritate: quędam ex domini voluntate, sed contra legem; ut quæ ex turpi uel iniusta caussa, ut quæ per ludum, & meretricium, & per opera contra iustitiā præstita : quædam ex domini uoluntate, & lege, vt quæ dantur ex domini voluntate conditionata, & modificata, si conditio non impleatur : de quibus omnibus diuersis in locis suo ordine disputabitur.

Sextum fundamentum in quo breuiter ob oculos totius tractationis ordinem proponam. Totus hic tractatus, si res ipsas restituendas spectemus, ad tria reuocatur capita : nimirum ad restitutionem bonorum animi, corporis, fortunæ, de quibus hoc eodem ordine a nobis disputabitur. Primum itaque de restitutione bonorum animi agemus, cum de hac re pauciora scribenda sint. Deinde de restitutione ob damnum illatum in bonis corporis. Postea de restitutione famæ, & honoris. Postremo loco de restitutione bonorum externorum, quæ priuatim fortunæ bona dicuntur, de quibus latissime hoc ordine disputabimus. Primum quid, & quantum, seu quę restituenda sint late docebimus: Deinde, quis priuatim restituere debeat; Postea, cui facienda sit restitutio: Post hæc ubi sit facienda: Pręterea quando fieri debeat: Iam uero, de caussis, quę possunt hominē ab obligatione restitutionis liberare: Postremo quo ordine restituendum sit. Et hęc sunt pręcipua rerum tractādarum capita, sub quibus varię continentur disputationes, quas suis locis examinabimus. His adhunc modū pręmissis nunc latissimam & ualde implicatam restitutionis materiam aggrediamur.

An in bonis animi detrimentum inferri possit. Quæst. VIII.

PROPOSITIS ergo & explicatis ijs quęstionibus, quas ad late patentem, difficilemque restitutionis materiam plane tractandā, & cognoscendam, pręmittendas esse duximus, sequitur, ut rem aggrediamur ipsam, in qua om-

nis uersatur restitutio. Et quoniam iuxta propositam nobis methodum de bonorum animi restitutione prius disputandum est, & nulla de re possit esse restitutio, nisi sit detrimenti capax; ideo priore loco hanc disputationē proposuimus, cum in re quæ in quæstionem uertitur, scriptores minime consentiant. Quod igitur in bonis animi, uniuerse de eis loquendo, detrimentum inferri nequeat, his demonstratur rationibus.

Primo, hæc bona, cum sint in animo, non possunt aliqua humana actione attingi, sicuti bona corporis, & fortunæ; non sunt igitur alicui iniuriæ, uel dāno subiecta.

Secundo ex his bonis aliqua sunt infixa naturæ, ita ut auferri, aut lædi nullo modo possint, ut intelligendi, & memorandi facultates: quare non sunt ullius nocumenti capacia, quare, nec restitutionis.

Tertio, animi bona, quæ de nouo, vel hnmana ui, uel diuino munere accedunt, sola hominis uoluntate, & diuino auxilio acquiruntur, & conseruantur, ergo nulla extrinseca uiolentia, uel caussa auferri possunt.

Quarto, pudicitia, & uirginitas, quæ est bonum quoddam animi, magis, quam corporis, non potest auferri, cum nulli uiolentię sit subiecta; igitur nec alia animi bona: quod sumptum est multis posset probari auctoritatibus, quas habes apud Gratianum cauf. 32. quęst. 5. Virgo, ait Ambrosius, prostitui potest, adulterari non potest: aliena libido non polluit: si polluit, non est aliena. De pudicitia, quis dubitauit, quin ea sit in ānimo cōstitutam? quandoquidem uirtus est. Vnde a uiolento stupratore, nec ipsa eripi potest: lege eodem loco alias ad idem probandum sententias. Et quoniam inter Doctores dubitari solet, an magis sit peccatum nocere in bonis animi, quam in bonis corporis, nunc aliis rationibus probabo esse semper maius malum nocere in bonis animi.

Quincto, qui damnum infert in melioribus bonis grauius peccat, cum maior fiat iniuria, & detrimentum inferatur maius: at animi bona sunt longe maiora

ra, quam bona corporis, & fortunæ, igitur.

Sexto ex Gregorio, cuius auctoritas habetur can. Ex merito, 6. quęst. j. Deteriores sunt qui uitam moresq; bonorum corrumpunt, iis qui substantias aliorum, prædiaque diripiunt igitur.

In hac ergo disputatione duo quæruntur, alterum, an possit damnum capi in bonis animi: alterum, an sit maius peccatnm in hoc bonorum genere nocere, quam in aliis.

De primo, fuit prima opinio Doctoris subtilis in dist. 15. quarti. quæst. 4. affirmantis in bonis animi naturalibus non posse inferri damnum, cum sint corruptionis expertia.

Secunda aliorum, qui existimant posse inferri aliquod detrimentum.

De secundo, Adrianus in quęst. de restit. bonorum animi, asserit esse maius peccatum. At uero Sotus lib. 4. de iust. & iure. quæst. 6. art. 3. docet non semper esse grauius peccatum, ut in ipsis conclusionibus explicabo, quas, cum nihil notandum occurrat, statim subiiciam.

Prima conclusio, in bonis naturalibus animi aliquod damnum inferri potest. Conclusio est certissima, quia per aliquod malum medicamentum, data opera, potest quispiam aliquem priuare usu rationis, ingenium hebes reddere, & denique memoriam offendere, igitur.

Secunda conclusio, in bonis animi humano studio acquisitis, ut sunt scientiarum, & artium habitus, potest detrimentum capi. Hęc cōclusio eadem ratione, qua prima, confirmatur. Quare, si quis in his bonis damnum inferret, teneretur primum per aliquod contrarium medicamentum, si fieri posset, eum quem lęsit in pristinum statum restituere: deinde, si id fieri nequit, aut opera adhibita, non succedat, omnia damna, pro arbitrio boni uiri, sarcire debet.

Tertia conclusio, in bonis spiritualibus animi quibus recte uiuimus, ut sunt uirtutes, & dona diuinitus infusa, siue sint per se necessaria ad salutem, siue utilia, potest

aliquo pacto detrimentum inferri. Declaro, potest quispiam, mala doctrina, aliquem a recta fide reuocare : ad perdite uiuendum inducere: malo consilio a bono proposito retrahere : malis denique artibus in desperationem adducere : quamuis non sine aliquo eius cui nocet consensu. Quo fit, ut, tali illato nocumento, & tali facta iniuria, aliqua sit opus restitutione, ut sequenti disputatione dicam.

Quarta conclusio, lædere in bonis spiritualibus, quantum ad culpam, & amissionem gratiæ, seu aliquem inducere ad peccandum, ex se, & cæteris paribus, est maius peccatum, quam in quouis alio bonorũ genere nocere.

Primo, hanc conclusionem confirmat auctoritas illa grauissima Gregorij, in quarto argumento citata: eandem fere sententiam habes can. Deteriores ex Anacleto Papa, eodem loco.

Secundo, quoniam huiusmodi bona sunt longe maiora, & sunt magis nostra, & magis necessaria, ita ut alia bona cum his comparata, possint dici non bona, cum bonum gratiæ unius hominis maius sit, quam bonum naturæ totius uniuersi, ut prima secundæ quæst. 113. art. 9. docet Diuus Thomas. Quare maius est peccatum ex se, hominem ad peccandum inducere, quam eundem occidere.

Quincta conclusio, non semper grauius peccat, quã lædit in bonis spiritualibus, quam qui in corporalibus, aut externis. Intelligitur hæc conclusio de bonis ad salutem & uitam spiritualem proxime pertinentibus. Nanque grauitas peccati, perpendenda est ex grauitate iniuræ, quæ infertur proximo : hæc autem multo maior est cum per uiolentiam auferuntur bona corporis, & fortunæ, quam cum quis inducit aliquem ad peccandum, unde patitur damnum in bonis animi : quoniam ibi intercedit uiolentia; hic uero adest aliqua uoluntas, cum nemo nolens peccet: at, scienti & consentienti non fit iniuria, nec dolus, de regulis iuris lib. 6. & ff. eodem tit. ex Vlpiano, Consilij non fraudolenti nulla obliga-

ſio eſt. Vnde, vt loco citato adnotauit Sotus, minus peccat, qui precibus, & pretio, ſolicitat meretricem, uel aliquem inducit ad peccandum, quam ſi alterius rapiat bona, vel membrum abſcindat. Intellige hanc doctrinam, quando non induceret ad peccandum, cum hac intentione, ut ei auferet ſpirituale bonum, & ut priuaret Dei gratia, quia tunc eſſet grauius peccatum.

Vbi animaduerte, triplici modo poſſe quempiam alium ad peccatum inducere: uno modo ſpectando ſolã utilitatem, uel uoluptatem ſuam: alterò, ut ei noceat in bonis ſpiritualibus, ut ſi quis ex odio uellet proximum negare Chriſtum, & poſtea eum occidere: poſtremo, per fraudem & uiolentiam; quo modo hęretici decipiunt ignorantes. Quæ diſtinctio non ſolum declarat præſentem doctrinam, ſed etiam erit utilis pro ſequenti quæſtione: in qua adhuc clarius patebit, quod hoc loco quæritur.

Sexta concluſio, Minus nocetur in bonis, quæ ſunt ex conſilio, quam in ijs, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Doctrina eſt per ſe clara, & nulla probatione eget. Et cum his concluſionibus ſatis ſit huic quæſtioni factum, reſtat ut argumenta in contrarium allata diſſoluamus.

Ad primum, bonis quę ſunt in animo, ut ex dictis patet, noceri poteſt, dum nocetur corpori; dum quis per fraudem decipitur, & aliqua ratione a bono ſenſu & mente iniuſte reuocatur.

Ad ſecundum, licet quędam animi bona, ut ſunt potentiæ a natura tributæ remoueri & auferri nequeant: tamen earum vſus, per nocumentum corpori illatum, poteſt impediri.

Ad tertium, animi bona de nouo acquiſita, uel diuinitus data, ſunt nocumento ſubiecta ratione fraudis, & peruerſæ doctrinæ, ut paullo ante diximus. Et in habitibus ſcientiarum & morum, per corporis lęſionem, recipi damnum poteſt.

Ad quartum, quid dicendum ſit patebit inferius, cum de reſtitutione facienda ab eo, qui uirginem uiolat, agetur;

tur: nunc dixerim, posse per fraudem & errorem in hac uirtute, ut & in alijs cuipiam noceri.

Quinctum & sextum quo pacto soluenda sint, patet ex ijs, quæ in conclusionibus diximus: propterea nihil est, ut priuatim soluantur.

An qui nocet in bonis spiritualibus, quæ sunt in præcepto, teneatur ad restitutionem. Quæst. IX.

VT propositę quæstionis titulus intelligatur, hanc propono facti speciem: quidam pollicitationibus, uel minis, uel fraude perduxit proximum ad peccandum, unde passus est damnum ita graue, ut nullum grauius, & maius pati potuisset; quæritur, an iste ad aliquam obligetur restitutionem ex ui iustitiæ; ita ut saluari non possit, ni talem restitutionem faciat. Qua in re sunt duæ sententię probabiles, quas priore loco una cum suis fundamentis ponam: deinde adnotabo quędam: postremo, quid mihi uideatur probabilius, decernam.

Est igitur prima opinio Scoti. dist. 15. quarti q. 3. art. 1. Richardi de Media Villa ead. dist. art. 5. q. 2. Gabrielis eadem dist. art. 5. q. 2. de restit. Almai. eadem dist. Palud. ibidem: Adriani in quart. sent. in materia de restitu. in quæst. de restit. bonorum animi Antonini 2. par. tit. 2. c. 2. §. 1. & denique Archid. Angel. & Rosel. Hi doctores tenent partem affirmatiuam, quod sit obligatus ad restitutionem, seu compensationem: ita ut debeat eo meliori modo, quo potest, eum quem induxit ad peccandū reuocare ad gratiam, consilio, precibus, & oratione: addit Adrianus, si id animo nocendi fecit: addit rursus, neminem posse hanc restitutionem condonare, ut non fiat, sicuti restitutionem aliorum bonorum: quæ opinio his nititur fundamentis.

Primo, qui infert damnum in alijs bonorum generibus, est obligatus restituere, ut est communis, & uera omnium doctorum sententia; ergo etiam qui in hoc genere

nere

nere nocumentum affert, cum hæc sint maioris momenti bona.

Secundo, qui iuuat consilio ad furandum, & nocendum proximo in alijs bonis, tenetur restituere; ergo is etiam, qui dat consilium ad peccandum.

Tertio, a simili de eo, qui dat alicui uenenum, ut eum perimat, qui debet, quantum fieri potest, impedire ne mors sequatur, dando antidota; & post mortem, si posset, deberet ei uitã restituere: ergo pari ratione, qui propinat uenenum peccati, debet illud remouere; & si peccatum perpetratum est, eo modo quo potest, a spirituali morte, quem peremit, ad uitam reuocare. Et cùm hoc sit ualde difficile præstare, hinc patet quantum cuique cauendum sit, ne quem ad peccandum inducat: Vnde Ioannes Gerson sermone de pęnitentia, in cęna Domini, dixit esse unum ex illis peccatis, quę uix abstergi possunt. Atque hæc sunt argumẽta pro prima opinione.

Secunda opinio aliorum, qui duo docent, Primum ratione iustitiæ neminem esse obligatum ad restituẽdum pro damno illato in bonis spiritualibus, ita ut qui hoc damnum attulit non teneatur, uel hortari eum, quem induxit ad peccandum, ut resipiscat, aut pro eo orare. Alterum, ex caritate, & quodam maiore vinculo debere eum retrahere a peccato, ex vi præcepti correctionis, ad quod omnes, aliquo modo, sunt obligati; sed multo magis is, qui ad peccandum aliqua ratione proximum induxit. Ita Syluester uerb. rest. 3. q. 1. Sotus loco supra citato, Ledesma in materia de rest. Martinus Nauarrus in Manuali cap. 14. num. 32. Et fortasse est etiam sententia diui Thomę, qui nunquam de restitutione horum bonorum mentionem fecit. Hæc opinio his nititur fundamentis.

Primo, inducens ad peccandum, nihil per iniuriam ab illo aufert, cum ille sciens, & uolens peccet, cui, vt supra scripsimus, non fit iniuria: ergo, cum non intercedat iniuria, non violatur iustitia, ac proinde nulla oritur restituendi obligatio. Confirmatur, si quis solis pre-

cibus ab alio extorqueret pecunias;vi iustitiæ, non tene retur restituere ; ergo,neque is, qui ad peccandum fine ulla fraude induxit. Confirmatur in alijs bonorum generibus non fit restitutio,nisi quando damnum infertur inuito domino : at in re proposita dominus non patitur damnum inuitus,cum uolés peccet ; alias enim non esset peccatum,iuxta ea, quæ docet Gratianus 15. quæst. 1.in principio:igitur.

Secundo,nemo tenetur restituere id,quod non est in manu & potestate sua reddere : atqui nullus homo potest sua vi resarcire damnum per peccatum lethale inductum,iuxta illud,quod Ecclesiastes,c.7.ait,considera opera Dei,quod nemo possit corrigere,quem Deus despexit : igitur. Quod si dicas , eum esse obligatum ad præstandum id,quod potest , cum aliquid possit , dicerem non obligari : quoniam,cum iste possit per pœnitentiam ad bonam frugem redire , & tamen in peccato maneat,uidetur nolle sibi restitutionem fieri,si quæ fieri potest . Non secus ac si quis tibi reddere uellet , quæ te inuito accepit,& tu recipere nolles.

Tertio,ista restitutio interdum est impossibilis : ergo nemo ad eam obligari potest : si est uerum pronunciatum illud,quod est in ore omnium, Ad impossibile nemo tenetur,Quod sumptum fuit , hac facti specie probatur. Si quis virginem uiolasset , non posset pro hoc peccato restituere, cum uirginitas semel ablata , nulla ratione restitui queat. Quod si diceres,hunc hominem debere pro damno illato in bono uirginitatis, pecunijs satisfacere,ut interdum fit, in restitutione honoris & famæ : dicerem,id non esse necessarium, cum per legem Moysi traditam,Exodi ca.22. satis fit,si uiolator ei dotem dederit : ut omittam,quod talis restitutio nunquã fuit in vsu. Similiter,qui publice malo exemplo uarios homines ad uaria peccata prouocasset,ad multas & uarias teneretur restitutiones, quas facere impossibile esse uidetur. Quare,cum in hoc genere solum peccetur contra caritatem , & non contra iustitiam ; solum erit

obligatio

obligatio quędam ad hoc officium præstãdum, ex præcepto caritatis & correctionis nata.

Pro huius difficultatis explicatione, reuocanda est in memoriam distinctio illa proxima disputatione allata, quà dicebamus posse aliquem in his bonis nocere, vel solam utilitatem suam spectãdo, uel nocumentum eius, quem prouocat, sed sine fraude, vel cum fraude & dolo. Et quidẽ certe, si quis hoc postremo modo in bonis spiritualibus noceat, omnes doctores, conueniunt, eum esse obligatum, ex iustitia, ad remouendam fraudem: quam doctrinam declaro quosdam proponendo casus.

Primus, hęreticus qui per fraudem induxit aliquem in errorem, est obligatus canere palinodiam, & quantũ potest, per contrariam doctrinam & suasionem, reuocare ab errore eos, quos in errorem fraudolenter induxit. Quare, ei nõ sufficit dolor de commisso peccato, ut possit gratiam recuperare ni fraudem remoueat: neque ecclesia eum, sine hac satisfactione, seu restitutione recipit. Exemplum habes apud Grati. can. ego Berengarius de consf. d. 2.

Secundus, si concionator, uel Parochus, uel publicus Doctor palam dixisset aliquid non esse peccatum, quod uere est, uel contra: obligatus, est ad hanc fraudem seu errorem remouendum: vt si affirmasset, aliquem contractum non esse vsurariũ, qui re uera esset; uel simplicem fornicationem non esse graue peccatum, in quo nõ pauci sunt, qui grauiter errant.

Tertius, si quis retraxisset hominem ab ingressu alicuius religionis, eam falso uituperando, debet eundem ad idem propositum reuocare, laudando religionem illã. Denique idem dicas de eo, qui aliquem in desperationem induxisset, in quam Iobi vxor maritum suum, sed frustra, inducere conata est, cum ei dixit, Benedic Deo, & morere. Quorũ casuum & similium ratio ea est, quia intercedit iniustitia. Nulla itaque est dubitatio, cum fraus aut violentia adest, ad quam remouendã, ex communi opinione, qui eam induxit omnino tenetur. Dubium

bium igitur est, cum omnis abest uis atque fraus, siue ad sit intentio nocendi, siue non: Ad quam dubitationem soluendam pono has conclusiones.

Prima conclusio, Vniuerse loquendo, in rebus spiritualibus potest fieri restitutio. Est communis doctrina, & patet ex posito fundamento, quia potest intercedere iniustitia.

Secunda conclusio, qui aliquem induxit ad peccandum per uim, fraudemque tenetur ad restitutioné, hoc est ad reducendum eum, quem a suo statu, & bono animo, opinioneque remouit, in eundem statum, per fraudis, & uiolentiæ remotionem. Ita Scotus, Adrianus, Richardus, Iosephus, Nauarrus c.14.nume.32. & denique est communis opinio; ex qua primo allata doctrina confirmatur.

Deinde, quia damnum illatum possessori alicuius boni, eo inuito, sarciendum est: sed is, qui hoc damnum accipit patitur inuitus, quia decipitur, igitur.

Adde postremo, quia non solum sum in caussa per iniustitiam ut delinquat, sed etiam ut in peccato, & detrimento illato persistat.

Tertia conclusio, qui inducit ad peccandum sine iniuria, hoc est, omni remota ui & fraude, sed sola persuasione, debet ex pręcepto caritatis & correctionis, ex maiore quadam obligatione, & uinculo, corrigere eum, qué in peccatum induxit, si in eo perseuerat, suis tamen temporibus & occasione oblata: quare si occasio cum debitis circumstantijs non adsit, erit ab hac obligatione liber. Confirmatúr hęc doctrina ex communi sententia: & ex eo, quod hoc præcepto uniuerse omnes homines obligantur, iuxta doctrinam Christi apud Matthæum capite 28. ubi de corrigendo proximo, si quid in nos peccauerit, præceptum traditur.

Quarta conclusio, probabile est eum qui aliquem ad peccandum sine fraude inducit, non modo ex caritate, sed etiam ex iustitia esse obligatum ad aliquam restitutionem faciendam; eó modo, quo in hoc rerum genere

fieri

fieri poteſt. Poteſt ergo hæc doctrina probabiliter defendi cum prima opinione; quam his rationibus confirmares.

Primo, qui aliquem iniuria & damno afficit, debet eo meliori modo, quo poteſt, & quantum poteſt, damnum illatum remouere, & compenſare: ſed qui ad peccandum inducit, facit aliquam iniuriam, peccanti, & Deo, qui ob peccatum offenditur: igitur ea ratione qua poteſt, hanc inæqualitatem, & iniuſtitiam tollere debet.

Secundo, ſi quis ſuadendo eſſet in cauſſa ut ſeruus fugeret a domino, deberet quantum poſſet, illum ad ſuum dominum reuocare: igitur pari ratione, qui ſuadendo, ſeruum Dei ab ipſo remouit, debebit eundem ſuadere, ut ad Deum redire uelit.

Tertio, qui eſt in cauſſa ut ſubditus ſuo Principi iniuriam faciat, is proculdubio curare debet, ut ſubditus pro iniuria illata ſatisfaciat, ergo pari ratione, qui eſt in cauſſa, ut proximus Deum principem & dominum ſuū peccando iniuria afficiat, debet dare operam ut, per pęnitentiam debitum honorem Deo reſtituat.

Quarto, bona quę per peccatum ablata ſunt, non erant eius, qui peccauit, ſed Dei, a quo ob ſuam munificentiam homini donantur, in eoque conſeruantur, ut ſunt omnia ſupernaturalia dona, quibus homo fit iuſtus & amicus Dei: ergo non poſſunt ab homine auferri abſque Dei iniuria: quare ex iuſtitia reſtituenda.

Denique, cum ij qui contra ſentiunt, dicant eum qui hac ratione damnum intulit, quodam maiore uinculo eſſe obligatum ad correctionem faciendam, iſta maior obligatio non uidetur oriri, niſi ex eo, quod aliquam facit iniuriam, qua lęditur iuſtitia: igitur.

Quincta concluſio, contraria etiam opinio eſt probabilis, & optime defendi poteſt, eſtque tuta, & magis ad praxim accommodata. Habet enim pro ſe argumentum illud ſatis firmum, quia in re propoſita nulla intercedere uidetur iniuria, cum iſte ſciens & uolens peccet; &

uolen-

volenti non fiat iniuria,qua remota, omnis tollitur restituẽdi necessitas.Neq; hic proprie ulla iniuria fit Deo & si q̃ fit attribuẽda est ei q ex libera uolũtate peccat, cui bona illa a Deo data fuerãt,quæ custodire deberet.

Ad hoc argumẽtum, quod est huius opinionis Achilles solent qui contra sentiunt, & speciatim Adrianus, respondere,negando,uolenti nõ fieri iniuriam. Quoniã esto is,de quo loquimur,non inuitus peccet: tamen q̃a non peccaret,nisi alius incitaret: ideo aliqua,quamuis minor,intercedit iniuria. Sed hæc responsio non tollit argumentum, quoniam supponimus istum omnino uolentẽ & scientẽ peccare:&, sicuti non facit sibi iniuriã, cũ ex se solo peccat;similiter, nec iniuriãpatitur cũ ab alio inducitur, cum in sua libertate fit non peccare.

Respondetur præterea,saltem fieri iniuriam Deo, q̃ non consensit,ut iste sua proijciat bona: non secus ac si Pontificis, vel Principis Legatus aliquid vellet dare, quod sibi prohibitum fuisset: quo casu, qui reciperet, restituere deberet,iuxta doctrinam Gregorij X. c.exigit,de censibus, libro 6. vbi qui contra Pontificis decretum pro uisitatione pecunias recipit,ad restitutionẽ obligatur. Neque hęc responsio allatum diluit argumentum,cum simus in re dispari. Quoniam in exemplo allato,est manifesta ratio cur fieri restitutio debeat· quia Pontifex expresse prohibet talem donationem,ita vt nõ possit libere fieri,& si fiat,statuit ut restitutio fiat. At uero Deus ita præcipit homini,ne suæ gr̃æ iacturam faciat,ut eã libere facere queat Quare,cum Deus uelit hominẽ libere peccare, si nulla intercedat fraus non fit iniuria Deo,cum is, cui data sunt dona,uolens peccet.

Rursus, soluere conantur hãc afferẽdo instantiam: sinat quis sibi abscindi membrum; is qui abscinderet a rep.puniretur,non aliam ob caussam,nisi ob illatã iniuriam; igitur. Verum,ideo iste punitur, quia resp. lęditur in suo membro:cum homines sint reip.partes,quibus læsis,ipsa quoq; læditur, ac detrimentum capit.

Denique,sunt qui dicant re ipsa esse obligatum ad

reſtituendum; ſed quia is, qui peccauit libere in peccato perſiſtit, uidetur hanc reſtitutionem remittere, & propterea, qui induxit, eſt a reſtitutione liber. Cæterum, qui contra ſentiunt, dicerēt ex rei natura, non ex remiſſione eſſe a reſtituendo liberum.

Sexta concluſio, eſſet opus perfectionis & caritatis in tali caſu, eam facere reſtitutionem, quæ poſſibilis eſt; monendo ut reſipiſcat, & pro illo orando, bonaque opera illius cauſſa faciendo. Hæc concluſio procedit iuxta ſecundam opinionem, Atque hęc ſunt, quæ pro reſolutione huius quæſtionis dicenda habui.

Argumenta pro utraque parte allata, non eſt cur ſoluantur, cum vtraque opinionem probabilem efficiant. Ni uelis dicere, priora locum habere, cum aliqua intercedit fraus, poſteriora uero, cum fraus omnis abeſt.

Quod ſi priora intelligantur ſimpliciter, etiamſi dolus non intercedat, defendi prima opinio poterit, dicendo eſſe obligatũ ex maiore quodam caritatis uinculo vt expoſuimus; uel etiã ex iuſtitia, eo modo, quo fieri pōt.

An qui reuocauit aliquem ab ingreſſu religionis teneatur religionem ingredi. Quæſt. X.

INTER alias difficultates, quæ in materia de reſtitutione in bonis ſpiritualibus facienda, excitari ſolent, eſt hęc, quam nũc prę manibus habemus, quæ pertinet ad illud bonorum ſpiritualium genus, quod ad perfectionem refertur, ut ſunt bona quę ſub conſilio uobis facienda proponuntur; cum quis ingredi religionem ſtatuit, aut iam ingreſſus eſt, ſi ab aliquo retrahatur: poteſt itaq; eſſe dubitatio, tum de uolente ingredi, tum de eo, qui iam eſt ingreſſus. De qua re, quid ſentiendũ ſit, ſi interceſſit fraus, uel an teneatur ad ſuadendũ, vt ingredi uelit, ex proxima diſputatione patet: nũc qđ in dubiũ reuocatur, illud eſt, utrũ ſi ille, quē alius reuocauit, nolit redire teneatur ingredi. Quod aũt ingredi debeat, his ꝓbatur rõnibus.

Primo

Primo, cũ a religione abducitur is, qui ingressus erat, religio capit damnum, dum aliquo suo membro priuatur: igitur, si qui egressus est non reuertatur, is qui abduxit ingredi debebit, ut sicut damnum factum est unius personæ subductione, ita æqualitas fiat per alterius personæ restitutionem.

Secundo, ponamus istum, qui extrahitur esse solemni voto obligatum religioni; tunc sic arguo, per votum solenne aliquis consecratur Deo, non secus ac uasa diuino cultui per consecrationem, per quam transeunt in ordine rerum sacrarum, & non possunt amplius in prophanos usus conuerti, nec vllo contractu humano alienari: ergo pari ratione aliquis per uotum Deo & religioni consecratus, transit in rem diuinam; & ideo non potest absque iniuria auferri, & si auferatur restituendus est, uel in propria, uel in aliena persona.

Tertio, qui priuat dominum seruo, est obligatus eundem seruum, uel alium restituere, ut patet can. Seruus, distinct. 54. ex concilio Aurelianensi; ergo pari ratione qui priuat monasterium aliquo religioso, qui est ueluti religionis seruus, eundem, aut se restituere debebit. Cõfirmatur hoc argumentum exemplo cuiusdam Magistri Raimundi, qui cum extraxisset a religione nouitium quendam, ipse ingressus est.

Quarto, contra uero, videtur nullum esse peccatum suadere aliquem ne religionem ingrediatur: quoniam potest quis sine ulla culpa ingredi, & non ingredi; ergo potest alius id suadere, & dissuadere sine peccato. In hac proposita disputatione tres inuenio esse doctorum opiniones.

Prima opinio Petri Paludani 4. sent. dist. 15. q. 2. arti. 2. conclusione prima, qui ait eum, qui dissuasit aliquem a religione esse obligatum ad eundem suadendum, si id non potest alium introducat, si id non contingat, ipse ingredi debet: siue bono, siue malo animo reuocauerit. Idem docet Antoninus 2. parte titulo 2. c. 2. Sylu est. verbo restit. 3. q. 1. & citat Archidiaconum; Adrianus in q.

de

de restitut.bonorum animæ in respons. ad secundam cõfirmationem;limitat tamen Sylu.cum Archid. & Adriano quando animo malo faceret, vt noceret religioni, uel ingressuro; non auté,si ut sibi cósuleret: ut si is qué distrahit,esset distrahenti aut suis parentibus utilis.

Secunda opinio aliorum qui procedunt cum distinctione; de ingredi volente,& de ingresso:& de ingresso, an sit nouitius,an vero professus: & an animo nocendi religioni,uel religioso,an uero sine hoc animo id fecerit, Tunc dicunt,si non erat ingressus,& fecit bono animo,nihil cuiquam restituere debet. Si animo nocendi, si non erat ingressus, quia religio nullum ius in personam acquisiuerat,nulla est facienda ex hac parte restitutio: ingressurum autem ad bonum propositum reuocare debet. Si uero erat ingressus, idem sentit cum prima opinione,quod debeat, uel eundem,uel alium, uel se,restituere. Ita Angelus uerbo rest. 1. §. 1. Gabriel. 4. sentent.dist. 15.quæst. 15.artic.3. & Rosella. Scotus autem idem tenet de nouitio,quando perseueraturus erat quoniam iam cępit esse seruus religionis.

Tertia opinio Soti lib.4.de iust. & iure q.6.artic.3.& Ledesmæ in materia de restit.q.18.arti.2.qui Doctores, quos quidam alij recentiores sequuntur, affirmant neminem esse obligatum ad ingrediédum in religionem, quemcunque ab ea abduxerit,siue extraxerit,siue uolétem ingredi,siue nouitium,siue professum: quæ profecto opinio retinenda est, vt autem hęc difficultas plane explicetur,hæc pono fundamenta.

Primum fundamentum, ut per uarias conclusiones distincte respondeamus ad uaria capita, quæ sunt in hac dubitatione animaduertendæ sunt distinctiones, iam superius tactæ,quod aliquis retrahat, uel ante ingressum,uel post ingressum, uel ante annum probationis, uel postea: item,uel bono animo,quia putat id expedire ei,qui est ingressurus,uel malo,ut noceat,& hoc uel cum fraude,uel sine fraude; uel quia male sentit de religione,& de uotis monasticis: Vbi etiam distingueres

res

res de habente & nō habente religionis uotum. Rursus, cum de eo, quod restituendū est quærimus, uel possumus intelligere de restitutione personæ, id quod hoc loco priuate quæritur, uel de restitutione alicuius damni religioni illati, de quo seorsim alia disputatione agemus.

Secundum fundamentum, ex Aristotele libro quinto ethico, capite primo, quod alias per se bonum est, si uniuerse simpliciterque spectetur, cum adiunctis, siue circunstantijs consideratum, potest non esse bonum: & ut demus exemplum in re proposita, relligionis status bonus est, & multo melior, quam status secularis: sed tamen hic status potest non esse bonus huic, uel illi homini, hoc, uel illo tempore, & loco, & rursus in hac, uel illa religione. Quare, ut docte Angelicus doctor secundæ secundæ, q. ult. art. ultimo scripsit, de ingressu religionis uniuersæ consideratæ, non est necessarium consilium, cum certum sit esse meliorem statum: at uero, de ingressu in hanc, uel illam religionem, ratione huius, uel illius hominis, potest esse consilium, & suasio, ac dissuasio. His notatis, de re proposita has statuo conclusiones.

Prima conclusio, fieri potest, ut nullum sit peccatum suadere aliquem, ne intret religionem, & si ingressus est ut egrediatur, si id bono animo fiat.

Primo, quia id potest aliquando expedire, & uolenti ingredi, aut ingresso, & ipsi religioni.

Secundo, quoniam interdum aliquis tenetur non ingredi, aut egredi, si ingressus est; ut is, cui parentes alendi essent.

Tertio, quoniam, ut proxime dicebamus, potest esse dubium, an alicui expediat religionis status: quare ob probabiles rationes potest quis eum ab ingressu sine ulla culpa remouere, de quo est dubium, an ei religio expediat. Quo loco obiter monuerim parentes, ne filios, ob paternum affectum, a bono religionis proposito distrahant, cum hanc ob caussam id eis facere non liceat: sed hac de re alibi plura.

Secunda concluſio, reuocare a religione malo animo, ſemper eſt peccatum mortale: quia impeditur quod ex ſe eſt maius bonum.

Tertia concluſio, Reuocare a religione, ob hanc cauſſam, quod ſtatus religionis non ſit bonus, & magis bonus, quam ſtatus ſecularis, non modo eſt grauiſſimum peccatum, ſed etiam hæreſis. Hæc concluſio eſt certa fide tenenda, ſed alio loco latius probanda. Lege Alphon. a Caſtro lib. 10. de hęres. uerbo, Monachatus.

Quarta concluſio, qui bono animo ſanoque conſilio aliquem ab ingreſſu religionis reuocat, ad nullam reſtitutionem, uel religioni, uel ei quem retraxit faciendam tenetur. Non religioni, quia nullum habebat ius in talem hominem: Non religioſo, quia nullam ei fecit iniuriam, ſed potius eius utilitati conſuluit, igitur.

Quincta concluſio, qui animo nocendi impediuit religionis ingreſſum, ad nullam ex ſe tenetur reſtitutionem, ex rigore iuſtitiæ: quia nulla intercedit iniuria, cũ iſte libere conſentiat ſuaſioni, & religio nullum ius habeat in eũ, qui ingredi uolebat. De hac concluſione ſentiendum eſt, iuxta ea, quę ſupra diſputata ſunt, cur autem dixerim, ex ſe, patebit ex ſequenti diſputatione: quia ex accidenti aliqua fortaſſe reſtitutio faciẽda eſſet.

Sexta concluſio, qui retrahit a religione eum, qui haberet uotum religionis, ad aliquam maiorem reſtitutionem, uel ex caritate, uel ex iuſtitia faciẽdam eſt obligatus, iterum ſuadendo ingreſſum. Patet, quia iſte ex uoto eſt aliquo pacto magis addictus Deo, & religioni, quam ex ſimplici uoluntate: in quo caſu maior quędam iniuria fieret Deo, quam religioni.

Septima concluſio, ſi quis dolo, aut uiolentia impedit ingreſſurum, aut ingreſſum retrahit; tenetur ex iuſticia huiuſmodi impedimenta remouere. Eſt communis doctrina, & claret ex dictis: quam, una uel altera facti ſpecie, ſiue caſu, declaro. Si quis ergo cuipiam falſo perſuaſiſſet, ei non expedire religionis ingreſſum, is deberet talem fraudem remouere, demonſtrando aliter ſe

rem habere, ac ipse dixit. Similiter, si quis deterruisse aliquem a certa religione, dicendo illam esse nimis asperam, aut in ea peruerse uitam duci, & non ita esset, is hunc dolum remouere deberet. Denique, si parentes per uiolentiam impedirent filios, ex iustitia huiusmodi uiolentia tollenda esset.

Octaua conclusio, qui reuocauit aliquem, etiam professum, a religione, quocunque modo id fecerit, non est obligatus aut se, aut alium religioni restituere. Quae conclusio pro certissima haberi debet, quam multę confirmant rationes.

Primo, quoniam ista restitutio pugnat cum statu religionis, quę necessario requirit uotum: hoc autem debet esse uoluntarium, & spontaneum; at huiusmodi restitutio, ex se, non est spontanea: igitur.

Secundo, aduersatur consuetudini religionis, quam concilia approbant, ut ingredienti religionem detur annus probationis, ut possit accuratius uidere, an sibi religionis status expediat: quod tempus, in hoc casu, non posset, nec deberet assignari; cum iste ex ui restitutionis sit obligatus ingredi, & perseuerare.

Tertio, qui occidit Monachum, non tenetur seipsum Monasterio restituere: igitur multo minus qui aliquem e monasterio eduxit, cum de hoc sit spes, ut aliquando redire possit: quod sumptum fuit patet: quia alias ius canonicum, quod istum hominem excommunicat, & irregularem ineptumque ad religionem facit, pugnaret cum iure naturæ, & diuino, ex quo per te deberet se restituere.

Quarto, ista opinione posita, multa sequerentur incõuenientia, & absurda: mala igitur, Primum, quid si is qui retraxit esset matrimonio copulatus, cum non possit uxorem deserere? Qui profecto saluari non posset, Deinde, quid si esset ineptus & inutilis religioni? & non esset eo corporis habitu, quem status religionis requireret? Postea, quid si retrahens esset religiosus strictioris religionis, deberet ne ad laxiorem se cõferre? Præterea,

quid

quid si abductus esset parum vtilis, aut etiam nihil utilis monasterio, & is qui abduxit, ciuibus suis, & reipub. maxime vtilis? vt si Princeps, vel uir nobilis retraxisset religionis coquum, non ne restitutio ista esset iniusta, & inæqualis? Denique, sequeretur quoddam maximum inconueniens, contra naturam professionis, pro quo animaduerte; cum aliquis priuatur re sua, restitutio fieri debet ab eo, qui damnum intulit: quod si alia via damnum reparatum fuit, exempli gratia, ab amico eius qui damnum dedit, si is postea restitueret, debet rei sublatæ, aut deprauatæ dominus, ne iniustitia alterutri fiat, quod acceperat, reddere: hoc posito, fingamus istum qui abduxit, ingressum esse religionem, atque professionem fecisse, & postea eum qui eductus fuit, ad religionẽ redire, tunc religio, pro uno, habebit duos: & ne fiat inæqualitas, qui ingressus est, debebit exire, quod cũ professione pugnat.

Quincto confirmatur hæc opinio ex communi scriptorum sententia, & ex praxi Ecclesiæ, in qua huiusmodi restitutiones non sunt in vsu. Ex his rationibus, ad hanc conclusionem confirmandam allatis, aliquæ concludunt etiam quod neque alium restituere debet: propterea unica conclusione utrunque casum complexi sumus. De ingressuro autem est illa specialis ratio, si ponamus eum habere animum non applicatum alicui religioni, tũc cuinam facienda esset restitutio, cum nulli sit addictus?

Nona conclusio, Qui retraxit professum a religione, teneretur ex præcepto correctionis, uel etiam iustitiæ, dare operam, vt ille ad monasterium reuertatur.

Primo q̃a intercedit, vniuersæ loquendo, aliquod dãnum, vel iniuria religionis: ergo eo modo quo potest, fieri debet restitutio: sed non potest fieri nisi hac ratione, igitur.

Secundo, iste est obligatus redire ob professionis uotum: ergo, & is qui eduxit operam dare debet, vt reuertatur.

Decima conclusio, si qui alium abduxit religionem ingrederetur, faceret restitutionem ex caritate, & ex cõsilio, non autem ex vi iustitiæ. Doctrina est certa, & manifesta. Sed ut omnia, quæ dicta sunt adhuc apertius manifestentur, contraria soluamus argumenta.

Ad primum, qua ratione hoc argumentũ solui queat satis patet, ex ijs quæ diximus: propterea, nihil est, cur aliquid aliud priuatim respondendo dicamus.

Ad secundum, esto religiosum esse consecratum Deo per religionis uotum: tamen, cum libere per solam suasionem egrediatur, nõ intercedit perfecta iniuriæ ratio, & ideo suasor non tenetur ingredi; sed solum suadere vt reuertatur, modo iam dicto.

Ad tertium, non est par ratio de Monacho, & de seruo, ut sequenti disputatione manifeste demonstrabitur. Ille autem Raimundus, fecit quod erat in consilio; vel quod sibi conscientia dictabat.

Quartum quo pacto sit accipiendum, ex allatis patet conclusionibus.

An qui volentem religionem ingredi, aut iam ingressum retraxit, teneatur restituere dammum quod inde fortasse religio cepit. Quæst. XI.

POSTQVAM demonstratum est, in casu proposito, nullam, ex iustitia, faciendam esse personę restitutionem: sequitur, ut uideamus an facienda sit restitutio damni, quod inde fortasse caperet religio: ut accideret, si monachus iã ingressus, vel ingressurus foret religioni utilis. Quod autem talis restitutio sit facienda, his rationibus demonstratur.

Primo, si quis seruum a domino abduceret, si seruum non posset restituere, deberet æquale reddere, & pro damno illato satisfacere, vt patet per can. si seruus, dist. 54. ex Concilio Aurelianensi: ergo pari ratione: qui abducit eum, qui est religionis seruus, maxime si sit professus,

feſſus, debebit æquale reddere.

Secundo, ſi qui retrahit non eſt obligatus ad compenſandum detrimentum, ergo nec etiam teneretur ad hortandum, vt redeat; quod tamen eſt contra communem ſententiam, & contra dicta.

Tertio, religio habet ius in perſonam religioſi, & in omnia illius bona: ergo ſi auferatur perſona, religio priuatur illis bonis, in quæ ius habet, quod ſine iniuria fieri nullo modo poteſt. Quod ſumptum fuit, patet ex cap. Cum ad monaſterium, de ſtatu Monachorum.

In hac quæſtione eſt prima opinio Ioannis Maioris 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 17. dubio vltimo. Richardi ead. diſt. art. 5. quæſt. 3. in reſponſione ad octauum, qui affirmant eum, qui retrahit perſonam utilem ab ingreſſu religionis animo inferēdi damnum, debere reſtituere pro damno illato arbitrio boni viri.

Secunda opinio Soti, loco ſupra citato, qui uidetur inclinare in partem contrariam, & ait fortaſſe debere reſtituere, pro damno dato, non integre, ſed arbitrio boni uiri, & in hoc ſtandum eſſe foro exteriori.

Tertia ſententia aliorum, qui dicunt, ex rei natura, ad nihil obligari, eum qui etiam profeſſum abducit; ex accidenti autem, ſi utilitatem afferebat, aut afferre poterat, illatum damnum, ex iuſtitia, ſarciendum eſſe. Pro reſolutione huius dubitationis duo pono fundamenta.

Primum fundamentum, Magnum eſt diſcrimen inter ſeruum, ſeu mancipium ciuile, reſpectu ſui domini, & religioſum, reſpectu ſui prælati, ſeu religionis. Nam, ſeruus quidquid habet, aut acquirit, domino acquirit, ut Imperator lib. 2. Inſtit. tit. 9. & l. Acquiritur, ff. de acquir. rerum domin. docet: Immo ipſemet ſeruus eſt ueluti poſſeſſio quædam animata ipſius domini, ut in primo politico docet Ariſtoteles. Quo fit, vt qui nocet ſeruo, proxime etiam domino noceat. At vero prælatus, ſeu religio reſpectu Monachi, non habet dominium, niſi in utilitatem ſpiritualem ipſius religioſi: qui ob propriam vtilitatem ingreſſus eſt religionem: ex quo ſequitur, ut

qui lędit Monachum, eum a religione abducendo, immediate, Monacho noceat: quamuis consequenter possit etiam religioni nocere. Declaratur hęc doctrina pari, seu simili exemplo. Vt se habet resp. erga suos ciues, ita religio, erga suos subditos: illa autem non habet potestatem in ciues quasi in seruos, in suam vtilitatem, sed in vtilitatem ciuium; ideo enim homines sibi aliquem rectorem eligunt, ut ipsorum utilitati cõsulat: idem dicas de religione, quæ in utilitatem religiosorum est instituta. Quare, sicut is qui lędit ciuem, non lędit remp. immediate, sed consequenter, & indirecte: ita qui nocet Monacho, indirecte obest Monasterio. Ex quibus inferre licet, quod sicuti, qui lędit ciuem, solum ciui debet restituere; ita in re nostra, si quid damni factum est, Monacho restituendum erit: & cum ei non sit facta iniuria, quia libens recessit, ideo, ubi quis eum, quem abduxit, ad redeundum hortatus fuerit, ad nihil aliud, ex rei natura, erit obligatus. Quod si hoc loco urgeas, rempu. non esse contentam sola restitutione facta suo ciui, sed etiam ab improbo pœnas, sumere ac proinde etiã reip. aliquam restitutionem fieri; Respenderem, ideo remp. sumere pœnas, vt etiam alios a nocendo deterreat. Et quod ista pœna non sit proprie restitutio, uel ex eo patet, quia qui puniendus est, si non sumatur de ipso pęna, & sententia lata executioni non mandetur, tutus est in conscientia, nec tenetur pœnam ex se sumere, vt alio loco inferius late docebo: ad quod faciendum esset obligatus, si hic proprie locum haberet restitutio.

Secundum fundamentum, in religioso duo spectare possumus, personam uidelicet, & eius bona, seu commodũ, quod ex eo religio fortasse capit, aut capere põt: Religio in personã nõ habet nisi quoddã ius spirituale, ex caritate, & obedientia; ut tantũ ei possit imperare, quantum in utilitaté Monachi cedit, cuius rei caussa, ingressus est religionem: at uero in eius bona habet legitimũ ius, ita ut possit ea uendere, & distrahere in publicam utilitatem. Quæ bona, sicuti & ipsa persona, primo &

per

per se sunt applicata & consecrata Deo: bona enim illa conditionem sequuntur personæ. Ex his duobus fundamentis concludere licet, religionis seruitutem non esse sine libertate; qua, & si qui egreditur abutatur; tamen, non ex lege iustitiæ, sed solum ex obedientiæ uinculo redire tenetur. Quare, sicuti si sua sponte exiret, ad nullam restitutionem teneretur; ita si alio suadente id faciat. His fundamentis iactis, has pono conclusiones.

Prima conclusio, qui fuit in caussa ut Monachus a religione discesserit, ex se suaque natura, ad nullum damnum, quod inde emanare possit, compensandum, tenetur; ita ut nihil pro persona ipsa restituere debeat. Est doctrina Soti & Ledesmæ, quam ipsi non probant; nos autem his rationibus confirmamus.

Primo, ex iactis fundamentis, qui lædit ciuem, lædit etiam remp. & tamen solum ciui fit restitutio: ergo qui lædit religiosum, ei soli restituere debet: sed talis restitutio, non est facienda, ut iam probatum est; quia uolenti non fit iniuria; ergo multo minus religioni. Posset tamen iste pęnis ecclesiasticis puniri, pro iniuria illata religioni, ad alios a tali scelere deterrendos, ut is, qui ciuem lædit, ciuilibus punitur pęnis.

Secundo, is qui abducit religiosum, si ad ullam restitutionem tenetur, maxime ad eam, quæ æqualitatem instauraret; ut esset, si seipsum restitueret: sed ad hanc non est obligatus, ut ex dictis constat: ergo neque ad aliam, aliqua alia re faciendam.

Tertio, non est maior restitutio facienda religioni in hac re, quam Deo, cum religiosus, ut in secundo fundamento diximus, sit proxime per religionem consecratus Deo: sed satisfit Deo, si qui abduxit, hortetur ad reuertendum: igitur, si id fecerit, nihil aliud restat faciendum, quo satisfiat religioni.

Quarto, si quispiam moneret religiosum ut ex laxiore religione trāsiret ad strictiorem, uel ex magis arduas ad minus arduam, ex dispensatione Pontificis, nullam faceret iniuriam religioni, a qua eum abducere conare

tur:ergo neque etiam, si uniuerse a religione abducat: quod antecedit, manifestum est: quia, ut in fundamentis diximus, homines ingrediuntur in religionem ad suam utilitatem, Deique gloriam, non autem ad utilitatem religionis: consequentia, videtur nota: quia si in hoc casu esset obligatio ad restituendum, etiam in illis; siquidem priuatæ religiones priuatum damnum caperent.

Quinto, si iste Monachus nollet esse utilis religioni, nullam iniuriam faceret religioni, sed solum peccaret contra obedientiam: ergo, qui est in caussa ut religionem deserat, nihil iniuste agit.

Secunda conclusio, Per accidens, & indirecte fieri potest, ut qui extraxit utilem Monachum teneatur ad aliquam restitutionem. Declaratur hęc conclusio, dixi, per accidens, quia ex rei natura, non oritur talis restitutio, ut est probatum, sed solum ex damno, quod inde sequi potest: quoniam, cum statu religionis interdum, prȩter religiosi utilitatem, est etiam coniuncta utilitas & bonum temporale monasterij. Quare, si quis extraheret monachum ualde utilem, is damnum temporale resarcire deberet: quia religio habet uerum ius in bona temporalia religiosi, & in id quod sua opera monachus acquirit. Est hæc doctrina communis, quantum ad professum, licet Sotus de ea subdubitet; quæ sic probatur.

Primo, quia licet religio non habeat plenum ac perfectum ius in personam, habet tamen in bona, quæ consequuntur personam, quȩ sunt Deo & huic religioni dicata. Quod si dicas, ergo non liceret transire ex una in aliam religionem, si bona sunt uni religioni addicta, Respondeo licere, quia bona ista sunt immediate dicata Deo, & non sunt ita applicata uni, ut ad alteram transferri nequeant.

Secundo, ex communi doctorum sententia, quam in rebus moralibus, si non sit destituta ratione firma, sequi debemus.

Tertia conclusio, ob eandem rationem, qui impedit eum qui non dum professus est, aut ingredi uolebat, ad

aliquam teneretur restitutionem. Vt si qui ingressurus erat, uolebat bona sua religioni applicare. Non secus ac si quis uouisset mihi dare centum, & alius efficaciter dissuaderet, is esset obligatus ad aliquam restitutionem mihi faciendam, de qua re suo loco postea late disputabitur. Ratio huius conclusionis ea est, quia ex uoto & uoluntate istius, religio aliquid iuris in rem illam acquisiuit: etiam si adhuc ille potuisset mutare sententiam. Non secus, ac si quis uellet dare digno beneficium, & alius animo mallo, eum a tali uoluntate remoueret.

Quarta conclusio, in utroque casu, cum scilicet impediuit ingressurum, & abduxit ingressum, restitutio ob damnum illatum debet fieri arbitrio boni uiri. Quoniam non potest dari alia regula, cum damnum sit incertum. Hic autem bonus uir considerare deberet, quantitatem emolumenti, certitudinem & incertitudinem, & alias circumstantias.

Quincta conclusio, cum impeditur ingressurus, non debet tantum restitui, quantum fuisset emolumentum, si ingressus fuisset. Et ratio est, quia religio nondum habebat realem possessionem illorum bonorum, & ille poterat animum mutare: cum ergo non tanti ualeat id, quod spe, quanti id, quod re possidetur, non esset alterum tantum restituendum. Argumenta contraria facile ex dictis soluuntur.

Ad primum, hoc argumentum diluitur ex doctrina primo fundamento explicata: cum non sit par ratio de seruo ciuili & de religioso famulo, & potius religiosus, ex rei natura, utilitatem ex religione, quam religio ex monacho commodum, referre debet.

Ad secundum, esto teneatur aliqua ratione ad hortandum, suadendumque, ut proxima quæstione diximus, tamen ex rei natura, non est obligatus ad restituendum pro damno, quia, per accidens est, quod religiosus sit suo monasterio utilis.

Ad tertium, falsum est religionem habere ius in per-

sonam

sonam religiosi, nisi in eius utilitatem, ut supra explicuimus. Quod autem ad illius bona attinet, diximus in secunda conclusione, cur interdum bonorum externorũ restitutio facienda sit. Atque de restitutione bonorum animi hæc dicta sufficiant: sequitur, ut de restitutione bonorum corporis agamus.

An pro nocumento illato in bonis corporis facienda sit restitutio. Quæst. XII.

EXPLICVIMVS hactenus plane, pleneque eas omnes difficultates, quæ tractari solent de restitutione bonorum animi: sequitur modo, ut iuxta propositum ordinem, agamus de restitutione facienda pro nocumento illato in bonis corporis, uel per mutilationem alicuius membri, uel per partis corporis læsionem, uel per necem: & ut distincte procedamus, primum examinabimus, an in his bonis possit fieri restitutio: deinde qua ratione facienda sit: & priore loco de mutilatione, posteriore uero de homicidio dicemus. Quod autem in corporis diminutione fieri nequeat, aut non debeat restitutio, his rationibus persuaderi potest.

Primo ex diuina lege, Exodi c. 21. ubi decernitur, ut si qui inter se rixati fuerint, & alter proximum percusserit lapide, uel pugno, & mortuus non fuerit, sed in lecto iacuerit, is qui percusserit solum operas eius & impensas in medicos factas restituat: ubi nulla fit mentio de restitutione pro parte mutilata, aut uitiata: quare ob illatum corpori detrimentum nulla erit facienda restitutio. Quę lex repetitur etiam in iure pontificio cap. si rixati, de iniurijs.

Secundo, si ista restitutio facienda est, maxime ei, cuius membrum diminutum, aut mutilatum fuit, neque enim alius est cui fieri possit, aut debeat: atqui iste non est dominus suorum membrorum, ut patet per l. Liber homo, ff. ad legem Aquiliam, non igitur erit ei restitu-

tio

tio facienda,cum ei fieri debeat,cuius eſt res, in quam damnum eſt illatum. Confirmatur hæc ratio,quia cicatricum, & deformitatis corporis non poteſt fieri ęſtimatio,iuxta l.ex hac.ff.ſi quadrupes pauperiem fecerit: & l.fi.de ijs, qui deiecerunt, uel efud. ubi dicitur, liberum corpus æſtimationem non recipere.

Tertio,ſi iſta reſtitutio faciẽda eſt, maxime pecunia, cum pars diminuta reſtitui nequeat: atqui per pecuniã non poteſt reddi æquale,pro aliquo membro mutilato, cum pluris homines faciant, gratia exempli, manum, uel brachium,quam quidquid eſt pecuniarum in mundo: igitur,fieri non poteſt.

Quarto,ex contraria opinione ſequeretur, quod ſi quis non haberet pecunias,quas offenſo reſtitueret,poſſet is ab eo, occulum, gratia exempli, repetere, ſi ipſe oculo orbatus fuiſſet;quod uidetur abſurdum: id enim non tam eſſet reſtituere,quam pęnas luere.

In hac propoſita difficultate, Doctores de duobus dubitant: quorum primum eſt,an qui mutilauit, ſit obligatus ad faciendam aliquam reſtitutionem ſpiritualẽ, hoc modo,conſolando eum quem læſit, & hortando ad patientiam,pro eiuſque ualetudine orando:alterum an corporis diminutio,& deformitas per mutilationem, & percuſſionem inducta,ſit pecunia ęſtimabilis,& pro ea fieri reſtitutio debeat.

De primo, fuit prima opinio Antonini 2.parte,titulo 2.c.2.§. 2. qui ait percuſſorem eſſe obligatum ad illam ſpiritualem reſtitutionẽ, & ad quædam alia de quibus poſtea: ad quam opinionem uidetur accedere Scotus, de quo ſequenti diſputatione planius.Secunda aliorum & ſpeciatim Soti & Ledeſmæ, qui contra ſentiunt.

De ſecundo, prior ſententia fuit Panormitani c.ſi rixati,citato,Nauarri in enchir.c.15.num.22. Didaci Couar.& Romani conſ.128. qui affirmant nullam eſſe faciendam: quæ opinio uidetur fuiſſe antiquorum ſcriptorum,qui nunquam meminerunt de reſtitutione faciendа pecunijs ob corporis læſionem.

Poſte-

Posterior aliorum, qui fieri posse, & debere docent. Ita diuus Thomas secunda secundæ quæst. 62. art. 2. in responsione ad primum, Paludanus q. 2. art. 2. Richardus 4. dist. 15. art. 5. q. 2. Sylu. uer rest. 3. q. 2. Sotus, & Ledes. loc. cit.

Primum fundamentum, huius difficultatis resolutio, pendet, ut aliqui putant, ex alia dubitatione, qua queritur, an homo habeat suorum membrum, uel sui corporis dominium; de qua multi iurisperiti, ob leges superius citatas, negantem sequuntur opinionem. Ita, ut multos alios hic omittam, Glossa & Panorm. c. si rixati., Zasius in sua apologia, & Azo in summa, & re uera est cõmunior, & uerior sententia, ut alias in materia de dominio dicetur, quare homo potius custos, quam dominus uitę suæ, ac membrorum appellari debet: quod dominium est apud Deum, iuxta illud Sapiẽtis dictum, tu es dominus, qui uitæ & mortis potestatem habes. Quo fit, ut neque resp. tale dominium habeat. Neque inde sequitur, quod si homo priuetur membro, non sit ei restitutio facienda; quia licet non sit dominus, tamen suorum membrorum custodiam, & usum habet. Quare cum ipse detrimentum capiat, ei restituendum erit. Habes simile de eo, qui rem aliquam emphyteotico contractu possidet, cui facienda est restitutio, ob damnum illatum rei, cuius emphyteuta utilitatem habet, licet careat dominio.

Secundum fundamentum, qui mutilat, & idem diceres de eo, qui occidit, duas personas offendit, primum eum quem proxime lædit, & consequenter eos, qui cõsanguinitate sunt ei coniuncti, ut sunt parentes, & filij: deinde remp. ipsam, cuius est ueluti quodam membrũ: propterea vtrisque, aliqua ratione, pro illata iniuria satisfacere debet, licet non eodem modo. Vt autem quid restituendum sit, intelligatur; animaduertendum est, eum qui mutilat, aut uita priuat, tria inferre damna: unum in operas, quas qui læsus, aut mutilatus fuit omittit, pro eo tempore, quo non potest laborare, si læ-

sus

ſus artifex erat: alterum, in corpus, quod deterius reddit, ob læſionem factam: poſtremum in honorem & exiſtimationē, quæ omnia, ut poſtea demonſtrabitur, ſunt pecunia æſtimabilia. His ita poſitis, has ſtatuo conclusiones.

Prima concluſio, qui alium percutit, aut mutilat, ad nullam tenetur reſtitutionem, ſi id, prouocatus, & ſui defendendi cauſſa, cum moderata tutela fecit. Doctrina eſt certiſſima, & ab omnibus recepta: cum natura omnia animalia doceat, ut ſe tueantur, atque defendant, ut Cicero libro primo de officijs ſcripſit, & nos libro de Pacificatione demonſtrauimus.

Secunda concluſio, qui alium iniūſte percuſſit, aut mutilauit, ex iuſtitia, ad nullam reſtitutionem ſpiritualem tenetur. Id affirmauerim contra ſentētiam ſupra citatam: quā his rationibus impugno, & noſtrā confirmo.

Primo, in reſtitutione datur unum pro alio ex ui iuſtitiæ, ut reparetur æqualitas: at ſi ex iuſtitia fieret talis reſtitutio, daretur res ſpiritualis pro corporali, quod eſt uitium ſimoniæ; igitur nullo modo ſub hac ratione talis reſtitutio facienda eſt.

Secundo, reſtitutio in ijs rebus eſt ponenda, in quibus poteſt eſſe proportio & æqualitas: at inter rem ſpiritualem & corporalem, cum ſint omnino diuerſi generis, non poteſt eſſe ęqualitas; igitur.

Tertio, ſi iſta reſtitutio eſſet neceſſaria, eſſet de lege naturę, ex qua, ut diximus, oritur reſtitutionis præceptum: atqui nullo tempore, apud nullas nationes, de tali reſtitutione facienda, præceptum, aut conſuetudo extitit ulla; igitur.

Tertia concluſio, ſpiritualis reſtitutio, ex conſilio, & ex caritate adhibenda eſt. Inter opera igitur perfectionis hæc reſtitutio, non autem in iuſtitiæ operibus ponatur. Eſt hæc doctrina certiſſima, & nulla probatione eget.

Quarta concluſio, qui percuſſit, aut mutilauit, debet reſtituere damnum, quod qui læſus eſt patitur in expen-

sis, & in lucro cessante.est conclusio certissima, quam clarum naturæ lumen docet; & hæ rationes confirmāt.

Primo ex iure diuino, & canonico, loco supra citato, cap. si rixati, de iniurijs, vbi hoc decernitur. Adde etiam legem ciuilē, ex Caio l.fi.ff.de iis qui deiecerunt.

Secundo ex communi sententia omnium theologorum, Summistarum, & Iuris vtriusq; peritorum.

Tertio, qui mutilando operas impedit, & auctor est ut expensæ fiant, causam dat sufficientem damni: igitur per regulam iuris restituere debet: qua autem ratione, postea dicetur.

Quincta conclusio, qui alium iniuste percussit, & per cutiendo mutilauit, aut aliquo pacto eius corpus deforme reddidit, debet hoc damnum compensare pecunijs, vel alia re quæ pecunia æstimatur. Est hæc conclusio contra opinionem superius citatam: quod autem nos defendimus, his argumentis corroboratur.

Primo, ex communiore Theologorum sententia: & prȩsertim grauissima Diui Thomæ auctoritate, superius citata, qui ait, quando compensatio non potest fieri in re æquali, satis esse, si quod possibile est restituatur: & eum qui aliquem membro priuauit, debere restituere pecunia, vel honore, &c. considerata vtriusque persona.

Secundo, in hac læsione & corporis diminutione, intercedit quoddam damnum, quod negari non potest: & est huiusmodi ut possit æstimari, ac re uera apud homines ȩstimatur, igitur per restitutionem sarciendum erit.

Tertio, qui priuat pecunijs, inquit Scotus, debet restituere: cur non etiam qui priuat membro? & cum non possit restitui membrum, cur non restituetur aliquid eius loco, cum id fieri possit?

Quarto, in hoc casu læditur iustitia commutatiua, cui aliquo pacto, quod sapiens negaret nemo, satisfieri potest, & pauperibus, ut praxis ipsa docet, hac ratione pro membro diminuto, & parte vitiata satisfit, cur igitur hanc iustitiam, sine iusta ratione e medio tollere aduersarij uolunt?

Quincto, huc pertinere videtur, quod Exodi cap. 22. statuitur, si percusserit quispiam oculum serui sui, aut ancillæ & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quē eruit: vbi libertatis pretio æstimatur oculus.

Postremo, quidam concedunt, quod si quis abscinderet membrum homini nobili, qui nihil laborando lucraretur, nihil restituere deberet. Similiter, siquis fœminā aliqua plaga turpem reddidisset, unde non facile postea nuberet, non esset obligatus ad hoc damnum sarciendum, si membra ęstimationem non recipiunt: quod sane absurdum uidetur. Et propterea quidam excipiunt fœminæ percussionem, vt Albericus, & Iacobus Rauen. dicta l. ex hac. Illud tamen dixerim, hoc restitutionis genus apud viros nobiles non esse in usu; ob quam rationem qui lædunt possent excusari, ni ab eis talis restitutio requiratur. Quod autem attinet ad pœnam, quam resp. uel iudex a percussore repetere potest, & percussor soluere debet, sequenti disputatione dicam: si prius argumenta contra nostram sententiam allata, diluero.

Ad primum non propterea, quod in locis citatis solum mentio fit de restitutione expensarum, & operum, sequitur non esse faciendam etiam pro damno in membrū illato, & vt ait Adrian. nomine, operum, intelligitur quodcunque damnum. Vel cum Richardo dicas, talem constitutionem intelligendam esse, cum ex percussione, nulla cicatrix & nullus defectus manet in corpore: Adde etiam, quod pro membro aliquid dandum esse Exod. 22. statuitur.

Ad secundum, esto hominem non esse suorum membrorum dominum: tamen ei facienda est restitutio, ut ex primo fundamento apertissime constat.

Ad tertium, etsi non possit reddi æquiualens: tamen, vt ait Diuus Thomas, satis est, vt reddatur quod est possibile, idque boni viri iudicio, quando autem, lex ait, nō esse æstimationem membrorum & cicatricum, intelligendum est, quando valor membri est maximus, qui lege taxari non potest, sed ad iudicis arbitrium est confugien-

giendum; nec inde sequitur in foro conscientię nihil esse restituendum: lex illa fin. habet locum, cum aliquis casu vulnerauit, vt ex ipso titulo patet. quo pacto Panormi. aliquando hunc locum declarauit.

Ad quartum, negatur illa sequela: quia qui non habet pecunias, censetur impotens ad restituendum: neque si se oculo priuaret, qui oculo alium orbauit, quicquam ei prodesset: licet in pœnam per legem tallionis oculo priuari possit.

An homicida, sit obligatus ad restitutionem. Quæst. XIII.

QVAE proxima disputatione explicata & probata sunt, conferunt etiam ad hanc dubitationem enodandam, propterea eam paucis perstringam. Quod autem pro homicidio nulla, ratione uitæ, fieri restitutio possit, his rationibus demonstro.

Primo, hominis vita est bonum quoddam, quasi infinitum, quod nullo alio bono in hoc mundo compensari, aut ęstimari potest: igitur nullum habet in hoc locũ restitutio. Nam, ut est apud Iobum, pellem pro pelle idest omne peculium substantiamq; omnem dabit. i. daret homo pro anima. i. pro uita sua.

Secundo, ex quodam absurdo, quod inde sequeretur: fingamus hominem ditissimum occidere aliquem pauperem: si is deberet restituere, esset obligatus ad danda omnia sua bona, cum vita cuiuscunque etiam ignobilis hominis, pluris ualeat, quam integrum etiam regnum: quod uidetur absurdum.

Tertio, si quis occidat seruum, solum restituere debet pretium serui. i. tantum, quanti seruus ęstimaretur, ut habetur determinatum, per legem humanam, lib. 2. instit. titulo, de lege Aquilia, & l. 2. ff eodem. igitur nulla fieri debet restitutio pro uita, & quod de seruo dicitur, idem de quouis alio homine diceres.

Quarto, si qui hominem priuauit uita, non haberet pecu-

pecunias,uel alia,bona quibus restitueret,esset obligatus ad se offerendum iudici, vt sua uita satisfaceret: quod est contra omnem naturæ legem,& humanã consuetudinem:ut omittam,quod uitæ hominum sunt inæquales,& ita p unius vitã,nõ põt satisfieri vitæ alterius.

In hac difficultate illa eadem duo quæruntur,quæ in superiore quærebantur scilicet, an pro homicidio fieri debeat aliqua spiritualis restitutio, ita ut homicida teneatur orare,& alia bona opera facere,aut facienda curare pro anima eius,quem occidit; & an vitæ damnum pecunia compensari possit: de quibus sunt totidẽ sententiæ,& eorũdem quos supra citauimus. Antoninus.n. loco citato,Scotus dist.15.quæst.3.Adrianus quæst.de restit.bonorum corporis, quæ est ultima in illa materia. Gabr. eadem dist.q.15.Ioann. Maioris quæst. 14. & Almain.quæst.3.& quidam alij obligant homicidam ad restitutionẽ spiritualem. At vero Sotus,& Ledesma locis citatis,hanc restitutionem,ex iustitia,non admittũt.Similiter Nauarrus,& alij supra citati,affirmant uitam pecunia æstimari non posse: alij autem contra sentiunt. Et quoniam in præsentia præter ea, quæ supra adnotauimus, nihil priuate animaduertendum occurrit, propterea huic dispututioni his cõclusionibus satisfaciam.

Prima conclusio,si quis iuste,& moderate se defendẽdo occidat,ad nullam restitutionem tenetur. Quoniam nulla intercedit iniustitia:quot autẽ sint,casus in quibus homicida ab omni restitutione est liber,postea dicetur.

Secunda conclusio,spiritualis restitutio,ex iustitia nõ habet locum in homicidio,sicut nec in mutilatione. Patet ijsdem rationibus,quas fecimus ad probandum non esse necessariam in mutilatione,ad quas accedat, quod homicidæ orationes, dũ est in peccato mortali, nullius sunt valoris ad satisfaciendum pro defuncto: & si deberet satisfacere profecto cogendus esset ad recuperandam gratiam; quod est absurdum. Adde etiam, quod Ecclesia aliquando ad hanc restitutionem obligasset, cum ex se sit satis in promptu,& ab omnibus fieri possit:

id quod nunquam fecit. Et denique,quid si homo fidelis occidisset infidelem,cui ista opera nihil prodessent?
Cæterum, si quis ex caritate his pijs uteretur officijs, erga eũ,cui prodesse posſent,optime faceret Quod si dicas,homicida priuat eum,quem neci tradit multis bonis operibus,quę facere potuisset,si uixisset:quare debebit pro his bonis restituere, sicut restituit pro operibus corporalibus,Dicerem,non esse parem rationem, quia non habetur ulla certitudo de bonis operibus futuris alterius: bona opera unius ex se non augent meritum alterius: & quod attinet ad satisfationem,opera quę fiũt in peccato non prosunt,& nemo tenetur ad habendam gratiam,ut cuipiam restituat.

Tertia conclusio, homicida restituere debet pro damnis quæ ex homicidio patiuntur filij, aut hæredes, & ij quibus ex iustitia occisus debebat.Doctrina est certissima ab omnibus recepta,& patet ijsdem rationibus,quibus probatum est,ad hanc restitutionem obligatum esse eum qui mutilauit.Intercedit enim vera iniustitia contra commutatiuam: quare eo modo quo potest, instauranda est æqualitas. Quo autem modo facienda sit,posterius dicetur.

Quarta conclusio,homicida tenetur aliquid restituere pro uita,qua proximum priuauit.

Primo,patet hęc conclusio ex communiore sentẽtia, quam Theologi sequuntur: qui in rebus ad forum conscientiæ spectantibus, uniuerse loquendo,magis audiẽdi sunt,quam Iurisperiti.

Secundo, quoniam, si mutilator debet pro membro mutilato,ut probauimus,restituere, cur nõ etiam homicida pro uita sublata?

Tertio,per homicidium maxima fit inæqualitas,quæ aliqua ratione compensari potest, igitur compensanda erit. Verũ,cum, ut supra diximus, tales restitutiones pro uita,non sint in usu,& non repetantur,& aliqui contra sentiant, posset fortesse homicida ab hoc genere restitutionis liberari.

Quia-

Quincta conclusio, homicida debet restituere pro iniuria, si quæ illata fuit: & idem dicas de eo qui percussit, vel mutilauit. Quoniam per iniuriam infertur damnum in honorem, existimationem, & famã, quod bonũ plurimi fit ab hominibus, de quo infra dicetur. Doctrina est apertissima, & ideo nulla est probatione opus: quæ restitutio, & honoris exhibitione, & pecunijs fieri potest; de qua re legendum est integrum opus, quod de Pacificatione scripsimus.

Sexta conclusio, Nec qui percutit, nec qui occidit est obligatus ad satisfaciendum reip. uel Iudici, pœna talionis, vel alia pęna, pro iniuria reip. illata, ante iudicis sententiam, & sententię executionem. Est hęc conclusio contra Scoti opinionem, quæ nullo modo placet. Hic. n. auctor obligare uidetur criminis reum ad accedẽdum ad iudicem, ut de se debitam sumat pęnam.

Primo ista doctrina impugnatur ex communi Doctorum sententia, de qua re alio loco a nobis latius disputabitur.

Secundo, Quoniam ex naturæ lege, nemo est obligatus sese subijcere pœnę uoluntariæ, nisi cum pęna reposcitur, ut alias copiosius in materia de legibus scribam. Huc pertinet quædam pulcherrima doctrina Clementis V. in clementina Pastoralis, de sententia & re iudicata, ubi eleganter & docte summus Pontifex probat, eum qui citatus est, in locum non tutum, & periculo expositum, non esse obligatum accedere: ubi hæc ad rem nostrã facientia, scribit, Hęc quidem iure timentur, hæc de more uitantur, hęc humana fugit ratio, hęc abhorret natura. Atqui diceres, iste induxit ueram inæqualitaté ratione reip. quam uno membro priuauit igitur ex se, suaque sponte debet offerre corpus uitamque suam, ut iustitiam farciat. Concedo quidem ad hanc pœnam dãdam esse obligatum, sed tamen seruato naturæ & iuris ordine, ut ab eo repetatur a Iudice, qui ex officio debet pœnam reposcere, ad publicum bonum conseruandum. Iudex itaque obligatur ad pęnam de reo sumendam,

reus autem & priuata persona, quæ iustitiam legalẽ uiolauit, non ita: sed satis est, si pęnam sufferat, cum is reposcet, cui legum seruandarum cura est mandata.

Quod si peteres, an iste possit se iudici offerre, ut de se pęnam sumat; responderem, posse quidem, & esse perfectionis opus, non autem stultitiam, seu iniquitatem, vt aliqui stulte, & inique putant. Atque has conclusiones, pro huius quæstionis explicatione posuisse sufficiat; reliqua ad hanc materiam pertinentia inferius afferam, cũ de modo, quo homicida restituere debet, scribam. Restat igitur, ut argumenta soluantur.

Ad primum, licet humana uita sit maximum bonũ, non est tamen infinitum bonum: quare, cum sit bonum certum & temporaneum, aliquo alio eiusdem ordinis bono, aliqua ratione compensari poterit. Cur.n. si pater priuetur filio, qui est ueluti quædam ipsius particula & possessio, etiam si nullum inde fructum caperet, pro huius boni priuatione, restitutionem possibilem petere nõ possit? Possibilem itaque restitutionem petimus, licèt non æqualem: ut etiam accidit in nostra satisfactione respectu Dei, & Parentum, quibus ut Aristoteles lib. 8. Ethico, capite decimoquarto docet, nũquam possumus plene satisfacere.

Ad secundum, non obligamus homicidam ad tantam restitutionem, ut debeat se redigere ad extremam necessitatem; sed hac de re inferius, dicemus apertius. Facienda itaq; est arbitrio boni uiri, cõsideratis personis, & non pro actoris uoluntate.

Ad tertium, quamuis humana iura non obligent: tàmen ratio id suadet, & scriptores graues docent: neque humanæ leges prosequũtur omnia, quibus satis fuit decernere restitutionem faciendam pro damno manifeste illato, ratione pretij, quo seruus uendi poterat.

Ad quartum, satis patet ex ijs quæ diximus in ultima conclusione: non tenetur itaque sese objicere morti, cũ non lędat ex hac parte commutatiuam iustitiam, sed legalem.

De

De modo, quo qui percutit, aut mutilat aliquem, restituere debet. Quæst. XIIII.

QVOD attinet ad modum, quem qui percutit, aut mutilat in restituendo seruare debet variæ sunt doctorum sententiæ.

Ioannes Maioris dist. 15. quarti, q. 19. duo hac de re dicit: primum, compensandum esse damnum illatum in expensis, & lucro cessante, si lucrari non potest ob læsum membrum: alterum hanc restitutionem faciendam esse arbitrio boni uiri, deductis laboribus, quos ille suscepisset, si membro vsus fuisset: quia cum non laborauerit, non debet tantum recipere, quantum si laborasset. At uero quod attinet ad secundum dictum Sotus, Ledesma, & alij contrarium sentiunt, nimirum, non esse detrahēdum aliquid ob non susceptos labores.

Quod attinet ad membri æstimationem, quam faciē dam esse supra docuimus, Adrianus loco citato, tantum ait esse restituendum, quanti læsus membrum suum faciebat. At uero Marsilius quæst. 11. art. 3. ait hanc æstimationem faciendam esse iudicio boni uiri, qui ad rectum iudicium faciendum hæc tria spectare deberet. Primum personam percussam, & percutientem earumque circunstantias huc pertinentes: alterum, culpam & malitiam offendentis, & detrimentum corpori illatum: tertium censendum esse, non posse dari, nec debere requiri æquiualens, aut iustum pretium pro truncato mē bro: ac proinde solam æquitatem spectandam esse. Vt autem bonus uir iustam decernat, tum in percussione, tum in homicidio sententiam, diligenter animaduertere debet, an percussor iniuste fuerit ad rixam prouocatus, an ipse prouocauerit, an cum moderamine inculpatæ tutelæ se defenderit, an uero contra, immoderate, & animo nocendi, ita vt potuerit se defendere non mutilando, uel occidendo. Vt autem in re ualde perplexa, quid tenendum sit, aperiam, has pono conclusiones.

Prima conclusio, mutilator, seu percussor interdum ad nullam restitutionem tenetur. Primo, si iniuste & importune prouocatus fuit,& intercessit moderata tutela: nec propterea deberet fieri restitutio, si aliquo pacto in se defendendo excessisset; quia in his casibus non possunt omnia rationis trutina diligenter perpendi: & ideo habenda est culpæ ratio. Secundo, quando se inuicem prouocarunt, quia volenti non fit iniuria. Tertio, cum offensus restitutionem condonaret: ad quod faciendum citra aliorum notabille damnum, pacificatores,& confessarij possunt offensos hortari; præsertim, si loquamur de restitutione pro parte læsa, aut mutilata, ac etiã pro honore, si quæ facta est in eo offensio. Quarto (si loquamur de restitutione operum) quando nihil membro lucrabatur: & similiter, cum ob partem uitiatam nullum nascitur damnum.

Secunda conclusio, cum in percussione adest culpa, pro culpæ ratione, restituendum est damnum expensarum, & operum, quibus toto uitæ tempore mutilatus priuatur, considerata uitæ, & lucri maiore & minore certitudine,& ijs quæ supra diximus. Quare, si offensus suis laboribus alebat filios, vel alios ex iustitia, deberet reus eosdem alere, ad illud usque tẽpus, ad quod pater, ex lege naturæ, vel alius ex iustitia nutrire, ac fouere debet. Est communis doctrina,& certissima.

Tertia conclusio, ista restitutio non est facienda deductis laboribus, vt existimauit Maior.

Primo, ex legibus superius citatis, quæ cum decernunt de hac restitutione facienda, simpliciter statuunt, damna sarcienda esse sine ulla limitatione.

Secundo, quoniam laboribus & industria subductis, nulla restat caussa cur restitutio fieri debeat: quandoquidem merces ob labores datur.

Tertio, si quis in auferret ab artifice instrumenta suę artis, ita vt per tres dies non posset laborare, si ille erat paratus ad laborandum, tantundem restitui deberet, ac si laborasse:: ergo idem dicas de eo, cui ablatum fuit vi

uum

tuum instrumentum, exempli gratia manus, cui satisfieri deberet, sine ulla laborum deductione.

Quarta conclusio, pro restitutione mébri, seu partis vitiatæ, nō Adriani, sed Marsilij regula seruanda est. Nā quæ si spectaremus læsi mentem, ipse pro integro regno non daret occulum, uel manum; vel saltem petere posset restitutionem omnino ab æquitate alienam, quam in hoc restitutionis genere seruandam esse diximus. Iudicio itaque boni uiri stan dum est, qui possibilem resti tutionem statuet.

Quincta conclusio, quod attinet ad restitutionem honoris, is est seruandus modus, quem consuetudo recta & iusta retinet, aut prudens & iustus uir, & in hac re uersatus homo statueret. Pro hac re legenda sunt multa capita in nostro opere de Pacificatione, vbi latissime, & priuate de hac re scripsimus: quæ nolumus hoc loco, sine necessitate repetere. Opus igitur citatum lector legat, & legisse fortasse eum non pœnitebit. Sed ne, quæ sunt ad huius conclusionis rectam intelligentiam necessaria, hic desiderentur, notanda quædam adscribam.

Primum, non est facienda honoris restitutio, cum fuit prouocatio mutua, vel quando qui fecit iniuriam importune fuit prouocatus, & denique, vt supra dicebamus, habenda est culpæ ratio Et cum fieri debet, cauendum est ne fiat cum infamia notabili offendentis, cuius etiam honori consulendum est: qua in re non raro peccari solet ab ijs, qui ignorant honoris naturam, & regulas, quas qui de honore cum ratione scribunt, tradunt: quas animaduertendas esse Octauianus Vulpellius, tractatu suo de pace, admonuit.

Secundum, quod Ioannes Andreæ, & Panormitanus cap. si rixati adnotarunt, cum quis remittit iniuriam, nō propterea remittere uidetur, expensas: similiter cum remittit odium, non censetur remisisse honoris satisfactionem. Siquidem, vt Bartolus l. si domus, ff. de seruitute præd. vrban. adnotauit, quando uni plura iura competunt, vno remisso, non censentur remissa alia: hic autem

sunt plura iura; igitur. Non est tamen audiendus citatus Doctor, in l. si tibi decem, §. primo, ff. de pactis, nec qui eum sequuntur, Ioan. Anan. capite 1. de maledicis, numero 13. & Anton. Burg. cap. 1. colum. pen. de empt. & uendit. qui dicunt offensum non esse obligatum ad deponendum odium, ni percussor prius ueniam petierit: quia id affirmare est error in fide, cum ex doctrina Christi, apud Matth. cap. 18. & ex communissima sententia, odium statim sit dimittendum, ut lib. de Pacificatione latius docuimus.

Tertium, satisfactio pro iniuria, proprie fit per summissionem, & per uerba, ueniæque petitionem, ac etiā, sed non ita proprie, per pecuniam. Quod possit fieri per ueniæ petitionem est communis doctrina, & speciatim. Soti lib. 4. de Iusti. & iure q. 6. art. 3. & Didaci Couar. licet Caietanus hunc modum impertinentem esse dicat; vt infra planius dicetur. Quoniam, vt contumelia est contemptus quidam; ita ueniæ petitio, & summissio est honoris & reuerentiæ signum: quare aptissimus est hic modus ad læsum honorem restituendum. Quod autem talis restitutio possit fieri pecunia, docent Baldus, & Alexander l. si tibi. §. quædam de pactis. Bar. l. cum mota, de transact. Petrus Follerius, de accusatione porrecta, num. 26. & Couarruuias lib. 2. variarum resol. c. 10. num. 7. Medina cod. de rebus rest. Quo fit, ut is qui perpessus est iniuriam non teneatur restituere pecuniam si quam accepit, ut iniuriam remitteret: &, si hac de caussa ei promissa fuit, potest eam in iudicio repetere. l. Transigere, C. de transact. Honoris autem æstimatio fit ab actore, salua tamen Iudicis moderatione. Ita adnotauit Couarruuias loco citato, & probatur ex l. Iudicamus. §. 1. ff. de in litem iurando: & ex Glo. in principio, Inst. de actionibus. At uero æstimatio damnorum, & expensarum fit ab Iudice, & offensus iurat: Ita Panormitan. c. ultimo, de his quæ ui, metusve caussa fiunt, & c. Olim, de iniurijs & damno dato, & ibi doctores. At uero in lege antiqua, ut Exod. c. 21. habetur, qui damnum acce-

acceperat, quid sibi restitui uellet dicebat, & arbitri iudicabant. Quod autem attinet ad modum restituendi honorem per veniæ petitionem, illud occurrit animaduertendum, hunc modum interdum non esse accommodatum; vt si offendens esset persona in gradu constituta, & qui iniuriam accepit, esset ei subiectus: quæ doctrina, ex diui Augustini scriptis colligitur. Similiter, quando iniuria esset magna, non sufficeret simplex veniȩ petitio vt Sotus, & Couarruuias scribunt.

Quartum, possunt qui iniuriam in honore passi sunt, hanc restitutionem remittere: ac proinde nullo modo est audiendus Petrus Follerius, loco supra citato, nu. 14. qui ait, esse contra caritatem iniuriarum actionem remittere; cum id sit maxime ex caritate: nemini enim per se, fit iniuria, si quod sibi debetur, alteri condonetur. Posset tamen ex accidenti non licere, cum inde maius oriretur malum: vt si reus inde euaderet magis contumeliosus, & reip. perniciosus.

Quinctum, qnando reus, seu offendens vellet satisfacere pro illata iniuria & damno extra iudicium, tenere tur, vniuerse loquendo, offensus hanc satisfactionem arbitrariam acceptare, & ab accusatione cessare; ut Syluester, & Tabiena adnotarunt. Quoniam hunc ordinem requirere videtur caritatis lex, ut si quis extra contentionem possit quod suum est recuperare, debet a contentione abstinere. Adde etiam, quod alias id non fieret sine scandalo. Quædam alia, hac de re infra dicentur, cũ de honoris restitutione agam. His adnotatis, restãt tres dubitationes ad hunc locum pertinentes, quȩ nullo modo prætereundȩ sunt.

Prima, an dimisso odio, salua religione, qui offensus fuit, possit agere contra reum pro honoris restitutione, & an honore restituto, ex zelo iustitiæ curare, ut reus iudicis sententia pro commisso crimine puniatur. Ad quam dubitationem respondeo duobus dictis.

Primum dictum, Remisso & efuso omni odio, potest offensus agere contra reum vt sibi satisfaciat pro iniuria,

ria,& damno illato:quod his rationibus probatur.

Primo,ex decretis Pontificum,cap. Prælatis de homicidio lib.6. cap. Quoniam, de immunitate ecclesiarum eodem libro & capite, vt famæ, ext. de sententia excommunicationis.

Secundo,ex communi doctorum sententia, ita Glos. cap.Prælatis,citato,Glo.§.fi.Inst.de iniur.Glossa cum si quis contristatus,dist.90.Can.Is qui 23.q. 4. c. Ad apostolicę, de sententia & re iudic. libr. 6. Bartolus l. Non solum,& l.si tibi decem §.1.ff.de pactis;Baldus,l.prima §.iniuria,de pace iuramento firman. l. Non solum §. 1. ff.de iniurijs:Hippolyt.de Marsil.singulari 246. num.1. Roman.l.2.ff.ad Syllaianum. Limitatur hæc doctrina, quando non esset facta plena remissio tunc enim non liceret agere. Ita Bal.& Rom.locis citatis, Felinus cap. Inter quattuor, de maiorit. & obedientia, Speculat. & Couar.Ex qua limitatione colligere licet,quomodo intelligendi sint,qui contra sentire uidentur,& speciatim Bar.l.1.§.Vsque adeo ff.de iniur.num.1.quorum sententia procedit,cum est facta plena remissio: quo casu,qui vlterius procedere volunt,a foro iudiciali repelli solēt.

Tertio, eandem doctrinam ex eo confirmare licet, quod Deus eodem modo se nobiscum gerit;dum,remissa culpa,a nobis debitas pęnas reposcit: igitur si idem homo efficiat,non peccabit.

Quarto, accedat denique ea ratio,qua vtitur Portius §.fi.Inst.de iniurijs:quia alias viro probo, iustitiæ caussa, ad emendationem facientis iniuriam non liceret agere actione iniuriarum,quod videtur absurdum.

Secundum dictum;post acceptam satisfactionem pro illata iniuria,adhuc licet agere in foro iudiciali, & offensorem accusare,vt reip.per debitas pęnas satisfaciat. Hoc affirmauerim contra Petrum Follerium,loco supra citato:qui docet,id fieri non posse,sine lethali culpa, & eum,qui id faceret,non esse a confessario absoluendū. Nostrum tamen dictum est Didaci Couar.lib.2. variarum resolutionum c.7.num.7.& Panormit.c.1.de Iniur.

&

& damnum dato. Et ratio est in promptu, quia si alius quispiam posset id efficere, cur non etiam poterit, qui fuerit iniuria affectus? modo id zelo iustitiæ, & in utilitatem publicam faceret. Verum, quia rarissime id fieri posset sine scandalo, ac etiam sine aliquibus odij reliquijs; propterea, licet res ex se non sit mala; tamen non esset ad praxim redigenda: quare, cum inde sequeretur maius damnum animę, uel corporis, aut scandalum, esse omnino a tali accusatione abstinendum, ut Syluester, Tabiena, & Couar. monent. & nos fusius libro de Pacificatione monuimus.

Dubitatio secunda, qui per veniæ petitionem & summissionem sese humiliat ei, quem iniuria affecit, videtur omnino satisfecisse, cum hoc satisfactionis genus haberi soleat, & debeat pro maximo, & efficacissimo; igitur nihil amplius videtur ab eo repetendum. Esto, istam uenię petitionē ac summissionem ex se suaq; natura esse maxime ad iniuriam delendam accommodatam; tamen interdum ob iniuriæ magnitudinem, non est sufficiens: ideo remanet pœna a iudice repetenda. Contra uero, licet quis tallionis pœnam per iudicis sententiam perpessus fuerit; adhuc tamen remanet obligatus ad satisfaciendum ei, quem iniuria, & damno affecit.

Tertia dubitatio, qua ratione satis potest honori fieri, cum pluris ab hominibus fiat, quam quoduis aliud huius uitæ bonum? Respondetur, ut homines honorem magni faciūt, ita etiā pro suo arbitrio quasdam inuenerūt rationes, per quas honori sibi iniuste ablato, fieri satis posse putant: quare, ubi ea satisfactio data fuerit, quę sufficiens putatur, & offensus requirit, bonive viri iudicium decernit, plene pro illata iniuria restitutum esse putandum est. Quare cum offensor id præstiterit, quod præstari solet, & repeti cum ratione potest, qui iniuriā accepit, nihil amplius requirere debet: non secus ac ille cui centum numi debebantur, quibus acceptis, nihil aliud repetere potest, aut debet. Sed de hac disputatione hactenus.

De

De modo quæ facienda sit restitutio ab homicida. Quæstio XV.



T est grauissima homicidij iniustitia, ita etiam est difficilima pro huius criminis culpa restitutio: quod, vel ex eo patet, quia varie omnino sentiũt scriptores: de qua re hęc est Ioannes Maioris lib. 4.sent.dist.15.quæst. 19.sententia, quæ ad quattuor dicta reuocari potest.

Primũ, tenetur homicida ad restitutionẽ totius lucri, quod suis operibus is, qui necatus est, fecisset, si uixisset.

Secundum, hanc restitutionem facere debet parentibus, & filijs: ita ut, si occisus familiam alebat, ad illam alendam sit obligatus.

Tertium, si isti quibus facienda est hæc restitutio, sint diuites, & habeant unde viuant, homicida ab hac restitutione erit liber.

Quartum, ratione lucri, cessantis restitutio facienda est demptis laboribus.

At vero Scotus dist.15.quæst.3.Gab.eadem dist.q.15. Adrian.quæst.ult.de restit.Almain. quæst.3. Antoninus 2.parte.tit.2.cap 2.§.2.hæc docere uidentur.

Primum, conueniunt cum prima opinione in primo dicto; & addunt, faciendam esse etiam restitutionẽ spiritualem, vt supra diximus.

Secundum, cũ restitutio facienda ab homicida sit valde difficilis, expediret, vt patiẽter, pro perpetrato crimine mortem ferret, quia hac ratione per legem tallionis, quæ est iustissima, plene satisfaceret. Quod intelligunt, non ratione damni illati, pro quo satisfaciendum esset, sed pro offensa illata, & uitæ priuatione.

Tertium, si talis lex non uigeret, dat hoc consilium Scotus, vt homicida exponat uitam suam pro rep. in aliquo bello iusto.

Quartum, si petas quantum restituendum, sit pro dãno illato, respondet Adrianus ex Speculatore super c.

1.De

1.De iniur.& damno dato,eſſe obligatum ad reſtitutionem omnium,quæ occiſus lucratus fuiſſet toto uitæ tẽpore,quo probabiliter uiuere potuiſſet.Addit Nauarrus eſſe obligatum etiam ad expenſas factas,vel faciendas in funere.

Sotus autem & Ledeſma,ita de hac reſtitutione ſentire videntur. Primo,negant faciendam eſſe reſtitutionem ſpiritualem : Secundo,pro uita,ſeu corpore defuncti ſatisfaciendum eſſe ad arbitrium boni uiri : Tertio, tenetur ad ſarciẽda omnia damna,quę inflicta ſunt ijs, quibus mortuus ex iuſtitia tenebatur prouidere,aut ſatisfacere: non autem ad damna,quę patiuntur alij,quibus ex liberalitate occiſus aliquid donabat.

Quod autem attinet ad eos, quibus facienda eſt reſtitutio,ſcriptores non ſunt omnino inter ſe concordes:de qua re duæ ſunt opiniones.

Prima illorum qui exiſtimant faciendam eſſe omnibus hæredibus pro toto detrimento,quod ex homicidio capiunt.Ita ſentire videntur qui ſunt in prima & ſecunda ſententia:& Speculator tit.citat.§.2.atque Panormit. cap.ſi rixati. Ex qua ſententia hæc colligere licet. Primum huiuſmodi reſtitutionẽ fieri debere omnibus ijs, qui de iure poterant in hæreditate ſuccedere; vt hæredibus fratris occiſi. Secundum,reſtituendum eſſe etiam creditoribus : Tertium,fieri debere etiam de lucris ceſſantibus: ut,ſi occiſus habebat cenſus,uel officium aliquod,cuius fructus per mortem ceſſarent.

Secũda Soti lib.4.de Iuſt.& iure quæſt.6.art.3.& Ledes.ſecunda par.quarti quęſ.18.art.2.qui diſtinguunt de hęredibus : hæredes ſunt in duplici differentia; alij,qui non poſſunt a tota hęreditate excludi, alij vero qui excludi poſſunt, iſta reſtitutio prioribus hæredibus faciẽda eſt,non autem poſterioribus.Quid autem in hac opinionum uarietate nobis probabilius uideatur,ſeqentibus concluſionibus ſtatuemus.

Prima concluſio,Homicida in his caſibus,quos afferam,ab omni reſtitutione,ex iuſtitia facienda,liber eſ-

se uidetur, de quibus præter alios uide Ostien. in summa tit. de iniur. & damno dat. §. 4. Primo, quando occisus, ante obitum, uel post obitum eius hæredes omnem satisfactionem, & restitutionem donarunt. Secundo, cũ homicidium factum est ex mutua prouocatione, ut accidit in duello, uel cum homicida fuit importune prouocatus. Tertio, cum homicidium natum est ex defensione sui, vel aliorum, cum moderamine inculpatę tutelæ, licet Nauarrus num. 24. aliter sentire uideatur. Quo loco illud admonuerim pro Confessarijs, eos posse, & debere, cum modo tamen, hortari lethali vulnere lęsum, & occisi hæredes, præsertim si non sint pauperes, ad omnem restitutionem condonandam, salua semper æquitate: idque ea de caussa, quod sit ualde difficile hoc restitutionis genus. Posset autem speciatim, ac liberius hortari ad remittendam restitutionem pro damno uitæ illato, & pro facta iniuria.

Secunda conclusio, restitutio pro illatis damnis, facienda est, ex sua natura, etiam si hæredes defuncti sint diuites, quod contra Maiorem dixerim.

Primo, quoniam hic intercedit inæqualitas, quæ respectu cuiuscunque personæ instauranda est.

Secundo, qui furatur homini ualde diuiti, tenetur restituere: ergo idem dicendum est in casu nostro.

Tertia conclusio, quádo occisio fuit iniuriosa, facienda est restitutio pro expensis, lucro cessante, & damno emergente, ad arbitrium boni uiri, qui hæc omnia poterit animaduertere. Personam occisi, an esset iuuenis, an senex, an boni an mali habitus: si poterat lógo, aut breui tempore uiuere: uitæ & lucri incertitudinem: damni emergentis conditionem: an paullo post in hæc dãna potuisset incurrere: homicidæ statum & fortunam, an sit pauper, uel diues: & an maiori, minorique culpa necauerit: & denique eorum conditionem quibus faciẽda est restitutio. Vbi etiam illud monuerim, de quo postea latius, neminem restitutionis faciendæ caussa redigendum esse ad necessitatem extremam. Nec placet om-

ni ex

ei ex parte, quod ait Nauarrus, de obligatione soluendi expensas pro funere factas; quia huiusmodi expensę alias faciendę erant: quare, ex sui natura, nihil est pro his restituendum; nisi fortasse aliquid extrinsecus accedat; ut si maiores factæ fuissent, uel aliquid simile. Neque rursus placet, quod idem Doctor ait, operas taxatas esse precio sexaginta aureorum, per legem primam ff. de ijs qui deiecerunt; cum tamen alibi contrarium sẽtiat. Idem dixit Ostien. tit. de damno dato. Sed hic auctor ait, tunc hanc legem habere locũ, quando aliter res sciri non potest. Ratio autem cur ista opinio nõ placeat, ea est, quia lex ista cõdemnat eum qui occidit casu, nõ autem quemcunque occisorem absolute, ut patet ex ipso titulo sub quo ista lex continetur, De ijs, qui deiecerunt: qui solent casu nocere. Ita docet Panormitanus c. si rixati. Adde etiam, quod ista pecunia est taxata pro pęna homicidij, ut Ostiensis adnotauit: alias enim morte mulctandus erat, secundum leges.

Quarta conclusio, non tenetur homicida, ex iustitia, sese offerre iudici, aut ad bellum proficisci, ut pro homicidio satisfaciat: neque si hæc pęna a Confessario imponeretur, obligatus esset ad eam acceptandam: quoniã alia est ratio & uia ad satisfaciendum pro iniustitia cõmissa: quare Scoti doctrina quam etiam Ang. sequitur, potius ad perfectionem, quam ad necessitate salutis pertinet. Quod nos docemus, docet etiã Syl. uer. res. 3. quęs. 2. Præstaret igitur, ut bonis operibus, sacrificijs nimirũ, & eleemosynis defuncti animam iuuaret. Posset tamen imponi pęnitentia, ut pro religione uitam in bello exponeret, quam absque peccato nõ acceptare liceret. In imponenda pęnitẽtia pro homicidio, animaduertat Cõfessarius conditionem hominis occisi, & homicidæ, atque etiam culpam, an sine caussa, an data opera, an casu occiderit.

Quincta conclusio, si ex homicidio occisi familia, seu hęredes aliquid iniuriarum acceperunt, debet reus pro hac iniuria satisfacere hęredibus. Id docét communiter

niter doctores, & speciatim Antoninus loco citato : ratioque suadet, cum pro omni facta iniuria, danda sit satisfactio.

Sexta conclusio, restitutio actiua damnorum, & expensarum, si non fuit facta ab homicida, transit ad eius hæredes. Si itaque occisor mortus est ante restitutionem a se faciendam, hoc onus, una cum hæreditate trãsit ad eius hæredes: qui obligantur ad satisfaciendum creditoribus defuncti.

Septima conclusio, Honoris restitutio, seu satisfactio pro iniuria illata, non transit ad hæredes. Quoniam hoc genus restitutionis est personale; & ideo ab eo fieri debet, qui iniuriam fecit. Quod si honor ante homicidæ mortem pecunia æstimatus fuisset, tunc satisfactio ad hæredes transiret.

Octaua conclusio, restitutio facienda est omnibus hæredibus defuncti, siue sint necessarij, siue non: omnibus inquam, qui potuissent de iure in hęreditate succedere. Est hæc conclusio contra opinionem Soti & Ledesmæ, quam aliqui non improbabilem putant: nostra autem his rationibus confirmatur.

Primo, ex communiore sententia, quæ nobiscum facit, quam, ut alias diximus, sequi debemus, cum non est aliqua ratio, qua efficaciter impugnetur.

Secundo, omnes hæredes occidentis sunt obligati ad restitutionem actiuam: ergo omnibus qui possunt talem restitutionem exigere, vt Panormitanus arguit, facienda erit, ut pari ratione sentiant commodum & incommodum.

Tertio, quicunque hæres, qui de iure succedit, in foro externo potest hanc restitutionem petere; est igitur illi facienda; si uerum est, quod Sotus ipse lib.4.q.6.art. 3. dixit, regulam ad cognoscendum quando ex iustitia facienda sit restitutio, eam esse, An id de quo quæritur, possit in foro exteriori repeti. Nam, quod in foro exteriori fit, modo absit falsa præsumptio, obligat etiam in foro conscientiæ. Exempli gratia, lex vult vt mihi soluas,

uas, si per tres idoneos testes probem, te mihi debere; id si ita est, utique soluere debebis.

Nona conclusio, damni restitutio non solum est facienda heredibus, sed etiam creditoribus, & omnibus ijs, quibus homicida ex iustitia aliquid dare tenebatur; si ob homicidium isti, eo quod sibi debetur, priuantur. Est enim par ratio, cum restitutione facienda hæredibus; cum, quę occisus habebat, aut habere poterat, ex iustitia, essent iam creditoribus obligata. Diximus, ex iustitia, quia ijs, quibus ex liberalitate dabat, nulla est restitutio ex necessitate salutis facienda. Quoniam isti non habebant aliquod ius in defuncti bona: alias enim homicida teneretur ad faciendas omnes eleemosynas, quas mortuus faciebat, quod uerum non est. Filios autem defuncti, si patris laboribus sustentabantur, ad eam usque ætatem alere debet, ad quam pater iure naturæ alere est obligatus; nimirum ad pubertatem usque.

Decima conclusio, non est improbabile, quod aliqui dicunt, homicidam esse obligatum ad restituendum illis, quibus occisus ex liberalitate dabat, si eo animo hominem necauit, illis ut noceret. De hac conclusione infra priuatam excitabo controuersiam, ubi quid sentiendum sit, cum quis iniquo animo alicuius bonum impedit, accuratius explicabo. Ex his, quæ hactenus probata sunt, nonnulla colligere licet.

Primum, quam sit res periculosa hominem occidere, ob maximam difficultatem restitutionis, quæ vix bene fieri potest; & in praxi a paucis, eo modo quo fieri debet, fit.

Secundum, quot iniuriæ oriantur ex homicidio: primum fit grauissima iniuria Deo, cuius Imago, & similitudo offenditur, & præsertim, si is qui necatur, sit vir iustus & amicus Dei. Deinde toti reip. cuius erat membrum, præsertim si erat vir nobilis, & ciuitati vtilis. Postea priuatis hominibus, quibus & carus, & vtilis erat, aut esse poterat: & speciatim domi, & familiæ suæ, Denique ei, qué vita priuauit, quem necando, paruũ quẽ-

G dam

dam mundum, quodammodo destruxit: & si fortasse erat in peccato, si pœnitentiæ locum non habuit, in causa fuit, ut ad grauissimas, & perpetuas inferni pœnas condemnatus fuerit; quibus omnibus aliquo pacto, facienda est restitutio. Vt omittam, quod etiam eius Angelo custodi quandam iniuriam facit: non secus ac virū nobilem iniuria afficeret is, qui eum hominem offenderet, quem ipse tuendum suscepisset.

Tertium, etiam si quis per legē tallionis, ut supra de mutilatore diximus, mortis pœnam pro homicidio facto, patiatur, adhuc curare debet, vt omnia damna resarciantur, vt preter alios Couar. & Nauar. locis citatis docent: quia per hanc tallionis pœnam, solum satisfit reip.

Postremum, quod etsi magis fortasse peccet, qui virū nobilem necat, quam qui artificem, tamen, ad maiorem restitutionem potest esse obligatus artificis occisor, quā hominis nobilis, ratione lucri cessantis, & damni alijs illati: ex qua parte, qui inutilem & ociosum hominem necat, nihil restituere debet. Et quoniam satis abunde de restitutione bonorum corporis disseruimus, sequitur vt ad alium bonorum ordinem transitum faciamus.

De famæ, laudis, gloriæ, honorisque natura.
Quæst. XVI.

QVONIAM igitur de bonorum internorū, animi uidelicet, & corporis restitutione hactenus disputatum est; sequitur, vt iuxta propositam methodum de bonorum externorū compensatione dicamus: in quibus primum locum obtinet fama, quā in aliorum animis possidemus: de qua pauca a nobis scribenda essent, si ita facile restitueretur, vt facile ab omnibus fere aufertur. De hac itaque huius nostrę tractationis parte scripturi, hęc nobis explicanda proponimus. Primū, quæ sit famæ natura, & quanti facienda sit, vt inde quanta cura sit restituenda, uel ab eius lęsione cauendum intelligatur. Deinde an eius re-

stitutio sit neccessaria ad salutem. Postea, qua ratione re stituenda sit, varijs quæstionibus disputabitur.

Quod igitur ad primum attinet, quia plurimi refert ad restitutionem famæ explicandam, prius quæ sit famæ naturá præcognoscere, ideo hanc primo loco disputationem proposuimus. Et quoniam fama magnam affinitatem habet cum honore, gloria, & laude, de his quoque, integram & absolutam harum rerum tractationem in alium locum reijcientes, non nihil dicemus. Et licet variæ sint his de rebus propositis opiniones, ac etiam dubitandi rationes; tamen cum nolimus extra rem, de re vlla latius disputare, ista omnia scientes & prudentes præterimus.

Laus, ut ab ea auspicemur, a laudo, quod aliquē verbis extollere & celebrare significat, uel ἀπὸ τȢ λαοῦ.i. a populo dicta est: quod laus, sit quædam populi uox, de aliquo recta loquētis, quam hoc pacto libro primo Rhetorices capite nono Aristoteles finiuit. Laus est sermo elucidans magnitudinem virtutis. A Cassiodoro in psalmum uigosimumtertium hoc modo describitur. Laus est celebre præconium, & frequentata laudatio.

Gloria ab Augustino libro 15. de Ciuitaté Dei c. 12. hac ratione finitur. Gloria, est iudicium hominū de aliquo bene opinantium. Ab Ambrosio in epistolám Pauli ad Romanos, hunc in modum: Gloria est clara notitia cum laude; uel ut M. Tullio libro tertio Tusculanarum quæstionum placet, Gloria est frequens de aliquo fama, cum laude: qua descriptione bonus Orator utrāque definitionem complexus est, Gloria enim in illa celebratione, laude facta, opinionis, quam de aliquo habemus, consistere uidetur.

At vero ab Aristotele loco supra citato, his verbis descripta fuit, Gloria est cum uirtuosus a cunctis existimatur, aut id habere putatur, quod plures, uel probi, uel prudentes expetunt. Quidam per metaphoram gloriam describentes, dixerunt esse, Virtutis umbram, ita Bocchius, in suis symbolis: Alij esse crocodilum, cuius

ea est natura, ut sequentem fugiat, & fugientē sequatur.

De honore totidē fere afferuntur descriptiones, quot fuerunt de eo scriptores: cuius tamen naturam optime expressit philosophus libro primo Rhetorices, cum dixit, esse σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης, id est, signum beneficę opinionis, non gloriæ, ut quidam minus recte tra ducunt. Consistit itaque honor in aliquo exteriore signo, quo declaramus opinionem quam habemus de uirtute beneficentiæ alicuius: per quam uirtutem omnes aliæ intelliguntur: cum honor proprie & uere soli debeatur uirtuti; cuius esse dicitur pręmium. Tribuit autē ingeniosissimus philosophus honorem speciatim beneficētiæ, quod hęc uirtus sit diuinitati maxime propria: cum homo beneficus Deum opt. max. imitando, sua in alios distribuat bona: quod q faciunt, præcipua quadā ratione, sunt honore digni: quem rursus hoc pacto describeres; Honor est reuerentia exhibita alicui in testimonium excellentiæ ipsius. Per excellentiam intelligimus quamcumq; perfectionem, quæ uel in uirtute, uel in scientiis & artibus, uel in diuitijs, uel in potestate, pulchritudineque consistit. Volumus enim hoc loco ali quanto latius honoris uim extendere, quod est ad rem, quam tractamus explicandam ualde accommodatum.

Differt honor a laude, & gloria; quod ille magis in signis, ut in genuum flexione, manuum osculatione, & alijs similibus apud omnes, aut certas nationes honoris gratia usurpatis: hæ uero, magis in uerbis: honor est ad se, laus & gloria ad alios: ideo enim alios gloria & laudibus afficimus, ut eos ad uirtutē excitemus: hinc fit, ut laus nō tribuatur proprie Deo, nisi ut est honoris signū.

Famam hunc in modum Glos. cap. uestra de cohabit. cleric. finiuit, Fama est illesę dignitatis status legibus & moribus approbatus, in nullo diminutus: quam descriptionem non approbat Adrianus, in quæst. de restit. famę, ubi hanc aliam tradit; Fama est ęstimatio inculpatę & bonę uitæ, quam de aliquo habent homines. Nauarro autem in summa capite 18. num. 19. hunc in modum

dũ definire placuit, Fama eſt bona æſtimatio de aliquo, qui putatur bonus, uel habilis in aliquem bonũ uſum. Quę deſcriptiones, & ſi ſatis conuenienter traditę ſint; tamen hoc etiam pacto fama finiri non incongrue poſſet: Fama eſt opinio quę de conditione, & moribus alicuius habetur, ſigno aliquo expreſſa: famę itaque ſubſtãtia in quadam opinione, quę de alio habetur conſiſtere uidetur: quę opinio, ſi ſigno aliquo exteriori manifeſtetur, tunc quodammodo apparet, & eluceſſit: cum nemo opinionem, ſeu exiſtimationem illam poſſit cognoſcere, niſi aliquo accedente ſigno.

Si illa opinio ſit de uirtute, de bonis moribus, ac rebus pręclare geſtis, bona dicetur fama: ſi uero de uitijs, ac rebus turpiter actis, mala nuncupabitur. Quare, fama uniuerſe ſumpta, in bonam & malam diuidi poteſt. Rurſus eam diuideres in ueram & falſam: uera eſt illa, quę conſiſtit in opinione uera: falſa uero, quæ in opinione falſa. ex quibus colligere licet, famã duobus modis ſumi poſſe: uno modo, pro ipſa opinione, quę in aliorũ animis eſt; altero modo pro illius opinionis manifeſtatione, quę fuſe lateque hominum ſermonibus ſpargitur, quam elegantiſſime libro quarto Aeneidos deſcripſit Virgilius.

Sed ut adhuc planius famę uim atque naturam percipias, animaduerte omnes homines pro bonis haberi, cũ contrarium de eis non conſtat. In dubio enim quilibet pręſumitur bonus. Ex qua honeſta pręſumptione, homines quoddam acquirunt bonum, quod in aliorum animis poſſident; bonam illam nimirum opinionem, quã prudentes homines pluris faciunt, quam quoduis aliud humanum bonum. Quod ſi ad hãc pręſumptionem, ſeu anticipatam opinionem honeſtę accedant actiones, bonique mores, & egregia illuſtriaque facinora, iam illa opinio corroboratur, & quaſi conſolidatur, ita ut nõ facile ab hominum animis euelli queat. Homines itaque bene honeſteque agendo illud bonum, quod famam nominamus in aliorum animis ſibi acquirunt, non ſecus

ac per operas, & artium usum sibi pecunias comparat. Ij autem, qui bonam de aliquo opinionem ob ipsius uirtutes conceperunt, quasi alieni boni possessores, fructus aliquos quadam honestatis obligatione suis dominis, ijs nimirum de quibus recte sentiunt, restituere debent, bonā illam opinionem sermonibus, alijsque signis manifestando; ex quibus, quasi quidā bonus odor, in alios bona diffunditur fama. At uero, si quis opinionem quā habet de alicuius improbitate, si illa sit occulta, aut falsa de illius malitia sermones spargat, is diffamare dicitur, quod nihil aliud est, quam aliquē illo maximo bono, quod in aliorū animis possidebat priuare, unde maxima consurgit iniustitia, & inęqualitas, in eo bono de cuius restitutione a nobis differendum est.

Quæ hactenus definiuimus bona, hoc ordine collocanda esse uidentur: ut primo loco ponenda sit fama, id est illa bona opinio & existimatio: quam sequitur honor, signū. s. illius bonę opinionis; ac etiam laus, qua voce prædicamus eū, de quo bene sentimus: hanc subsequitur gloria, frequens videlicet apud multos laudatio.

Hæc bona, vt inter se differunt, quod ex ipsorum finitionibus patet, ita etiam his potissimum modis conueniunt. Primum, quod non sunt collocanda in numero virtutum, cum non efficiant hominem, ex se, bonum, quod est virtuti maxime proprium: sed potius supponunt aliquam hominis bonitatem, ac perfectionem. Deinde, quod non sunt in nobis, sed in aliorum, vt sæpe diximus, animo vel potestate; unde de honore, libro primo Ethico, capite quincto, Aristoteles dixit, esse magis in honorantibus, quam in honorato: quo fit, vt bona dicantur externa, hoc est, extra nos posita. Postremo, quod in bonis externis primum obtineant locum, cum sint multo maiora bona, & multo pluris facienda, quam diuitiæ & opes, vt statim demonstrabimus: minora tamen, ex se, quā animi & corporis bona. Quod igitur hęc sint maxima quædam bona, & nullo modo negligenda his demonstratur rationibus.

Primo,

Primo, auctoritate diuinæ scripturæ: Melius inquit Sapiens, Prouerbiorum c.22.est nomen bonum, quam diuitię multæ. Ideo, alio loco, Ecclesiast.41.monebat, curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille, thesauri pretiosi.

Secundo, auctoritate humana, Publianus in suis Mimis, de fama loquens, aiebat, Honestus rumor alterum est patrimonium: Plautus in Mustellaria, ego si bonam famam mihi seruasso, sat diues ero. Ouidius libro 4. de Tristibus, Perpetui fructum donaui nominis, idque, Quo dare nil potui munere, maius habet. Quo loco innumeras possem sanctorũ patrum afferre ad hanc rem demonstrandam auctoritates, ut Lucij Papæ epistola ad Episcopos Gallię, Hieronymi epistola ad Celantiam, Cassiodori, & multorum aliorum, quos breuitatis caussa omitto.

Tertio, confirmatur ratione, quia ista bona oriuntur ex opinione uirtutis: tunc enim bene de aliquo existimamus, eumque laudamus, & honore afficimus, quando eum uirtute, præditum esse putamus: virtus autem, tale est bonum, ut pro ea retinenda, etiam uita ipsa exponenda sit. Quare, cum homines contendunt pro honore, aut de fama sunt soliciti, non tam curam habent de illo exteriore signo, prædicationeque, quam de virtute, quam sibi deesse alios existimare nollent: quamuis, re vera, nulla contumelia, aut uituperatio nos uirtute priuet. Quare, tandiu aliquis in virtute esse censetur, quandiu hæc bona conseruauerit.

Postremo, hoc bonorum genus ideo putatur maximum, quod in hac uita nullum aliud sit maius, quod pro præmio uirtuti tribui queat. Cum itaque uirtus sit supremum bonum, non potest, non magni fieri id, quo uirtutis merita compensamus.

Ex quibus colligere licet, quam sit graue crimen alienam surripere famam, contumeliamque cuipiam inferre. Denique, ut huic disputationi sit finis, qui plura his de rebus videre voluerit, legat citatum de Pacifica-

tione opus,& Castaneum in suo catalogo, Nauar. in re-pe. in c. Inter uerba, vt alios scriptores, quos lib. 6. Introductionis in Sacram Theologiam citaui, nūc omittam.

An famæ restitutio sit de necessitate salutis. Quæstio XVII.



EXPLICATA itaque famę honorisque natura, de eorum restitutione deinceps agemus: ac primum quidem de fama restituenda, cum de ea, pro nostro instituto, priore loco scribendum sit. De qua re, illa primum sese offert disputatio, an eius restitutio sit de necessitate salutis: & quod non sit necessaria his confirmatur rationibus.

Primo, famæ restitutio nullo modo fieri potest sine iactura propriæ famæ; quia dum quis famam restituit, ostendit se esse iniquum, & alterius boni inuidum, unde maxima sequitur infamia: ne igitur qui famam abstulit, seipsum infamet, non est obligatus alterius famam resarcire; sicuti fur non debet omnibus suis bonis sese priuare, ut quod ab alio iniuste accepit, ei restituat. Confirmatur hęc ratio, quia sæpe contingit, ut non possit remitti sine uitę periculo, quo cum nemo restituere debet, cum maius bonum sit uita propria, quam alterius fama: ergo talis restitutio non erit semper necessaria ad salutem.

Secundo, incidunt sępe casus, in quibus sumus obligati alteri famam auferre: ergo, hoc posito, nulla facienda est restitutio: implicaret enim nos esse obligatos ad famam auferēdam, quam postea restituere deberemus. Quod sumptum fuit patet hoc exemplo, si ego pro certo haberem Petrum uelle in re grauissima decipere Frāciscum, debeo illum monere: quod facere nequeo, nisi infamando Petrum: igitur. Confirmatur idem argumentum hoc alio exemplo, Aliquis negat peccatum, de quo in iudicio accusatur; quod dum facit, accusatorem infamat, & tamen non tenetur restituere; igitur.

Ter-

Tertio, restitutio est facienda domino eius rei, quæ iniuste aufertur: at homo non est suę famæ dominus; quonia, ut proxima quæstione diximus, fama est quoddam bonum externum in aliorum opinione & potestate positum: igitur cum homo non sit famæ possessor, non est eius dominus; ac proinde ei restituenda non erit.

In hac disputatione, cum nulla sit inter Doctores discordia, quippe qui omnes concedunt famã iniuste ablatam restituendam esse, nullę occurrunt citandæ sententiæ: nec etiam cum in re perspicua versemur, ulla ponẽda sunt fundamenta: restat igitur, ut quibusdam conclusionibus quid tenendum sit exponamus.

Prima conclusio, Famæ restitutio est de necessitate salutis, est conclusio fide tenenda, & eo modo intelligẽda, vt conclusio illa, qua supra probauimus restitutionẽ communiter sumptam esse de necessitate salutis; ita ut nemo possit gratiam, vel beatitudinem consequi, ni famam iniuste ablatam restituat: etiamsi ex tali iniustitia nullum aliud sequatur detrimentum, præter bonæ opinionis damnum: quæ doctrina his rationibus confirmatur.

Primo, ex toto titulo, De purgatione canonica, & speciatim ex c. Inter solicitudines: & ex tota causa 5. quęst. 1. item ex doctrina Anacleti. 6. quæst. 1. can. Deteriores. Parcant, inquit Gregorius can. ex merito, singuli detractioni linguæ custodiantque sermones suos: & sciant quia cuncti qui de alijs loquuntur, sua sententia iudicabuntur. Idem confirmare licet ex iure ciuili, C. de libellis famosis. Huc accedat communis omnium doctorum sententia, quorum loca nihil est necesse in re manifesta citare, ut etiam omittam Pauli auctoritatem, qua ait, Detractores esse odibiles Deo.

Secundo, idem confirmatur ratione: qui proximum infamia contra iustitiam afficit, priuat eũ maximo quodam bono, cõtra iustitiã commutatiuam, ut ex proxima quęstione cõstat: quare non poterit vllã salutẽ cõsequi, nisi quod abstulit bonum, quantum in se est, restituat.

Tertio,

Tertio, crudeles putantur ab Augustino, cuius doctrina habetur apud Gratianum 11. quæst. 3. can. Non sunt, & 12. quæst. 1. can. Nolo, qui famam suam negligunt, de quare postea planius scribetur; ergo multo magis pro crudelibus habendi sunt, qui alienam famam lacerant: quare, ni resarciant, salutis participes nullo modo esse poterunt. Et ut ostendam huius criminis grauitatem, impietatemque, finge quempiam esse ita inhumanum atque crudelem, qui raptam e domo pudicam & honestã virginem, in mediam plateam ducat, ibique coram omni populo suis uestimentis spoliet, & nudam omnibus conspiciendam proponat: quam, obsecro, iniquus iste censeretur? & qua pœna dignus? Non secus faciunt qui alicuius honesti hominis famam lacerant, cum eius occulta pudenda, in medium vel falso, uel iniuste cognoscenda proponunt. Quam autem idem crimen sit sordidum & illiberale, ex eo intelligeres, si fingeres aliquem accepto mortuo & iam fœtenti cane, per uniuersam vrbem omnium naribus olfaciendũ exhiberet. Sed de huius criminis grauitate, non est hic locus disputandi latius: concionatoribus igitur hæc relinquatur materia.

Quarto, in alijs bonorum generibus facienda est restitutio: ergo in hoc etiam genere; cum hoc bonum sit vere nostrum, nostris bonis operibus acquisitum, & conseruatum. Quare, si eo iniuste priuemur, nobis restituẽdum erit. Quamuis autem hęc doctrina uniuerse sumpta, verissima sit, & certa fide tenenda: tamen, ad hoc, vt restitutio fieri debeat, nonnullæ requiruntur conditiones, quas sequentibus conclusionibus explicabimus.

Secunda conclusio, ut fama sit restituenda, debet esse vere ablata: quia, etiam si quis id faciat, aut dicat, unde auferri fama possit: tamen ailquãdo effectus non sequitur. Hanc conclusionem, quibusdam propositis casibus explanabo.

Primus, non tenetur aliquis ad famam restituendam, quando alicuius leuem culpam, aut uitium manifestat: quia, cum sit leuis materia, non infertur detrimentum.

Vt ecce, si quis de Petro diceret, solitum esse leuiter mẽtiri, collo incedere intorto, inepte capiti pileum accommodare: uel aliquid aliud simile minoris momenti.

Secundus, cum aliquid de alio manifestatur, quod aptum sit ad infamandum: tamen, ille non habet id pro infamia. Vt, si de aliquo milite glorioso diceres, multos necasse homines; de homine impudico, multas corrupisse mulieres, quod non tam ignominiæ, quam laudis loco ipse haberet: de publica meretrice, quod multos habeat amicos. Quoniam, & si in his casibus possit esse peccati graue contra caritatem: tamen, quia re uera nõ aufertur fama, nulla oritur ad restituendum obligatio.

Tertius, quando ab ijs, apud quos crimen manifestatur, manifestanti non creditur; vel quia pro mendaci haberi solet: vel quia quod narrat incredibile putatur: uel denique, quia non serio, sed ioco dixisse creditur, vt præter alios quolib. 9. adnotauit Adrianus.

Quartus, quando persona quæ infamia afficitur, uel omnino amisit famam, uel certe in ea re, de qua infamatur: exempli gratia, si de publica meretrice dicas, rẽ habuisse cum aliquo: de publico usurario, dedisse alicui pecunias sub usuris. Quo loco, nullo modo audiendus est Paludanus, qui affirmare nõ dubitauit, nos posse infamatum de uno crimine, infamare etiam de alio: quẽ iure quidem optimo reprehendit Adrianus, cui consentit Nauarrus in summa cap. 18. nu. 42. estque doctrina diui Thomæ 2. 2. quæst. 73. art. 2. Cum itaque re ipsa non est ablata fama, etiamsi data sit ad id efficiendum opera, nulla oritur ad restituendum obligatio: quamuis interdum grauiter, vt diximus, contra caritatem peccetur. Ratio huius doctrinæ, potest sumi a simili in furto: quia etiamsi quis operam dedit, ut rem alienam raperet: tamen, si non successit, nihil est restituendum: ergo idem dicendum est de eo, qui infamare uoluit, sed re ipsa nihil est de fama detractum.

Tertia conclusio, ut fama sit restituenda, debet esse iniuste ablata. Potest enim contingere, ut quis iuste famam

mam auferat,quo casu posito,etiam si auferendo peccauerit,tamen est ab omni restitutione liber. Ad hoc autẽ ut fama iuste auferatur, necesse est, ut legitima adsit auferendi caussa: legitima uero caussa in tribus cõsistit.

Primo in ueritate,hoc est, ut sit uerum crimẽ propter quod aliquis infamat: si enim imponeretur falsum crimen, fieret iniustitia, quæ ad restituendum obligaret.

Secundo, requiritur ordo; quoniam qui uerum crimen detegit,non præmissa admonitione, & correctione fraterna, facit contra iustitiam; similiter qui accusat de crimine antequam sit publicum, uel antequã venire possit in iudicium.

Tertio,requiritur necessitas,ut quæstione penultima de restitutione scribit Adrianus. Necessitas autem tunc adesse putatur,cum detegitur uerum crimen,seruato iuris ordine,ob utilitatem corporalem,uel spiritualẽ deliquentis,ut fit in denunciatione apud prælatos,& superiores; ut si denuntiaretur aliquis fornicarius apud Episcopum,post correctionem factam,hac de caussa, ut resipisceret. Aut fit in utilitatem reip qua ratione hęretici,& coniurati detegi solent. Aut denique in utilitatem alicuius priuatę personæ; ut si quis uellet Petrũ in seruum accipere,qui domino multum nocere posset,quod furari solitus sit: licet enim eum monere, ne accipiat, admonitione tamen pręmissa.

Quo loco illud diligenter animaduertendum est,hãc necessitatem non habere locum, si alia ratione his bonis prouideri possit. Siquidem,si alia sese offerret uia, alterius crimen ullo modo manifestari debet. Non secus, ac si medicus alicuius corpus curãdum suscepisset, qui non posset, salua religione & iustitia, membrũ abscindere, si alia datur ad sanitatem recuperandam uia. Qui itaque ex iusta caussa aliquem sua fama priuat,nihil restituere debet: ut patet de Iudice,qui per publicã sententiam diffamat delinquentes.

Ad ea quæ diximus,Maior,Sotus,& Nauarrus addũt, eum non esse obligatum ad restituendum, qui aliquem

in uno loco diffamat, si erat diffamatus in alio, de qua re nos inferius priuata disputatione late scripturi sumus.

Ex his quæ hactenus explicuimus, unum inferre licet, quod est diligenter memorię mandandum, posse aliquem auferendo famam, grauiter contra caritatem peccare, & tamen ad nullam restitutionem teneri; ut si quis legitime accusaret, sed tamen non ex caritate & utilitate, sed ex odio motus.

Quarta conclusio, obligatio de fama restituenda tũc locum habet, quando alia uia non fuisset recuperata.

Doctrina est certissima, & patet a simili, de eo qui furatus fuisset pecunias, quas si dominus recuperasset, fur ad eas restituendas non esset obligatus.

Quinta conclusio, qui aliquem infamauit, tenetur resarcire omnia damna, quę infamatus passus est ob infamiam sibi iniuste ablatam. Doctrina est certissima & communis omnium, quam speciatim tradit Adrianus. A multis enim functionibus, & dignitatibus arcetur, qui infamia laborat, ut 2.2.q.73.art.2. Angelicus doctor ait. Et quoniam per has conclusiones satis abunde, quid in hac quæstione tenendum sit, docuimus; restat ut allata in contrarium diluantur argumenta.

Ad primum, negamus non esse obligatum ad restituẽdum cum aliquo periculo propriæ famę: sicuti cum periculo & damno suorum bonorum is debet restituere, qui aliena iniuste occupauit bona. Neque qui restituit totius famæ iacturam facit: quoniam non habetur pro improbo simpliciter, sed tantum pro maledico. Nec cõfirmatio urget; quia raro aderit periculum uitæ, cum quo fama restituenda sit: sed hac de re inferius accuratius scribetur.

Ad secundum, cum quis est obligatus ad alterius famam minuendam; tunc, quia nihil contra iustitiam peccat, nullo restitutionis uinculo est obstrictus. Ad confirmationem, quid sit respondendum, paullo inferius latius dicetur.

Ad tertium primum, negari posset cõsequentiã: quia, esto

esto non esset dominus, adhuc ei restituendum esset, iuxta ea, quæ supra disputata sunt: Deinde falsum est non esse dominum, cum huiusmodi bonum honesta uiuendi ratione homines sibi acquirant; atque conseruent. Et licet in aliorum potestate aliquo pacto sit: tamen, nemo nos tanto bono priuare debet, quod iuste possidemus apud eos, qui bonam de nobis opinionem habent. Atque de hac difficultate hactenus.

Qua ratione fama restituenda sit, cum falsum, vel verum, sed occultum manifestatur crimen. Quæstio XVIII.

DEMONSTRATA restituendæ famæ necessitate; consequens est, vt de modo, quo restitui debet, & possit, agamus; quę, vt varijs modis auferri, ita etiam uarijs rationibus restitui solet. De qua re Scotus dist. 15. q. 4. Adrian. in quęst. de restitutione famæ, & Albertus. dist. in. 15. art. 34. ut alios omittam, legendi sunt. Modi quibus fama auferri consueuit, numerantur quattuor. Primus, quando imponitur falsum crimen; secundus quando uerum manifestatur crimen sed occultum, uel extra iudicium, uel in iudicio contra iuris ordinem; tertius, quo indirecte tollitur fama, cum quis verum crimen de quo fuit accusatus, negat: quo fit, vt qui accusat pro maledico & calumniatore habeatur: quartus, cum nullum crimē de nouo manifestatur, sed audita ab alijs crimina referuntur. In hac disputatione duos priores examinabimus modos, explicando qua ratione fama restituenda sit, cum vno vel altero fuerit diminuta modo.

Quod autem ad priorem modum attinet, omnes Doctores in duobus conueniunt: primum, qui infamauit debet apud eos in quorum præsentia crimen manifestauit, dicere, se non dixisse verum: alterum, si opus esset, deberet etiam id iureiurando confirmare: addit Adrianus, quod si hæc non sufficerent, deberet alia ratione satisfa-

tisfacere, ut gratia exempli, ueniæ petitione &c.

De posteriore modo, ita quidam scriptores statuunt. Debet coram eis in quorum præsentia alienę famæ detraxit, dicere, se male & iniuste egisse, cum crimen manifestauit: quod si hac ratione fama restitui non posset, alia tenenda esset uia. Verum ex hac restituendi ratione, ij apud quos occultum fuisset manifestatum crimen, in maiorem uenirent rei certitudinem. Qui tamen modus apud eos, qui non essent ita acuto ingenio, adhiberi posset: ex hoc modo id colligitur commodi, eum qui peccauit, apud alios suam famam possidere, & non esse palam infamem, cum constet crimẽ esse occultum. Quo loco adnotat Ostiensis, quem Antoninus 2. parte, tit. 2. c. 2. §. 3. sequitur, non posse in hoc posteriore casu fieri restitutionem eo modo, quo fit in primo, dicendo, falsum dixi: quia non licet mentiri ad famam restituendam: cũ non sint facienda mala, ut inde eueniant bona. Vt autem quid pro certo in hac difficultate haberi debeat, explicetur, has pono conclusiones.

Prima conclusio, qui iniuste aufert famam falsum imponendo crimen, debet eam restituere dicendo, coram illis apud quos fama fuit ablata, se falsum dixisse. Doctrina est communis omnium Doctorum, & speciatim Alberti, & diui Thomę 2.2. q. 62. art. 2. in responsione ad secundum, & Summistarum uerbo, Detractio, & restitutio. Dixi, iniuste, quoniam contingere potest, ut aliquis imponat falsum crimen, & non iniuste, vt si iudex sciret aliquem esse innocentem, qui tamen iuridice probatus fuisset nocens, quem per sententiam condemnando, de falso crimine infamaret; sed iuste & ideo nihil restituere deberet, & fortasse hic est unicus casus, in quo id cótingere potest. Quod autem hęc restituendi ratio sit idonea, ex eo patet, quia per negationem optime tollitur, quod affirmatum fuerat. Quod si neganti non omnino crederetur, tunc, ut Syluester, uerbo detractio, Angelus, Sotus, & alij docent, adhibendum esset iuramentum, & si necesse esset & fieri posset, etiam te-

stes,

ctes,quod tamen Nauarrus c.18 num.45. non puctat esse necessarium,nisi quando esset suspicio,illum ad reuocationem precibus, uel pretio, non ex conscientia esse inductum.

Secunda conclusio, ista restitutio posset fieri pecunia,quando aliter commode fieri non posset.Ita Richardus,Adrian.& Angles. Quoniam,cum restitutio non fit in specie, fieri debet in aliquo ęquali.

Tertia conclusio,quamuis per dictum restituendi modum fiat aliqua iactura famæ, adhuc tamen fieri debet: cum sit hic restituendi modus,ex se, maxime idoneus. Quoniam damnum,quod quis patitur in suis bonis per restitutionem in eodem bonorum genere, in quo alius læditur, non excusat a restitutione. Limitat hanc doctrinam, & bene, Sotus, quando persona infamans esset magnę auctoritatis in rep. & diffamatus infimę conditionis homo. Tunc enim non esset rationi consentaneum,ut ille per hanc restituendi formam sese diffamaret. Posset itaque, uel laudando, uel honorando, uel familiariter alloquendo, uel denique aliquid pecuniarū dando, ei satisfacere. Ratio huius moderationis ea est, quia,uel ille statum suum amitteret,uel officio suo non posset idoneę fungi. Quo cum detrimento,non debet, qui læsus fuit,uelle sibi famam restitui.

Quarta conclusio,quando aliquis diffamauit manifestando uerum crimen occultum tamen contra ordinem iuris,posset hac ratione restituere. Primo, dicendo se inique egisse, & contra iustitiam fecisse reuelando quę non debebat,& re melius cognita,se male locutum fuisse, sed hic modus,ut diximus,est parum efficax, quem tamen diuus Thomas,Scotus,& multi Doctores approbant. Secundo, & uidetur modus magis idoneus, quē Caietanus & Sotus cōmendāt,si occasionē sumeret laudandi & honorādi illū apud eos,apud quos diffamauit, & alios.Quo loco animaduertendum est,nūquam licere mentiri,ut alicui fama restituatur: cum mendacium non possit esse idoneum ad actum iustitiæ exercendum.

Quin-

Quincta conclusio, siue uno, siue altero modo aliquis infamet, tenetur ad integrum damnum restituendum, quod inde infamatus perpessus est. Quantum ad primum modum, cum crimen est falsum, omnes conueniunt, & ita communi confirmatur opinione: quod uero ad secundum attinet, cum scilicet manifestatur crimen uerum, sed occultum, Sotus existimauit non esse necessarium totum restituere. Vult itaque citatus doctor, in hoc casu, non esse exactam damnorum restitutionem requirendam, sed ad arbitrium boni uiri rē esse reuocandam: At uero Nauarrus, aliter existimauit, vult que diffamatorem obligatum esse ad æqualitatem sarciendam; sicuti cum falsum imponitur crimen: ita in Enchir. c. 17. nu. 46. cui opinioni nos libenter subscribimus.

Primo, quia ille, quamuis minus peccet, tamen re vera facit contra iustitiam, ob quam caussam ad restitutionem tenetur: cum ergo per iniustitiam inductum sit damnum, cur non erit secundum æqualitatem restituendum? cum infamator sufficientem damni caussam dederit.

Secundo, si vlla ratione iste potest excusari, ea certe, quia uerum dicit: atqui ratio restituendi in hoc casu, nō est quia dicitur falsum, sed quia contra iustitiam id fit manifestum, quod est occultum, vnde efficaciter consequitur famæ iactura: igitur, nihil obstat, quin integra fiat famæ restitutio; quæ ita possidetur, ac si nullum cōmissum fuisset crimen. Cæterum si casus occurreret, boni uiri iudicium requiri posset.

Quod si obijcias, qui crimen committit, est iniustus famæ possessor, cum peccando seipsum fama priuauerit, aut dignum reddiderit, vt priuaretur: ergo si infamatur, non fit contra iustitiam. Respondetur, hunc esse indignum quidem possessorem, cum tanquam peccator, etiam pane quo vescitur, sit indignus, sed tamen est iustus famę possessor, dum peccatum est occultum; quod perpetrando, non priuauit se bona illa opinione, quam sibi alias per bonas operationes acquisiuerat. Quare,

qui peccatum propalat, iniuste se gerit, dum eum priuat eo bono, quod adhuc possidebat. Ex his colligere licet, quantum cauere sibi debeant, ij homines, qui sunt Principibus & Prælatis gratiores, ne aliorum occulta peccata manifestent, vel aliqua ratione infament, unde illi qui Principibus inseruiunt, aliquo officio, aut dignitate priuentur.

Sexta conclusio, cum manifestatur uerũ crimen præter ordinem iuris accidentalem, nó oritur obligatio ad restituendum. Vt si quis accusasset aliquẽ die festo, aut loco non decenti, aut non seruatijs alijs conditionibus, quæ rei substantiam non attingunt. Doctrina est manifesta, & nulla probatione indiget.

An qui uerum in iudicio negauit crimen, sit ad famam restituendam obligatus. Quæst. XIX.

DVBIA, atque omnino incerta est hęc proposita difficultas, ob uarias scriptorũ in hac re sententias: quam nonnulla etiam argumenta adhuc magis dubiam, incertãque reddunt. Finge, ut statum huius quæstionis intelligas, Franciscum fecisse homicidium, cuius solus Petrus aliquam habet notitiam. Petrus perpetrati homicidij Frãciscum apud Iudicem reum facit, ita tamen, vt factum probare non possit: Franciscus a Iudice interrogatus, factum negat, ex qua negatione indirecte Petrus infamiam cõtrahit, & pro calumniatore habetur: quæritur an Franciscus debeat Petro famam restituere. Quod autem iste qui indirecte infamat, uerum negando crimen, sit obligatus ad famam restituendam, his potest rationibus demonstrari.

Primo, qui ita se gerit, infert damnum proximo: quare lędit iustitiam commutatiuam; ac proinde restituere tenetur: quod sumptum fuit, patet, quoniam si ueritatem fateretur, accusator non haberetur pro calumniatore, nec incideret in pœnas, quas dare debet, is, qui crimen,

amen, de quo accusat, probare non potest.

Secundo, si iste reus percuteret accusatorem, ob eam caussam, quod ab ipso accusatus fuisset, de occulto peccato, proculdubio deberet pro illato damno restituere: ergo pari ratione, cum eum infamia notat, uerum negã do crimen.

Tertio, iste, qui uerum inficiatur crimen, est reip. iniu rius, cum per ipsius negationem non possit Iudex ad iustam sententiam procedere: cum ergo ex hac quoque parte iustitiam lædat, non erit omnino a restituendo liber. Atque hæc sufficiant, ad alteram quęstionis partem probandam argumenta: in qua hæ sunt doctorum sententiæ.

Prima, Scoti in 4. dist. 15. quæst. 4. Richardi eadẽ dist. art. 5. quæst. 3. Gabrielis ibidem, quæs. 16. art. 2. conclus. 4. Antonini 2. par. tit. 2. cap. 2. §. 3. Petr. Aquilan. 4. sen. d. 15. quæst. 3. quorum opinio, ad tria reuocatur dicta: Primum, is qui in iudicio uerum, sed occultum negat crimen, ex se, & in particulari, non est obligatus ad restitu tionem: quia nemo tenetur ex iustitia ad sua crimina manifestanda. Secundum, iste semper peccat, quia negã do uerum crimen, mendacium dicit. Tertium, tenetur tamen ad aliquam restitutionem verbis uniuersalibus & generalibus faciendam, hoc modo, Meus accusator deceptus est, bonam habuit intentionem, homo est sim plex, non considerauit omnia; non habeatis eum pro calumniatore. Quare, nunquam est obligatus canere pa linodiam, dicendo, se falsum dixisse, dum uerum negauit crimen. Hæc isti.

Secunda sententia domini Caietani in suis commentarijs in 2.2. diui Thomæ, super art. 2. quæst. 62. & in sua summa in uerbo restitutio, qui tria dicit.

Primum, huiusmodi reum teneri ad restitutionem fa mæ, dicendo mentitus sum; & ita consequenter suum manifestaret crimẽ. Quod dictum probatur ratione ducta a simili, de eo, qui se defenderet cõtra aggressorem, non cum moderamine inculpatę tutelæ; qui ex commu

ni sententia, ad aliquam restitutionem teneretur: at eodem modo se habet iste, cum possit alia ratione se defendere, ut exempli gratia, per responsionem æquiuocam; igitur cum se inique defendat, debebit restituere.

Secundum, etiam accusator, cum non possit crimen probare, tenetur ad restituendum reo, dicendo, male dixi, & iniuste contra te egi. Ex quo infertur, istos non posse sibi inuicem hanc restitutionem condonare: quoniam ad aliquid maius tenetur reus, quam accusator: ille enim tenetur dicere falsum dixi: hic vero, solum male dixi. Ait etiam in hac restitutione facienda per accidens se habere, quod qui accusatur teneatur confiteri, & nō cōfiteri, & qui accusat posse probare, uel nō probare.

Tertium, tanto magis tenetur reus ad restitutionem, quanto maior est infamia illata accusatori: & tanto est maior, quanto magis accusator affirmat se reum peccātem uidisse, & reus magis negat se uisum fuisse.

Tertia sententia Ioannis Maioris quæst. 16. Adriani quæst. ultima de restitutione, Syluestri verb. Restitutio 3. quæst. 3. Soti lib. 4. de iust. & iure, quæst. 6 art. 3 Ledesmæ 2. parte. quarti quęst. 18. art. 2. qui doctores liberant hunc reum ab omni restitutione: cuius opinionis hoc est fundamentum: quia iste negando verum crimen, suo utitur iure, cum iniuste accusetur, quamuis negando peccet. Verum tamen est, quod Ledesma uidetur facere aliam sententiam, dum partim Caietani, partim horum opinionem amplectitur. Quare, si posset alia ratione se defendere, quam uerum negando crimen, ita ut negatio non esset necessaria, teneretur restituere, si autem nō posset aliter, quam negando, sibi consulere, esset a restituendo liber. Hæc tertia opinio, probabilior esse uidetur; sed in eo deficiunt, qui eam docent, quod nulla ratione muniunt, quod est magnum in docendo uitium. Vt quid in re ualde perplexa sentiendum sit statuamus, quædam nobis fundamenta ponenda sunt.

Primum fundamentum, non quæcunque crimina possunt in iudicium humanum adduci, etiamsi de ijs loquamur,

quamur, quæ in tali iudicio per accusationẽ delata puniuntur, sed ea tantum, quæ probari ab accusatore possint, qui si non probet, pœnas dare debet, ut patet ex Iure Canonico, capite primo & secũdo, de Calumniatoribus. Probatio autem, quam accusator adhibere potest, duplex est; altera plena, quæ est sufficiens ad conuincẽdum reum: altera semiplena, quę non est ita idonea ad rem demonstrandam, ut est auctoritas unius testis omni exceptione maioris.

Secundum fundamentum, qui ueri criminis, sed occulti, ut est illud, quod probari non potest, reus agitur, non est obligatus ad ueritatem manifestandam, cũ eius crimen ad iudicium humanum non pertineat; sed potest, uel nihil respondere, uel ambiguis uerbis uti, ut alibi, cum de iudicijs scribam, planius docebo: quando autem crimen probari potest, certissimũ est, quidquid vulgus existimet, esse obligatum ad ueritatem dicendam, etiamsi de uita agatur. Quare non est dubitatio, si crimen sit huiusmodi, quod ad iudiciũ pertineat; quia certum est in tali casu, si neget, esse obligatum ad restitutionem, sed difficultas est de occulto crimine, cum se illud commisisse negat, unde accusatoris oritur infamia. Rursus, neque est dubitatio, si infamia sequatur ex eo, quod nihil respondeat, cum non sit ad respondendũ obligatus, ea de caussa, quod non interrogetur iuridice, nec similiter si cum æquiuocatione respõdeat, cum suo utatur iure; sed in eo est tota posita controuersia, an teneatur restituere, si dicat, se non perpetrasse tale crimẽ, similiter, quod ad accusatorem attinet, cum ipse contra iuris ordinem & iustitiam procedat, nulla est dubitatio; cum certum sit eum ad restitutionem teneri, iuxta ea, quæ proxima disputatione diximus.

Tertium fundamentum, animaduertendum est, multum inter se differre, negationem criminis extra iudicium, & inficiationem quæ fit in iudicio: & in iudicio, aliter dicendum est, quod ad peccati grauitatem attinet: si intercedat iuramentum, aliter uero, si iuramentum

non interponatur. Crimen autem tribus modis a reo negari potest.

Primo, cum negat proprium delictum occultum, cũ de eo ab Iudice examinatur, dicendo, nõ feci id, de quo me interrogas, ita ut negatio eo tendat, ut negetur crimen de quo Iudex iuridice interrogare potest; ut est illud solum, quod per probationem confirmari ab accusatore potest, & debet.

Secundo, cum ita negat, ut noceat accusatori; dicendo eum esse calumniatorem, animo nimirum malo, nõ ut se defendat.

Tertio, cum eo animo negat, ut se defendat; quamuis indirecte ex sua negatione sequatur infamia accusatoris, qui cum probare crimen non possit, pro calumniatore habetur. Vbi notandum est, cum accusator suam accusationem iuridice probat, nullam inde infamiam cõsequitur, etiãsi reus crimen neget: cum non debeat haberi pro calumniatore, qui probationem idoneam adhibet. His hunc in modum adnotatis, ad propositam difficultatem his conclusionibus respondeo.

Prima conclusio, Qui iuste & cum ordine iuris accusatus & interrogatus crimen negat, peccat mortaliter, & si accusator aliquam inde infamiam contraheret, eã remouere deberet. Doctrina est communis & certissima, ideo nihil est cur pluribus probetur. Dixi autem, si infamia sit contracta; quoniam, cum quis iuste accusat, & crimen aliquo pacto probat, nõ debet, nec potest haberi pro calũniatore, ex sola eius, qui accusatur, mei inficiatione; cum rei facile crimina negare soleant. Quod si accusatorem, iniquum & calumniatorem appellasset, deberet, ex iustitia, palinodiam canere: quod faceret, si uel in iudicio fateretur crimen, uel extra iudicium diceret, eum non fuisse calumniatorem.

Secunda conclusio, Qui iniuste accusat, de crimine occulto, quod in iudicio probari non potest, peccat mortaliter, & famam restituere tenetur. Est communis doctrina & patet hac manifesta ratione, Quoniam is non

solum

ſolum contra caritatem, ſed etiam contra iuſtitiam facit. Quo autem modo reſtituere debeat, patet ex ſuperiori diſputatione. Modus autem ille, quem aliqui ponunt, eſſe obligatum dicere, ſe iniuſte accuſaſſe, etſi neſcio quid commoditatis habeat, quia demonſtraret reum non eſſe manifeſte criminoſum: tamen, vt ſupra etiam diximus, non repararet rei famam, ſed potius criminis opinionem confirmaret, vt adnotauit Sotus.

Tertia concluſio, qui negat crimen de quo iniuſte accuſatur, non vt ſe defendat, ſed malo animo accuſatorē calumniando, grauiter peccat. Quoniam, non debet directe accuſatori nocere, & ex odio crimen negare, cū id ſit contra caritatem, ſed ſuam tantum defenſionem propoſitam habere. In hoc autem caſu, etiamſi accuſatorem inquum & calumniatorem appellet, tamen nō tenetur reſtituere famam. Quoniam, vt habetur capite de calumniatoribus, qui non probat, pro calumniatore habetur.

Quarta concluſio, probabile eſt, eum qui negat verum crimen, ſed occultum, vnde indirecte ſequitur accuſatorijs infamia, quando poteſt aliter ſe defendere, peccare mortaliter, & eſſe obligatum ad famę reſtitutionem. Eſt concluſio pro ſententia Ledeſmæ, quam fortaſſe non negarent alij: quæ his rationibus confirmatur.

Primo, non habet reus in iudicio maius ius ad defendendam propriam famam, cum detrimento famæ iniuſte accuſantis, quam habeat quiuis homo ad defendendam vitam propriam, cum morte alterius, nimirum aggreſſoris: atqui ex communi Doctorum ſententia, qui aggreſſorem, cum poſſet aliter vitæ ſuæ conſulere, occidit, tenetur reſtituere; ergo etiam ille, qui infamat, ſi alia ratione poteſt ſuæ famæ prouidere. Vt enim ſe habet fama ad famam, ita vita ad vitam.

Secundo, quæ ratio procedit a priori, hoc eſt ab ipſa cauſſa, demonſtrando in hoc actu eſſe veram iniuſtitiā. Tunc fit iniuſtitia, cum plus aliquis punitur, quam culpæ grauitas requirit, & cum plus accipitur, quam fuerit

sublatum: sed huiusmodi reus, cum potest aliter se tutari, plus infert mali, ei a quo est accusatus, quam sibi sit illatum: se igitur iniuste agit. Siquidem accusator ita procedit in accusatione, vt non auferat omnem viam reo, qua se defendere queat: ergo si reus non confugiat ad remedia sibi relicta, & accusatori nullam relinquat rationem, qua se tueri possit, cum neget se crimen fecisse, se iniuste gerit. Quo fit, vt in tali casu malum pro malo reddat, quod est uindictæ propriam: vindicta autem est iniustitiæ actus, igitur.

Quincta conclusio, probabilius esse videtur, si vniuerse dicamus, eum qui negat verum crimen de quo iniuste accusatur, ad nullam restitutionem teneri.

Primo, si iste teneretur restituere, maxime, vel quia crimen fateri debet, ex quo capite, vt omnes confitentur, non obligatur, quia iniuste accusatus non tenetur suum crimen aperire: vel, quia alia ratione se defendere potest: verum cum omnis alia ratio sit ad se defendendum insufficiens, non est obligatus ad aliam rationem ineundam. Quod autem modi quibus posset fortasse suæ famæ & vitæ consulere sint insufficientes, patet: quoniam si non respondeat, maiorem suspicioné dabit: si dicat, se non esse obligatum respondere ad proposita, uel, si diceret, nescio quid dicatis, aut nego propositum, adhuc maiorem suspicionem de perpetrato crimine excitaret: non potest igitur ad alias uias confugere: ergo si negat, non facit contra iustitiam.

Secundo, reus in hoc casu non est obligatus ad crimen manifestandum: ergo, dum illud ad sui defensionem negat, cum iniuste infametur, nemini facit iniuriam. Non secus ac si quis mendacio recuperaret pecuniam, quam alia uia recuperare non posset.

Tertio, accusator eo ipso, quo sciens & uolens iniuste ad accusandum accedit, vult se exponere, periculo, ac etiam se exponit, amittendi famam: ergo, qui eam aufert, negando occultum crimen, nihil facit contra iustitiam: cum volenti non fiat iniuria. Posset fortasse quispiam

ſpiam in hoc caſu ita ſtatuere, ut quando reus haberet probabilem opinionem de ſua defenſione per aliã uiã, quam per criminis negationem, debeat illam tenere, ne ſe ita defendendo, accuſatori noceat: quando vero exiſtimaret non poſſe idonee ſibi aliter conſulere, quam inficiando crimen, tunc ſine ulla iniuſtitia negare poſſet.

Sexta concluſio, Reus in caſu propoſito, cum negat uerum crimen, ſed occultum, ſi intercedat iuramentum uidetur peccare mortaliter. Hæc doctrina ex eo confirmatur, quod ita communiter Doctores ſentire uidentur, ob illam circumſtantiam iuramenti.

Septima concluſio, ſi iuramentum non adſit, ſolum uenialiter peccare uidetur. Eſt concluſio, quam ſpeciatim docet Gabriel 4. ſent. diſt. 15. q. 16. dubio 3. & ea ratione confirmari poteſt, quia eſt quoddam mendacium officioſum, ſui defendendi cauſſa prolatum, eo caſu, quo non tenetur ueritatem confiteri.

Octaua concluſio, qui in iudicio uerum crimen negat, quando iniuſte accuſatur, nullum uidetur peccatũ committere. Hæc concluſio, alibi in materia de iudicijs latius explicanda eſt, nũc breuiter dixerim hoc modo accipiendam eſſe. Cum iſte negat crimen de quo accuſatur, debet eo ſenſu negare, quo a iudice interrogari poteſt; qui ex communi Doctorum ſententia, non poteſt interrogare de crimine, quod ad ſuum iudiciũ non pertinet, cuiuſmodi ſunt omnia crimina, quæ probari in iudicio nequeunt. Quando igitur reus negat ſe crimen feciſſe, id in animo habere debet, ut neget ſe non commiſiſſe tale crimen, de quo iudex interrogare debeat. Hac poſita declaratione, allata concluſio hunc confirmatur in modum. Si iſte peccat, maxime ratione mendacij: at hic nullum intercedit mendacium; quia negat crimen ſecundum rationem accuſationis, ſeu interrogationis, qua quis de publico, aut aliquo modo notorio crimine reus agitur; igitur, cum non mentiatur, non peccat: & idem eſt dicere, Non feci hoc crimen, ac ſi di-

si diceret, non publice feci, quod uerum est: & cum hæc responsio sit uera, nullum erit peccatum, etiamsi intercedat iuramentum. Quando itaque quispiam interrogatur, vel accusatur contra ordinem substantialem iuris, potest negatione uti, sine vlla culpa. Quare, quod aliqui dicunt, debere hoc modo negare crimen, dicendo, Nego proposita, ut proponuntur, non admodum placet, cum hoc sit potius peccatum occultum manifestare: quia, dum ait se non interrogari, aut accusari iuridice, indicat se fecisse crimen, sed tamen occultum. Quo fit, vt nec etiam placeat quod priuatim Scotus ait, hunc hominem debere confiteri hoc peccatū, quia nescit, an sit mortale, vel veniale: cum is, qui isto modo loquitur, nihil falsi dicat. Immo, qui dubitaret, an ista responsio sit peccatum graue, nec ne, non deberet ea uti: cum is peccet mortaliter, qui se exponit periculo peccandi mortaliter.

Nona conclusio, qui extra iudicium interrogatur, vel criminatur de aliquo peccato, si neget, solum peccat venialiter, sed ad nullam tenetur restitutionem. Ratio cur peccet, ea est, quia mendacium dicit: quod peccatum poterat vitare non respondendo, vel dicere, non debeo tibi meæ uitæ rationem reddere, &c.

Sed peteres, cur eadem negatio in iudicio nullū est peccatum? Responderem, quia in iudicio interogatur de crimine, ut si esset publicum, & negat se peccasse publice: extra uero interrogatur de ueritate simpliciter. Quod autem restituere non debeat patet, quia iuste se defendit. Et ut quæ diximus adhuc magis confirmentur, contraria argumenta dissoluamus.

Ad primum, qui crimen occultum negat; ut se defendat, ex se, nec contra iustitiam, nec contra caritatem peccat.

Ad secundum, non est par ratio vtriusque casus: quia percussio non est ordinata ad ius suum defendendum, sicuti criminis negatio. Adde etiam, quod non posset se defendere tacendo, quia inde etiam sequi pōt infamia.

Ad

Ad tertium, nulla fit reip. iniuria, quia reſp. non iudicat de quocunque crimine, ſed de eo tantum, quod probari poteſt. Potius itaque accuſator pro iniuſto habendus eſt, qui, quod pertinet ad forum Dei, ad humanum iudicium traducere conatur.

An qui alterius crimina ab alijs audita refert, ſit ad famæ reſtitutionem obligatus. Quæſt. XX.



VOD is, qui audita ab alijs de aliquo crimina, alijs narrando nihil iniuſte agat, ac proinde nihil reſtituere debeat, his poteſt argumentis probari.

Primo, is qui audita refert, nulli facit iniuriam, cum neminem criminetur: ergo nihil peccat contra iuſtitiam, quare ad nullam reſtitutionem obligandus erit.

Secundo, cum quis alterius dicta ſimpliciter narrat, nihil affirmat: ergo ipſe nihil de aliena fama detrahit: ac proinde ad nullam reſtitutionem obligari debet. Cõfirmatur hæc ratio, quia non eſt certum eos, qui dixerunt non fuiſſe mentitos: præſertim, cum in infamando proximo, homines facile mentiri ſoleant.

Tertio, cum aliquis alterius crimen refert, & ipſe nihil dicit, aut facit, ex quo, quod narrat fiat magis credibile, ſe habet tanquam purum relatorem: ergo nullam videtur præbere occaſionem credendi: & ideo, licet qui audiunt, ſua leuitate credant, ad nullam famæ reſtitutionem cogendus erit: cum is ſolum debeat reſtituere, qui fuit in cauſſa, vt alius damnum pateretur. De hac difficultate hæ ſunt ſcriptorum ſententiæ.

Prima Scoti in quarto ſent. diſt. 15. quæſt. 4. quæ his dictis explicatur.

Primum, qui infamat audita narrando, ſi non addit maiorem certitudinem, aut in modo dicendi, aut ratione dicentis, vel alterius circunſtantiæ, non tenetur ad reſtitutionem, quamuis inde ſequatur infamia: quoniam

is,qui hoc pacto audita refert,nihil facit,siue addit propter quod ei fides habenda sit; & ideo, ex se, non infamat. In hoc dicto consentiunt cum Scoto, Adrianus, quæstione penultima de restitutione, in responsione ad octauum argumentum, Gabriel dist 15.q.16.art.3. dubio 2.Syluester verbo Detractio,§. 4. Caietanus in suis commentarijs in secundam secundæ q.73.art.2.& Nauarrus in Enchir.c.18.num.50. Dicunt itaque hi Doctores,hunc actum,seu hanc relationem per se non obligare ad restitutionem famæ,nisi forte ratione scandali.

Secundum,qui aliena crimina refert animo nocendi, peccat mortaliter contra caritatis præceptum. Addit Nauarrus, peccare etiam mortaliter,quando narrat crimen maxime aptum ad infamandum, & ei constat auditores fidem habituros.

Tertium Scoti dictum,quando ista refert non animo nocendi, sed ex quadam leuitate,& imprudentia, peccat solum venialiter. Addit rursus Nauar. quod si ex eadem leuitate referat crimen alias infamatorium, solum peccabit venialiter.

Secunda sententia Antonini parte 2.tit.2.capite 2. §. 3.& Soti lib.4 de Iust.& iure,quæst.6.art.3. qui putant, hunc actum,ex se,esse infamatorium,ac proinde obligare ad restitutionem,qui tamen auctores suam opinioné non probant Nos de hac difficultate ita statuimus.

Prima conclusio,qui alterius crimen ignotum, ab alijs auditum,apud alios refert, nisi bono animo & debitis circunstantijs faciat, semper,saltem uenialiter, peccat. Quoniam,in hoc casu, talis actus est otiosus & vanus:non vacat igitur aliqua saltem leui culpa.

Secunda conclusio,qui auditum crimen narrat, animo nocendi ei,cuius crimen refert, mortaliter peccat. Doctrina est certissima,& patet ex communi sententia: siquidem nocendi animus est contra caritatem:quare si qui hoc animo audita refert, notabile detrimentum inferre uelit,profecto grauiter peccabit.

Tertia conclusio, qui animo nocendi non refert, sed tamen

tamen probabiliter credit alios fidem habituros, & proximum famam apud eos, quibus refert amissurum, grauiter peccat, & ad restitutionem tenetur. Ratio huius doctrinæ est manifesta: quia dat caussam sufficientem damni: quare iuxta decretum Gregorij IX. cap. Si culpa tua, de iniurijs & damno dato, restituere debebit. Iste enim non potest excusari ob ignorantiam, uel imprudentiam, cum uerisimiliter credat, aliós credituros.

Quarta conclusio, qui dum crimen refert, ita narrat, ut aliquo modo illud faciant credibile ijs apud quos narrat, grauiter peccat, & restituere tenetur. Hæc conclusio eadem patet ratione: & corroboratur ex eo, quod non est amplius simplex relator, sed etiam auctor, dum quod refert, sua auctoritate confirmat.

Quincta conclusio, si quis alterius crimen ab alijs auditum, ita referat, ut etiam manifestet eos, a quibus audiuit, qui factum uiderunt, ex se, infamat, & restituere debet: hęc conclusio his confirmatur rationibus.

Primo, ille per se infamare censendus est, qui narrando addit, caussam aliquam, propter quam, quod dicit confirmari, & fides ei haberi possit: atqui, qui hac ratione dicta refert, aliquam adducit rationem, qua res fiat credibilis, testimonium nimirum: igitur. & quamuis testimonium alias non esset efficax, tamen cum est oculatum, magnam uim ad fidem faciendam habet.

Secundo, si iste relator, ut alij docent, id quod refert, aliquo pacto confirmaret, re uera infamaret; quia per suum consensum inducit alios ad credendum: sed persona, a qua audiuit potest esse maioris auctoritatis, quã ipse sit, & quatenus est oculatus testis, semper maiorem fidem facit, nisi pro homine mendaci alias haberetur; igitur magis infamat, quam si solum diceret, ego audiui, & ita credo: ut ecce, si quis diceret, hæc a Principe, seu ab alio uiro graui audiui. Quod si dicas, crimen non est ita certum, ac si diceret se vidisse, Hoc nihil est, quia qui credit ei, qui dicit se uidisse, credit etiam ei, qui dicit se audiuisse. Verum hic actus non est ita infamatorius,

rius, ac si diceret, ego credo, & ego uidi. Peccat itaque iste contra iustitiam, cum det caussam damni, & tenetur ad restitutionem, sed non ita exactam, atque si dixisset, se uidisse, aut dicta confirmasset.

Sexta conclusio, non solum peccat mortaliter, qui refert animo nocendi, & qui credit alios credituros, sed etiam qui crimen notabile manifestat, etiamsi ei nó cóstet, alios fidem habituros; ita ut in dubio peccet mortaliter: secus si opinaretur sibi fidem non esse habendam. Ratio huius doctrinæ ea est, quia talis actus, ex se, est maxime idoneus ad infamandum: quare, dum mihi non constat ex eo famam non esse lædendam, expono me periculo peccandi mortaliter, nulla adhibita diligentia: quod qui facit, mortaliter peccat. Non secus, ac si quis de tecto aliquid deijceret, in plateam, ubi solent homines diuersari, nulla diligentia adhibita. Quod si culpa non sit notabilis, & non adsit nocendi animus, est solum peccatum ueniale.

Septima conclusio, si quis audita crimina simpliciter referat, & nulla ratione confirmet, aut sua, aut eorum auctoritate, a quibus audiuit, dicendo se solum audita referre, non uidetur esse detractor, etiamsi inde sequatur infamia. Quoniam, qui hac ratione narrat, ex se, non gignit infamiam, sed ex audientium leuitate accidit, ut simplici relationi credant, & potius deberent esse difficiles ad credendum aliena crimina: cum quilibet in dubio præsumendus sit bonus. Neque quiuis, qui aliquo modo dat caussam peccandi contra iustitiá iniuste agit, ut cum caussa est remota, & per accidens: ut si quis relinquens pecuniam in manifesto loco daret occasionem furti faciendi: is profecto non offenderet iustitiam. Quo fit, ut cum in tali casu non intercedat detractio, non sit peccatum graue, cum uideatur ex quadam leuitate fieri. Quamobrem si in tali relatione, nulla adsit circumstantia, qua res confirmetur, ex sua natura, non erit actus infamatorius.

Octaua conclusio, quamuis doctrina in septima con-

clusione posita uera sit:tamen,quia practice loquendo, raro talis relatio fieri solet, quin aliqua ratione relata confirmētur, uel quia referūtur auctores,a quibus accepta sunt,uel quia ex modo dicendi cōfirmātur; uel quia fama uires acquirit eundo,unde crimen alias occultum maiorem lucem potest accipere, uel quia homines facile possint sibi persuadere quod narratur, & denique ob alias circumstantias; ideo ab huiusmodi actu est omnino abstinendum:& eo magis, quo est facilior infamandi modus,& quo minus æstimari solet; & raro culpa uacat. Quare tutius erit, ut qui sic se gessit, si putat famæ fuisse detractum,aliquid restitutionis faciat.

Nona conclusio, quando fama per hūc modum esset ablata,restitutio facienda esset hoc pacto.Iste igitur,nō solum deberet dicere,se leuiter locutum fuisse, sed etiā dare operam,ut opinionem,quā alij conceperunt,quātum est in se,remoueret: non tamē tenetur dicere,se mētitum fuisse,dicendo,se nō audiuisse,si re uera audiuit, Et hęc de conclusionibus.

Argumenta contraria,confirmant septimam conclusionem ; quæ,ut diximus,uera est,si hic referendi actus nude & simpliciter consideretur. Quam confirmares auctoritate eorum doctorum,quos supra citauimus; quorum sententiam uiri docti,& pij libenter sequuntur.Cęterum,si quis praxim spectet, & circumstantias, quæ cū tali relatione solēt esse annexæ, liberius fortasse in aliā opinionem ibit: cum homines non soleant ita simpliciter,& sine auctore aliena crimina narrare.sed cum allata argumenta uideantur probare, nunquam per talē relationem iustitiam lędi,soluenda nobis sunt.

Ad primum , si adsint circumstantiæ, quæ talem relationem confirmant, infamat : quia nōn simpliciter refert,

Ad secundum,si sit simplex narratio , non fit iniustitia , fit tamen aliqua ratione, cum non solum nude , & otiose narratur. Quod autem qui dixerunt mentiti sint, non cnostat; immo qui primo manifestant rem, vel a

se vi-

se uisam, uel per indicia manifesta cognitam, uim habent ad ea quæ dicunt confirmanda.

Ad tertium, si sit purus relator, erit a restitutione liber. Et ut hanc difficultatem concludamus, si quis simpliciter referat; & nulla adsit circumstantia, quæ rem cõfirmet, vel is qui dicit nullius sit auctoritatis, vel qui audiunt fidem non habent, uel si peccatum una cum emédatione narretur, uel si occasio infamię sit remota, aut denique interim res fuerit alia ratoine vulgata, nulla erit facienda restitutio. Lege Nauarrum in enchiridio cap. 18. num. 36. & 50. Qui autem uoluerit se ab his tricis liberare, sibijpsi attendat, & fratris pudenda nulla ratione manifestet. Et quoniam longior hac de re disputatio pertinet ad materiam de detractione, hic sit huic quæstioni finis.

An qui diffamat aliquem eo in loco, ubi non est diffamatus, famam restituere debeat. Quæst. XXI.



VT propositæ quæstionis status intelligatur, finge aliqué fuisse uirgis cęsum Venetijs, aut ad palum publice alligatum, unde publicã in hac ciuitate contraxit infamiam; quæritur, an iste possit diffamari Romę: similiter, si quis publicus esset concubinarius, uel homicidũ notorium uno in loco commisisset, an alibi eius crimen sine iniustitia manifestari queat. Id fieri non posse hæ rationes demonstrare uidentur.

Primo, iste qui diffamatus est per publicam iudicis sententiam, uel per notorium factum uno in loco, alibi suam famam illęsam retinet: ergo, si quis eum ibi diffamet, facit contra iustitiã, ac proinde restituere debebit.

Secundo, nemini licet cuipiam obijcere crimen, de quo publice infamatus fuit, ei exempli gratia dicendo, ad palum ligatus, uel publice uirgis cęsus fuisti; ergo neque licebit eundem diffamare apud alios: consequétia uidetur nota ex paritate rationis.

Ter-

Tertio, fama est bonum quoddam late fusum, quod aliquis potest in una parte amittere,& in alia retinere: igitur cum quis priuat proximum tali bono apud eos, apud quos illud adhuc possidet, peccat contra iustitiã: ac proinde tanquam diffamator, est ad restituendum obligatus.

Quarto, eadem uidetur ratio de eo qui contraxit infamiam per publicam sententiam,& de eo qui publice peccauit: at hunc alibi diffamare ex multorum opinione, est iustitiam lędere: ergo eãdem lędet,qui illũ diffamat: quod eadem sit ratio,ex eo probatur, quia modo crimen sit publice notum,nihil refert,quod uno uel alio modo notum fuerit. Atque hę sunt rationes, quæ in hac parte difficultatem facere uidentur: de qua hæ sunt auctorum sententiæ.

Prima sententia,est domini Caietani tomo 2.opusculorum,opusculo 31.responsione nona; qui affirmat, licere diffamare eum,qui alibi fuit diffamatus: quia, cũ iure diffamatus fuerit,non fit ei iniuria, si diffametur. Idem docet Nauarrus in Enhiridio cap.18.nu.26. Ioan. Maior,dist.22.queſt.2.& nonnulli alij.

Secunda sententia Adriani quolibeto 11. quęst. prima; qui id negare uidetur,maxime ob primum & secũdum argumentum.

Tertia sententia aliorũ,qui distingunt de eo,qui fuit per sententiam iudicis diffamatus,& de eo qui solũ publicum commisit crimen,ut facit Sotus lib.5.de iust. & iur.quæst.10.art.2.quod etiam nos faciemus. Sit igitur pro solutione huius difficultatis unicum fundamẽtum, in quo quasdam afferam distinctiones.

Prima, duobus modis potest aliquis publicã infamiã contraxisse; primo, cum per publicam sententiam fuit de aliquo crimine condemnatus, ut patet in allatis exẽplis: altero modo, per factum notorium in uicinia, uel urbe,de quo tamen non fuit publice condemnatus.

Secunda,qui publice amisit famam,duobus modis se habere potest: primo,cum perseuerauit in eadem infa-

mia, & eodem modo remansit in hominum opinione: secundo, cum perditam famam aliqua ratione recuperauit. Exempli gratia, si quis fuisset damnatus de crimine hæresis, & postea ad se reuersus palinodiam cecinisset, nec amplius pro tali haberetnr: uel si quis post sententiam contra se latam, demonstrasset se fuisse iniuste damnatum.

Postrema distinctio, duobus modis potest aliquis errare istũ diffamando: uno contra caritatem, altero cõtra iustitiam, qui duo modi perpetuo sunt memoria retinẽdi in hac de restitutione materia. His positis distinctionibus, de re proposita, ita statuo.

Prima conclusio, Infamare alibi eum qui uno in loco infamiam publicam quouis modo contraxit, animo nocendi, sine ullo bono fine, est peccatum mortale contra caritatem. Patet hęc conclusio ex communi doctrina Adriani, Soti, Caietani, Nauarri, & aliorũ. nam etiã carnifex, qui est iustitiæ minister, grauiter peccaret, si furem hoc animo suspenderet, ei ut noceret.

Secunda conclusio, si qui publice suæ famæ iacturam fecit, eam recuperauit, in alio diffametur loco, id, non modo est contra caritatem, sed etiam contra iustitiam. Quod sit contra caritatem omnes concedunt: Quod etiã uioletur iustitia, docet Nauarrus, in repet. cap. Inter uerba 11. quæst. 3. quamuis Sotus id negare uideatur, si loquamur de eo, qui per sententiam iudicis fuit condemnatus: nostra conclusio hac ratione confirmatur. Quoniam iste per crimen commissum fuit priuatus fama præterita, non autem ea, quam postea recuperauit: igitur non potest sine iniustitia diffamari; nisi quis narrando crimen, etiam emendationem manifestet, unde fama resarcita fuit.

Tertia conclusio, diffamare eum, qui per iustam iudicis sententiam famam amisit, nec eam recuperauit, eo in loco, quo eius infamia non dum peruenit, non est cõtra iustitiam: probatur.

Primo, ex communi sententia, ita Caietanus, So-

tus, Nauarrus, Ioannes Maior, & Bartolus l. ex ea ff. De postulando.

Secundo, quia iste publica sententia priuatus fuit sua fama in pœnam, & qui sic damnantur, per leges habentur infames: igitur, qui eos alibi, ubi eorum infamia nō est nota, diffamant, nihil contra iustitiam peccant: etiāsi apud eos id faciant, qui diffamatum norunt.

Tertio, quoniam casu factum est, ut huius hominis infamia nō peruenerit ad alia loca, in quibus diffamatur.

Limitatur hæc conclusio a quibusdam: quia dari potest casus, in quo non sine iniustitia fieret ista infamiæ dilatio, quando nimirum inde consurgeret infamia alterius personæ. Exempli gratia, si quis fuisset damnatus tāquam hæreticus in Hispania, & id manifestaretur Romę, ubi reperirentur filij eius, qui damnatus fuerat, qui inde infamiam contraherent.

Addunt alij hanc aliam limitationem, si id manifestaretur in loco omnino remoto, & extra regnum, in quo ille damnatus fuerat: ad quem locum probabiliter infamia illa peruenire non potuisset. Quam limitationem cōfirmares uno uel altero argumento supra facto: quia in loco omnino remoto, iste infamatus, se habet, ac si esset occultus. Caussa autem cur non sit contra iustitiam, si id fiat in locis uicinis, uel in eodem regno, & iurisdictione, ea est, quia homines diffamantur ad exemplum aliorum, qui sub eodem sunt regimine. Illud tamen certum est, eum qui eo in loco manifestat, quo notitia infamiæ peruenire non poterat, semper peccare contra caritatem.

Quarta conclusio, qui manifestat crimen notum extra iudicium, alio in loco, ubi non est notum, peccat cōtra caritatem, & iustitiam. Est doctrina Soti & Nauarri locis citatis, quam his rationibus confirmo.

Primo, quoniam quod est hac ratione notorium, non dicitur notum, nisi respectu eorum, qui poterant adesse, & aliorum, ad quorum notitiam facile illud crimen poterat peruenire: quo fit, ut si iste domicilium mutet, eius

crimen ibi pro occulto haberi debeat.

Secundo, qui hac ratione est diffamatus, non amisit ius suæ famæ; cum ea non sit priuatus in pęnam, per aliquam iudicis sententiam: ergo non debet aliquis cõtra iustitiam eum sua fama priuare apud eos, apud quos adhuc eam retinet.

Quinta conclusio, qui huiusmodi crimen manifestaret, apud eos, qui paullo post eius notitiam habere potuissent, vt sunt ij, qui in eodem reperiuntur loco, non faceret contra iustitiam. Quoniam, qui notorie in aliquo loco peccat, ex se, coram omnibus peccat; & per accidens est, quod alij non adfuerint, aut statim crimen non cognouerint.

Sexta conclusio, licet aliquando sine peccato, & iniustitia alterius uitium & peccatum detegere.

Primo, propter bonum spirituale alterius: ut ecce, habetur aliquis pro manifesto hæretico, uno in loco, & est periculum ne alios alibi corrumpat, possum eius crimẽ eo in loco manifestare.

Secundo, propter bonum temporale proximi: ut, si aliquis medicus esset omnino ignarus, & ei aliquo in loco prohibitum fuisset artẽ suam exercere; possum eius ignorantiam alibi manifestare, si sit periculum ne ibi eam exerceat.

Postremo, ob utilitatem reip. ut si quis eligendus esset in Prælatum, seu Prætorem, de quo certo sciretur, fore reip. perniciosum. Sed animaduertendum est, ut semper adsit necessitas, & ut ille eodem laboret uitio: quia si esset emendatus, non liceret. His ita positis & probatis conclusionibus, facile est argumenta allata diluere.

Ad primum, patet ex ijs quæ diximus in tertiæ conclusionis probatione: isti enim cum fuerit iuste in pęnam ad aliorum exemplum diffamatus, nulla fit iniuria, si alibi modo dicto diffametur.

Ad secundum, non est par ratio, quia nemini licet esse contumeliosum in alium, obijciendo illi perpetratũ crimen, aut etiã naturale uitium: quod qui olim in pri-

ma

ma ecclesia faciebat, ut libro de Pacificatione scripsimus, excommunicationis pęna puniebatur. satis igitur infirma est ista Adriani ratio.

Ad tertium, hoc argumentum, quid probet, & qua ratione solui possit, patet ex dictis in tertia & quarta conclusione.

Ad quartum, non est par ratio, ut supra clare demonstratum fuit. Multa alia, quæ huc potuissent afferri, reijcienda sunt ad materiam de detractione.

An fama cum vitæ & famæ periculo restituenda sit.
Quæstio XXII.



QVOD cum uitæ & famę periculo famā restituere sit necessarium, nonnullis rationibus, quæ pondus aliquod habere uidentur, probari potest: ex quibus tres pręcipuas afferam, ad quas aliàs reuocare posses.

Primo, si infamator non est obligatus restituere famam cum suæ uitæ periculo, ob eam maxime caussam, quia restitutio facienda est in eodem bonorum genere, in quo facta est iniustitia: at hoc nihil est, quia nemo debet cedere debitori, ex eo, quod non potest restituere in eodem genere; sed potest exigere omnem satisfactionem possibilem: Quod si qui iniuste egit, in has se redegit angustias, sibijpsi tribuat. Quod confirmatur a simili de pecunia, cuius damnum resarciēdum est, etiam cum famę detrimento; quamuis fama, sit in superiore bonorum ordine, quam sit pecunia, ut uita est superior fama

Secundo, fieri potest, ut fama unius pluris faciēda sit quam uita alterius: sicuti etiam maxima pecuniarum copia pluris fieri potest, quam alicuius fama: ergo in tali casu facienda esset restitutio famę, cum maioris sit momenti, cum uitę periculo, quę minoris est ponderis. Vt ecce, pluris facit resp. famam alicuius nobilis uiri, quam uitam hominis ignobilis: & ideo, si homo ignobi-

lis uirum illustrem fama spoliaret, ab illo uitę pęnam ad iustitiam seruandam reposceret. Contra uero, si uir nobilis iufimę notę hominem fama priuaret, eius famã pecunia ęstimaret.

Tertio, si quis falso aliqué accusasset de crimine heresis, ita aut etiam familiam integrã; teneretur proculdubio cum uitę periculo istorũ famam restituere; cum sit multo maius bonum, quam unius uita: igitur. Confirmatur hęc ratio a pari, si qui furatus esset ingentem thesaurum, teneretur profecto cum uitę periculo ad restitutionem faciendam, igitur idem dicamus oportet de fama, prętertim multorum, quę pluris fieri deberet, quam ingens thesaurus. Et hę sunt rationes, quę rem hanc dubium faciunt, de qua hęc sunt Doctorum placita..

Prima opinio, quam defendit Caietanus, secunda secundę quęst. 63. art. 6. & Nauar. in enchir. cap. 17. nu. 89. ubi Soti arguméta refellit, & Caietanum sequitur. Hęc sententia duo dicit.

Primum, nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis, cum periculo amittendi bona superioris ordinis, hoc est, pecunias cum periculo famę & honoris, & famam cum periculo uitę.

Secundum, cum restitutio bonorum superioris ordinis nõ potest fieri in eodem genere, fieri debet bonis inferioris ordinis. Quare, qui non potest restituere famã pro fama, restituet pecuniã. Statuit itaque dominus Caietanus has duas restituendi regulas. Quamuis Nauarrus contendat, famam non esse æstimabilem pecunia: Syluester etiam, uerbo Detractio, §. 4. affirmat restitutionem famæ non esse faciendam pecunijs. Ratio, qua innititur est hæc: quia, si quis non habeat pecuniã qua pro pecunia accepta satisfaciat non tenetur dare famam: ergo nec qui famam restituere debet, tenetur dare pecuniam.

Secunda sententia aliorum, qui tenent priorem sententiam quantum ad primum dictum, non esse uniuersaliter ueram, & posse, & debere interdum fieri restitu-

[illegible] cum detrimento propriæ famæ, ac etiam uitæ. Ita Adrianus in 4. in materia de restit. in principio. Ioãnes Maior 4. sent. dist. 15. quæst. 17. Sotus lib. 4. de Iustitia, & iure quest. 6. art. 3. & quæs. 7. art. 2. Ledesma in materia de rest. Nos de hac re quid sentiamus, his conclusionibus aperiemus.

Prima conclusio, uniuersaliter loquendo, fama non est restituenda cum periculo uitæ: quæ doctrina his cõfirmatur rationibus.

Primo, ex communi sententia; quæ in re morali, ut alias diximus, retinenda est; cui etiam communis hominum consensus accederet: quare in ij quæ frequentius accidunt, regula illa prima primæ sententiæ retinenda est.

Secundo, quia uniuerse loquendo, conuenienter fit restitutio per bona quę sunt eiusdem ordinis; & ita pro ciuili debito nemo debet mortem pati, aut sese infamare: alias enim sępe magna fieret inæqualitas, contra iustitiam commutatiuam.

Tertio, metus mortis liberat adulteram a restitutione facienda filio legitimo, ut docet Innocẽtius cap. Officij de pęnitentijs & remission. igitur uniuerse loquendo, talis restitutio non est necessaria. Adde etiam, quod iste restituendi modus non est in usu. Atque has rationes hic breuiter attigisse sufficiat, cum de eadem re infra accuratius disputaturi simus.

Secunda conclusio, Fama aliquando restituenda esset cum aliquo periculo uitæ. Hanc conclusionem probãt tres rationes, quas initio disputationis attulimus: quibus Sotus suam confirmat opinionem. Quare, si incideret casus, in quo de salute & pace publica ageretur, deberet diffamator, cum aliquo uitę periculo, famam restituere, cum pro rep. uita exponenda sit. Quę doctrina, licet uera sit, tamen sine maxima & urgenti caussa ad praxim redigenda non esset. Sed huius conclusionis ueritas, cum de restitutione ab adultera facienda agetur, diligentius examinabitur.

Tertia conclusio, Fama restituenda est cum periculo propriç famç amittendç: quod his rationibus confirmatur.

Primo ex communi Doctorum sentētia, in hac enim omnes conueniunt. Ita Scotus lib. 4. sent. dist. 15. quçs. 4. Gabriel eadem distinct. Sotus, & alij.

Secundo, qui pecuniam alterius abstulit, tenetur eā restituere cum detrimento propriç pecuniç, alias enim nulla fieri deberet restitutio; quare etiam aliena fama cum periculo, & detrimento aliquo suç amittendç restituenda erit.

Tertio, cum periculo & detrimento uitç propriç, debeo alium a mortis periculo liberare, quando iniuste fui caussa, ut alius de uita periclitaretur, ut si falso testimonio a me lato, aliquis ad mortem fuisset condemnatus; quia deberem retractare quod dixi, etiamsi adesset periculum uitç, ut innocens absolueretur: ergo etiam cum periculo famç aliquando famam restituere debebo. Dixi, in allato exemplo, iniuste, quia ut Sotus & Ledesma docent, si quis commisisset crimen, propter quod alius ad mortem damnaretur, non teneretur se manifestare, ne alius iniuste pateretur, cum nō fuerint in caussa, cur ille sit iniuste damnatus.

Quarto, quia alias non fieret restitutio secundum æqualitatem, quam iustitia commutatiua requirit: siquidem, is qui famam abstulisset, non tantum mali pateretur, quantū intulit. Hęc communis doctrina solet a quibusdam limitari, distinguendo de maiore & minore fama detractoris, & eius, cui fuit fama detracta, & de damno, quod inde oriri potest: limitationes sunt istę.

Prima Soti & Ledesmę, quando fama detractoris est maioris momēti, quā fama eius, cui detrahitur: ut, si qui detraxit, esset persona conspicua, & in aliquo gradu cōstituta, puta Episcopus, uel Princeps, & is qui infamia notatus fuit, homo quidam communis; tunc enim detractor non teneretur restituere cum detrimento suç famç, sed posset alia ratione satisfacere, quod etiam supra

dixi-

diximus: ut, pecunia, laude, &c. Quod si infamatus nollet huic restitutioni acquiescere, diffamator nō esset ad aliquid aliud obligatus. Quoniam in tali casu, non debet infamatus uelle ut sibi restitutio fiat, cum tanto infamantis detrimento. Quandoquidem nec pecunia cū nimio in eodem bonorum genere dāno restituēda est.

Hæc limitatio, adhuc moderatione indiget; quia non habet locum nisi excessus famæ sit notabilis: si enim paruus esset excessus, fieri deberet, cum detrimento propriæ famæ. Etenim multo melior est eius, cui detrahitur conditio, quam detrahentis; in cuius famam ille ius habet: quo fit ut in fama sint æquales.

Secunda limitatio, etiamsi fama detrahentis non esset maior, & multo maior: tamen si ex restitutione sequeretur magnum scandalum, aut detrimentum multorum, præsertim spirituale, tunc non debet fieri cum detrimento famæ, sed alia uia. Vt posset accidere si persona detrahens esset ecclesiastica, & alias bonæ famæ, & is cui detrahitur vir secularis, & infimę notæ homo. quare, in hac re confessarius debet esse cautus, atque personarum considerare attributa, cum pęnitentes ad famę restitutionem obligat.

Quarta conclusio, famæ restitutio, cum alia ratione fieri non potest, uel non debet, potest fieri pecunia. Est hæc conclusio pro communi sententia, contra Syluestrum, & Nauarrum loco supra citato, qui affirmat famam non esse æstimabilem pecunia, vbi Soti rationes affert, quas soluere, & Diuum Thomam in suam sententiam trahere conatur: vostra tamen opinio his rationibus confirmatur.

Primo, detrimentum corporis reparari potest pecunia, ut supra est demonstratum: ergo etiam detrimentum famæ: cum non magis distet bonum famę a pecunia, quam corporis bonum: vbi animaduertendum est, nos non loqui de damno emergente ex famæ detractione, sed de damno accepto in bono ipsius famæ.

Secundo, ex Aristotele libro quincto Ethico, capite

Quin-

quincto, pecunia est pretium æquiualens omnibus bonis temporalibus aptum ad constituendam, seu resarciendam omnem inæqualitatem; ergo cum fama sit quoddam temporale bonum, poterit pecunia compensari. Confirmatur hæc ratio ex ipsómet Nauarro, qui numero nonagesimo, Caietani opinionem moderatur, & ait eam procedere in fama, quæ oritur ex bonis virtutum Theologalium, & moralium, quod hæc non sit ęstimabilis pecunia: at vero in fama ex alijs rebus pręclaris parta, fieri potest æstimatio: qualis est fama ingenij, scientiæ, artium, diuitiarum, aliarumque similium rerum: & quidquid dicat Nauarrus, hæc est diui Thomæ opinio. Neque fundamentum, quo Syluester suam opinionem munit, est omnino firmum; quoniam quando, is qui debet, habet pecunias, quibus possit soluere, speciatim pecunias dare tenetur, non aliquid aliud, nisi creditor velit accipere: & ita pari ratione, fama non est danda loco pecuniæ. Immo, probabiliter dici potest, posse creditori reddi famam, pecuniarum loco, si ei esset vtilis. Vt ecce, finge creditorem indigere famulo, quem sibi pararet, si pecunia sibi debita restitueretur: & cum non restituatur aliquod detrimentum famæ patitur: tunc debitor posset illi inseruire, quæ seruitus creditori loco pecuniæ satisfaceret. Quamuis autem hæc vera sint; tamen, vt supra diximus, quia non solet esse in vsu ista restitutio, per compensationem pecuniæ; præsertim apud ingenuos homines, ideo nisi speciatim requiratur, qui non restitueret, excusari posset.

Quincta conclusio, famę restitutio non transit ad hæredes. Hoc affirmauerim contra Adrianum quolib. 11. & Nauarrum, capit. 18. nume. 46. qui aliter sentiunt. Nostra sententia ex eo primum confirmari potest, quod contraria opinio nunquam fuit in vsu in ecclesia; ac proinde non videtur sine urgenti ratione, quæ non apparet, introducenda. Deinde, quia ut supra diximus, restitutio famæ est actio personalis, & ad eum pertinet, qui detraxit: quare, cum hæres succedat in hę

redi-

reditate, solum ea onera sentire debet, quæ hęreditatē sequuntur, cuiusmodi non est famæ restitutio; nisi quando fama esset taxata pretio. Quod si obijcias, cap. in literis, tit. de sepulturis, & caput finale eodem, in quibus habetur, hæredes satisfacere debere pro defunctis, id intelligendum est de satisfactione debitorum, quæ hæreditatem consequuntur, cuiusmodi non est debitū restituendæ famæ.

Argumenta in initio allata nihil est ut soluātur; probant enim conclusionem secundam, ut ibi diximus.

An famæ restitutio condonari seu remitti possit.
Quæst. XXIII.


QVOD nemini liceat suę famę restitutionē cuippiam remittere, pro altera propositæ quæstionis partę, quam nonnulli Doctores sequuntur, his rationibus probares.

Primo, Sapientis auctoritate Ecclesiastici capite 41. qua monemur ad habendam curam de bono nomine, quod magis permaneat, hoc est permanere, seu conseruari debeat, quam mille thesauri pretiosi: & alio loco, Prouer. 22. dixit, melius esse nomen bonū, quam sint diuitiæ multæ: quare nemo posset sine culpa tanti boni velle iacturam pati. Huc facit, quod Aristoteles famam inter partes felicitatis connumerauit: quę autem ad felicitatem pertinent, nemo potest, aut debet alijs donare.

Secundo, grauissima Diui Augustini auctoritate, quę habetur apud Gratianum 11. quæst. 3. Can. Non sunt, vbi reprehendit eos, qui dicunt sibi sufficere bonam cō scientiam coram Deo: quos, ait, non solum imprudenter, sed etiam crudeliter agere, dum hominum existimationem contemnunt.

Tertio, fama nostra non solum est nobis necessaria, sed etiam alijs, ut docet Augustinus loco citato: immo est necessaria etiam reip. cui expedit habere homines fa

ma

ma claros:ergo nemo potest eam condonare absq; aliena iniuria.

Quarto, nemini licet seipsum infamare, sicuti, nec mutilare, aut occidere: ergo nec famam sibi restituendam condonare:quod qui faceret sese infamare videretur,cum in suę famæ statum restitui nolit: non secus ac si quis nollet sibi pecunias reddi, vnde uel periret,vel magnum detrimentum in corpore pateretur. Confirmatur hæc ratio,quoniam homo non est dominus suæ famæ,igitur non potest eam condonare.In hac dubitatione, duæ sunt præcipuæ Doctorum opiniones.

Prima sententia fuit Ioannis Maioris in quarto lib. sent. dist. 15. quæst.16.& domini Caietani in suis commentarijs in secundam secundæ Diui Thomę,quęst.73. art.2.& in summa, verbo detractio;qui Doctores existimarunt hominem non posse suæ famæ restitutionem remittere,& si remittat,non valere:idque potissimum ob eam caussam,quod non sit suæ famæ dominus: ex cuius rei determinatione, huius quæstionis pendet resolutio.

Secunda sententia Antonini,parte 2.tit.2. cap.1.§. 3. Adriani in 4. sent. quæstio. de restitut. famæ & quolib. 11.Soti lib.de ratione tegendi,vel detegendi secretum, membro 1.quæst.3.& lib. 4.de iust. & iure, quæst.6.art. 3.Nauar.in Enchir.cap.18.num.49.qui auctores, quorum sententia est communis, sustinent licere interdum famæ suæ restitutionem condonare, uel etiam negligere,etiam magno cum merito. Nos varijs conclusionibus quid hac in re sentiendum sit aperiemus: & quia fundamentum huius quæstionis videtur esse illud, an homo sit suę famæ dominus, de quo ēt supra nonnihil scripsimus; hic tamen eadem ueritas, tanquam huius quæstionis fundamentum,repetenda,ac ponenda est.

Prima conclusio, homo habet verum & proprium, ac plenum dominium suæ famæ, sicuti & pecuniarum, aliorumque externorum bonorum:quod hisce rationibus demonstratur.

Primo,communiore Doctorum opinione, & præsertim

tim Diui Thomæ, quidquid Caietanus tergiuersetur; in secunda secundę, quæst. 73. articulo 4. in responsione ad primum, vbi luculenter hanc veritatem demonstrat, cum ait, esse in arbitrio cuiusque detrimentum suæ famæ pati, nisi id vergat in aliorum detrimentum.

Secundo, fama connumeratur inter bona temporalia, in quibus, vt Aristoteles docet, tenet primum locũ; tribuiturque, tanquam prmęium, virtuti: at bonorum temporalium homo habet verum dominium; & præsertim famæ, quam nemo acquirit nisi suis bonis operationibus: igitur.

Postremo, ne in re manifestissima longior sim, quam locus postulat, de hac.n.re plura in materia de dominio dicenda sunt, Sancti patres, & viri religiosi, cum laude suæ famæ iacturam fecerunt, & per famæ contemptum perfectionis uiam ingressi sunt: quod profecto eis non licuisset, nisi suæ famæ dominium habuissent. Ideo Diuus Thomas, loco proxime citato, sustinendarum detractionum patientiam commendari posse affirmauit.

Secunda conclusio, potest homo famæ suæ restitutionem condonare. Patet ex proxima conclusione; quia est eius dominus: & a simili de alijs bonis: & denique ex communiore sententia.

Tertia conclusio, famæ suę restitutionem remittere, ex genere suo, non est malũ. Quoniam, cum homo sit uerus famæ suæ dominus, potest ob aliquam congruentem rationem eius restitutionem alteri condonare, sicuti & pecuniarum; igitur.

Quarta conclusio, quamuis homo sit suę famę dominus; tamen in ea remittenda potest peccare, quod peccatum, ex suo genere, & vt plurimũ, est ueniale. Quod hac in re possit esse peccatum, patet ex illa Augustini auctoritate supra citata: & confirmatur a simili, de eo, qui sine ulla caussa opes dissiparet. Quod autem, ex se, sit ueniale peccatum, patet; quia est quædam prodigalitas: quę, ut docet Beatus Thomas, secunda secundæ q. 120. art. 3. est quędam culpa uenialis.

Quin-

Quincta conclusio, famę restitutioné sine caussa condonare, in quibusdam casibus potest esse peccatũ mortale, quos statim recensebo, quorum quattuor attingit Nauarrus in Enchiridio cap.18.nu.28.

Primus casus, quando inde proficisceretur damnum spirituale ipsius remittẽtis: ut si bona fama esset in caussa, ut ipse abstineret à peccato; in quod si famã despiceret, facile haberetur, uel se exponeret periculo peccãdi.

Secũdus casus, quando ex tali remissione oriretur dãnum spirituale proximi. Vt gratia exempli, si diffamatus esset spectatæ sãctitatis homo, & sua bona existimatione, opinioneque alios ad honeste uiuendum allicere: qui, si se diffamaret, aut famam negligeret, esset in caussa, ut alij a bene agendo cessarent: immo ad male agendum ob diuulgatum de eo famam facile excitarentur. Huc pertinet illa superius citata Augustini auctoritas, quæ ad hunc casum confirmandum est omnino animaduertenda, ac propterea eam adscribendam putaui. Non sunt, inquit Augustinus, audiendi, siue uiri sancti, siue fęminæ, qui quoniam reprehenduntur in aliqua negligentia, per quã fit, ut in malam ueniant suspicionem, unde suam uiã longe ab esse sciunt: dicunt corã Deo sufficere sibi conscientiam, existimationem huiusmodi non solum impudenter, uerum etiam crudeliter contemnentes: cum occidant animas aliorum, siue blasphemantium uiam Dei: quibus secundum suam suspitionem, quasi turpis, quæ casta est, displicet uita sanctorum: uel etiam cum excusatione imitantium, non quod uident, sed quod putant. Proinde quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum uitam suam custodit, sibi bene facit: quisquis autem etiam famam, & in alijs est misericors: nobis enim necessaria est uita nostra, alijs fama nostra.

Tertius casus, quando inde nesceretur periculum uitæ temporalis, aut etiam damnum temporale propriũ, ita ut ex amissione famæ, aliquis non posset sibi uictum comparare: ut si uir doctus, aut aliquis artifex diffamaretur

retur tamquam ignarus suæ artis: unde fieret, ut sibi ui-
ctum comparare non posset.

Quartus, quando inde sequeretur aliorum infamia;
ut si Episcopus infamatus fuisset, aut se infamaret de
turpissimo Simoniæ crimine; unde oriretur infamia a-
liorum, quibus cum simoniam contraxisset. Idem dicas
de aliquo religioso, qui fuisset diffamatus de tetertima
hæresis labe; unde eius religio aliquam contraheret in-
famiæ notam.

Quinctus, quando respublica magnum pateretur ex
illa infamia detrimentum: ut, si aliquis Prætor uel reip.
moderator esset maxime utilis, & ab eo penderet bona
ex parte bonum ciuitatis regimen; & ob infamiam a re
gimine reijceretur, aut omnino inutilis redderetur. Idē
dicas de aliquo illustri homine, qui arma profiteretur.
Quo fit, ut uniuerse loquendo, Pælati & aliorum mo-
deratores non possint se infamare, uel famæ restitutio-
nem negligere.

Sextus, quando quis infamatus fuisset de grauissimo
crimine, ut est apostasiæ, & hæresis peccatum: quorum
criminum nota, omnino delenda est, & nulla ratione fe
renda: cum nihil possit excogitari fœdius, quam homi-
nem fieri reum crimis diuinæ maiestatis læsæ. Propte-
rea Christus dominus, ut est apud Ioannem capite octa
uo, cum alias multas contumelias æquo animo pertulis
set, non passus est, se Samaritanum, quasi hæreticum,
uel Idololatram appellari.

Septimus, non licet se infamare cum iactantia, quasi
gloriā de peccatis capiendo; quoniam, qui se hac ratio
ne diffamant, in sacris literis vehementer reprehendū-
tur. Quid, aiebat Regius Propheta, psalmo quinqua-
gesimoprimo, gloriaris in malitia, qui potens es in ini-
quitate? Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, &c.
& psalmo nonagesimotertio, Vsquequo peccatores, Do
mine, vsque quo peccatores gloriabuntur.

Sexta conclusio, potest interdum homo famę re-
stitutionem condonare, & consequenter se infamare, si-

ne peccato: ita, ut si debitæ adsint circumstantiæ, possit esse actus meritorius. Est conclusio contra primam sententiam, quæ nullo modo defendi potest: hanc ueritatem hæ demonstrant rationes.

Primo, quia fundamentum precipuum contrarię opinionis, quod homo non sit dominus suæ famæ, est omnino falsum: propterea, cōtrario posito fundamento, quod homines habeant verum suæ famæ dominium, sequitur, ut possint cum debitis circumstantijs, eius restitutionem remittere, & se aliqua ratione, infamare; sicuti possunt alia bona temporalia, cum uirtute, alijs tribuere, & condonare.

Secundo, exemplo Sanctorum, & ipsius Christi domini, qui ut est apud Ioannem, capite vigesimotertio, cum diffamaretur, non respondebat: & de Dauide personam Christi gerente, legimus, factum fuisse tāquam mutum, & non respondisse calumniantibus. Sæpe Christus nos hortatus est ad paruifaciendam gloriā, famamque huius mundi contemnendam. Paulus, ut aliquando famam suam in iudicio iure defendit, ut in Actis Apostolorum legitur: ita etiam alibi dixit, se pro minimo habere ab humano die, idest iudicio iudicari, 1. Cor. 4. Augustinus, & Anselmus suis scriptis, humilitatis gratia, dum sua peccata litteris commendarunt, magna cum laude apud omnem posteritatem, & cum præmio apud Deum, se diffamarunt. Denique, Gregorius homelia nona in Ezechielem hac de re hāc luculentam scriptam nobis reliquit sententiam, linguas detrahentium, sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suas malitias excitatas debemus æquanimiter tollerare, ut nobis meritum crescat. Sed hac de re plura alibi.

Tertio, licet infamanti nō respondere, ut patet Christi exemplo: at qui non respondet cum possit, se diffamat: quia qui tacet consentire uidetur, igitur.

Quarto, si possum pro amico uitam exponere, quamuis non sim uitæ dominus, cur non etiam famæ restitu-

tionem

tionem ei condonare potero. Et ſane,quis famam pro patris, & patriæ incolumitate eſſe exponendam neget, cum etiam vitam debeamus exponere?id ſi licet,cur etiam non licebit proximo, cum virtute,eiuſdem reſtitutionem condonare?

Septima cõcluſio, quando aliquis remiſit famæ compenſationem,ſiue peccauerit, ſiue nõ peccauerit, is qui infamauit ſolutus eſt ab reſtitutionis vinculo. Patet hęc concluſio ex dictis, quia qui remittit, eſt ſuæ famę dominus: & confirmatur a ſimili de remiſſione debiti pecuniæ,quo condonato, non remanet obligatio ad ſoluendum,per caput exigit,de cenſibus,libro ſexto,& ibi per Gloſſam: & per eandem Gloſſam,verbo, Reſtituitur,ſuper regula,Peccatum,eodem libro.Antequam autem ad argumenta reſpondeo, quaſdam dubitatiunculas huc pertinentes diſſoluam.

Prima,dubitatio,ſi uerum eſt id,quod diximus, licere nobis famæ reſtitutionem condonare, ergo liceret etiam dare alicui facultatem, ut iterum infamia nos afficeret,quod uidetur omnino a ratione alienum. Huic dubitationi his dictis ſatisfacio. Primum,ſi quis id faceret,non eſſet contra iuſtitiam, ſed ſolum contra caritatem: cum qui diffamatur,ſit ſuę famæ dominus.Secundum,ſi id ex cauſſa fieret,eſſet licitum; patet ex dictis, quoniam contumeliæ,ſeu infamiæ perpeſſio, eſt magni meriti occaſio.

Secunda dubitatio,ſi quis ſeipſum quando non deberet notaret infamia, deberet ne ſibi famam reſtituere? Quid ad hanc dubitationem reſpondendum ſit, patet ex ijs,quę ſupra diximus.Si itaque uniuerſe loquamur, nemo tenetur ſibi famam reſtituere: qui non reſtitueret,non faceret contra iuſtitiam, cum homo ſit ſuæ famæ dominus: ſecus dicendum eſſet cum propria fama eſſet alijs neceſſaria, ut in caſibus ſupra poſitis: alias poſſet aliquo pacto peccari contra caritatem.

Tertia dubitatio,an liceat ſe infamare ad uitam conſeruandam, ac etiam ad magnos cruciatus uitandos?

Ad hanc dubitationem, dico primo, etiamsi homo non esset famæ dominus, adhuc posset se cum ratione diffamare ad uitæ conseruationem: quia licet exponere minus bonum, pro maioris boni conseruatione. Dico secũdo, licere etiam se diffamare ad magnos cruciatus uitãdos: quia non tenemur ad famæ conseruationem cum magno corporis detrimento. Dico tertio, ad leues cruciatus uitandos, de graui peccato se diffamare, non licet: esset enim prodigalitatis & inconstantiæ opus. Atque his explicatis dubitationibus, ad argumentorum solutionem accedamus.

Ad primum, monet Sapiens, ut curam habeamus boni nominis, ut bonum nomen ex uirtute sequitur: quare, uirtus est per se conseruanda, quam bonum nomen sequitur, vt vmbra corpus. Quod si quis de bono nomine per se esset sollicitus, ita ut famam pro scopo haberet, is non bene audiret: & nunquam bonum nomen consequeretur, ut is, qui esset vanæ gloriæ uitio infectus. Et non secus se haberet, atque ille, qui se a sole auerteret, & suam insequeretur umbram, quam profecto assequeretur nunquam. Conseruanda itaque est fama, & modo quo diuitiæ, licet maiore quadam cura, quatenus ad uirtutem augendã & cõseruandã confert.

Quod autem ex Aristotele obijcitur, famam esse partem felicitatis, falsum est, esse eiusmodi partem, quæ ad eius substantiam pertineat: cum ex eiusdem Aristotelis sententia in primo ethico felicitatis essentia posita sit in sola operatione, secundum uirtutem in uita perfecta. Consequitur itaque fama felicitatem, tanquã quidam effectus, & propterea ad eam aliquo modo pertinere dicitur. Et tandem, quidquid Aristoteles de humana felicitate senserit, quid vera ratio, & Christiana doctrina doceat, animaduertendum est.

Ad secundum, qua ratione Augustini auctoritas intelligenda sit, patet ex dictis. Alias dicerem Augustino, cur seipsum crudeliter tractauerit, cum in libris cõfessionum tanta cum uirtute & animi sumissione uniuerso

uerſo terrarum orbi ſua crimina manifeſtauerit? Et cur, de ſecundino Manichęo loquens, dixit, ſentiat de Auguſtino quidquid libet, ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet. 11. quæſt. 3. can. ſentit. lege ibidem Gregorium can. Inter uerba.

Ad tertium, iam diximus, nobis non licere famæ reſtitutionem negligere, aut noſipſos diffamare, quando noſtra fama eſt alijs neceſſaria.

Ad quartum, non eſt par ratio de vita, ſeu de membrorum mutilatione, quia homo non eſt illorum dominus, vt eſt famæ: negamus etiam non licere exponere vitam in aliorum utilitatem: & poteſt aliquis pati detrimentum corporis, vt alteri pecuniarum reſtitutionem condonet. Confirmatio, quantum a veritate abhorreat, patet ex prima concluſione. Atque de hac difficultate hactenus.

An qui ſe mutuo infamarunt, poſſint inter ſe famę compenſationem facere: & an infamatus poſſit infamando ſuam tueri famam.
Quæſt. XXIIII.



HAC vnica quæſtione duas explicabimus dubitationes: quibus expoſitis, nihil ſupererit, de ijs, quæ nobis de famæ reſtitutione dicenda erant. Quod autem ad priorem dubitationem attinet, an liceat ſibi mutuo famę reſtitutionem relaxare, conueniunt Doctores communiter in tribus.

Primo, poſſe detractores, ſeu infamantes ſibi inuicē famę reſtitutionem remittere.

Secundo, unum ex detractoribus poſſe alteri non remittere, ſi alius condonare nolit.

Tertio, id non poſſe fieri ſine mutuo conſenſu, mutuoq; remiſſione: ita ut ſit differentia, hac in parte, inter debitū reſtituendæ famæ, & debitū reſtituēdæ pecuniæ.

Vt huic dubitationi ſatisfaciamus, animaduerte, cū

Tertia conclusio, Fama restituenda est cum periculo proprię famę amittendę: quod his rationibus confirmatur.

Primo ex communi Doctorum sentẽtia, in hac enim omnes conueniunt. Ita Scotus lib.4. sent. dist.15. quęs.4. Gabriel eadem distinct. Sotus, & alij.

Secundo, qui pecuniam alterius abstulit, tenetur eã restituere cum detrimento proprię pecunię, alias enim nulla fieri deberet restitutio; quare etiam aliena fama cum periculo, & detrimento aliquo suę amittendę restituenda erit.

Tertio, cum periculo & detrimento uitę proprię, debeo alium a mortis periculo liberare, quando iniuste fui caussa, ut alius de uita periclitaretur, ut si falso testimonio a me lato, aliquis ad mortem fuisset condemnatus; quia deberem retractare quod dixi, etiamsi adesset periculum uitę, ut innocens absolueretur: ergo etiam cum periculo famę aliquando famam restituere debebo. Dixi, in allato exemplo, iniuste, quia ut Sotus & Ledesma docent, si quis commisisset crimen, propter quod alius ad mortem damnaretur, non teneretur se manifestare, ne alius iniuste pateretur, cum nõ fuerint in caussa, cur ille sit iniuste damnatus.

Quarto, quia alias non fieret restitutio secundum æqualitatem, quam iustitia commutatiua requirit: siquidem, is qui famam abstulisset, non tantum mali pateretur, quantũ intulit. Hęc communis doctrina solet a quibusdam limitari, distinguendo de maiore & minore fama detractoris, & eius, cui fuit fama detracta, & de damno, quod inde oriri potest: limitationes sunt istę.

Prima Soti & Ledesmę, quando fama detractoris est maioris momẽti, quã fama eius, cui detrahitur: ut, si qui detraxit, esset persona conspicua, & in aliquo gradu cõstituta, puta Episcopus, uel Princeps, & is qui infamia notatus fuit, homo quidam communis; tunc enim detractor non teneretur restituere cum detrimento suę famę, sed posset alia ratione satisfacere, quod etiam supra

dixi-

dixímus: ut, pecunia, laude, &c. Quod si infamatus nollet huic restitutioni acquiescere, diffamator nõ esset ad aliquid aliud obligatus. Quoniam in tali casu, non debet infamatus uelle ut sibi restitutio fiat, cum tanto infamantis detrimento. Quandoquidem nec pecunia cũ nimio in eodem bonorum genere dãno restituẽda est.

Hæc limitatio, adhuc moderatione indiget; quia non habet locum nisi excessus famæ sit notabilis: si enim paruus esset excessus, fieri deberet, cum detrimento propriæ famæ. Etenim multo melior est eius, cui detrahitur conditio, quam detrahentis; in cuius famam ille ius habet: quo fit ut in fama sint æquales.

Secunda limitatio, etiamsi fama detrahentis non esset maior, & multo maior: tamen si ex restitutione sequeretur magnum scandalum, aut detrimentum multorum, præsertim spirituale, tunc non debet fieri cum detrimento famæ, sed alia uia. Vt posset accidere si persona detrahens esset ecclesiastica, & alias bonæ famæ, & is cui detrahitur vir secularis, & infimę notæ homo. quare, in hac re confessarius debet esse cautus, atque personarum considerare attributa, cum pęnitentes ad famę restitutionem obligat.

Quarta conclusio, famæ restitutio, cum alia ratione fieri non potest, uel non debet, potest fieri pecunia. Est hæc conclusio pro communi sententia, contra Syluestrum, & Nauarrum loco supra citato, qui affirmat famam non esse æstimabilem pecunia, vbi Soti rationes affert, quas soluere, & Diuum Thomam in suam sententiam trahere conatur: vostra tamen opinio his rationibus confirmatur.

Primo, detrimentum corporis reparari potest pecunia, ut supra est demonstratum: ergo etiam detrimentum famæ: cum non magis distet bonum famę a pecunia, quam corporis bonum: vbi animaduertendum est, nos non loqui de damno emergente ex famæ detractione, sed de damno accepto in bono ipsius famæ.

Secundo, ex Aristotele libro quincto Ethico, capite Quin-

quincto, pecunia est pretium æquiualens omnibus bonis temporalibus aptum ad constituendam, seu resarciẽdam omnem inæqualitatem; ergo cum fama sit quoddam temporale bonum, poterit pecunia compensari. Confirmatur hæc ratio ex ipsómet Nauarro, qui numero nonagesimo, Caietani opinionem moderatur, & ait eam procedere in fama, quæ oritur ex bonis virtutum Theologalium, & moralium, quod hæc non sit ęstimabilis pecunia: at vero in fama ex alijs rebus pręclaris parta, fieri potest æstimatio: qualis est fama ingenij, scientiæ, artium, diuitiarum, aliarumque similium rerum: & quidquid dicat Nauarrus, hæc est diui Thomæ opinio. Neque fundamentum, quo Syluester suam opinionem munit, est omnino firmum; quoniam quando, is qui debet, habet pecunias, quibus possit soluere, speciatim pecunias dare tenetur, non aliquid aliud, nisi creditor velit accipere: & ita pari ratione, fama non est danda loco pecuniæ. Immo, probabiliter dici potest, posse creditori reddi famam, pecuniarum loco, si ei esset vtilis. Vt ecce, finge creditorem indigere famulo, quem sibi pararet, si pecunia sibi debita restitueretur: & cum non restituatur aliquod detrimentum famæ patitur: tunc debitor posset illi inseruire, quæ seruitus creditori loco pecuniæ satisfaceret. Quamuis autem hæc vera sint; tamen, vt supra diximus, quia non solet esse in vsu ista restitutio, per compensationem pecuniæ; præsertim apud ingenuos homines, ideo nisi speciatim requiratur, qui non restitueret, excusari posset.

Quincta conclusio, famę restitutio non transit ad hæredes. Hoc affirmauerim contra Adrianum quolib. 11. & Nauarrum, capit. 18. nume. 46. qui aliter sentiunt. Nostra sententia ex eo primum confirmari potest, quod contraria opinio nunquam fuit in vsu in ecclesia; ac proinde non videtur sine urgenti ratione, quæ non apparet, introducenda. Deinde, quia ut supra diximus, restitutio famæ est actio personalis, & ad eum pertinet, qui detraxit: quare, cum hæres succedat in hę-

redi-

reditate, solum ea onera sentire debet, quæ hęreditatē sequuntur, cuiusmodi non est famæ restitutio; nisi quan do fama esset taxata pretio. Quod si obijcias, cap. in literis, tit. de sepulturis, & caput finale eodem, in quibus habetur, hæredes satisfacere debere pro defunctis, id intelligendum est de satisfactione debitorum, quæ hæreditatem consequuntur, cuiusmodi non est debitū restituendæ famæ.

Argumenta in initio allata nihil est ut soluātur: probant enim conclusionem secundam, ut ibi diximus.

An famæ restitutio condonari seu remitti possit.
Quæst. XXIII.



VOD nemini liceat suę famę restitutionē cuippiam remittere, pro altera propositæ quæstionis partę, quam nonnulli Doctores sequuntur, his rationibus probares.

Primo, Sapientis auctoritate Ecclesiastici capite 41. qua monemur ad habendam curam de bono nomine, quod magis permaneat, hoc est permanere, seu conseruari debeat, quam mille thesauri pretiosi: & alio loco, Prouer. 22. dixit, melius esse nomen bonū, quam sint diuitiæ multæ: quare nemo posset sine culpa tanti boni velle iacturam pati. Huc facit, quod Aristoteles famam inter partes felicitatis connumerauit: quę autem ad felicitatem pertinent, nemo potest, aut debet alijs donare.

Secundo, grauissima Diui Augustini auctoritate, quę habetur apud Gratianum 11. quæst. 3. Can. Non sunt, vbi reprehendit eos, qui dicunt sibi sufficere bonam cō scientiam coram Deo: quos, ait, non solum imprudenter, sed etiam crudeliter agere, dum hominum existima tionem contemnunt.

Tertio, fama nostra non solum est nobis necessaria, sed etiam alijs, ut docet Augustinus loco citato: immo est necessaria etiam reip. cui expedit habere homines fa

ma claros:ergo nemo potest eam condonare absq; alie na iniuria.

Quarto, nemini licet seipsum infamare, sicuti, nec mutilare, aut occidere: ergo nec famam sibi restituendam condonare:quod qui faceret sese infamare videretur,cum in suę famæ statum restitui nolit: non secus ac si quis nollet sibi pecunias reddi, vnde uel periret,vel magnum detrimentum in corpore pateretur. Confirmatur hæc ratio,quoniam homo non est dominus suæ famæ,igitur non potest eam condonare.In hac dubitatione, duæ sunt præcipuæ Doctorum opiniones.

Prima sententia fuit Ioannis Maioris in quarto lib. sent. dist. 15. quæst.16.& domini Caietani in suis commentarijs in secundam secundæ Diui Thomę,quęst.73. art.2.& in summa, verbo detractio;qui Doctores existimarunt hominem non posse suæ famæ restitutionem remittere,& si remittat,non valere:idque potissimum ob eam caussam,quod non sit suæ famæ dominus: ex cuius rei determinatione, huius quæstionis pendet resolutio.

Secunda sententia Antonini,parte 2.tit.2. cap.1.§. 3. Adriani in 4. sent. quæstio. de restitut. famæ & quolib. 11.Soti lib.de ratione tegendi,vel detegendi secretum, membro 1 quæst.3.& lib. 4.de iust. & iure, quæst.6.art. 3.Nauar.in Enchir.cap.18.num.49.qui auctores, quorum sententia est communis, sustinent licere interdum famæ suæ restitutionem condonare, uel etiam negligere,etiam magno cum merito. Nos varijs conclusionibus quid hac in re sentiendum sit aperiemus: & quia fundamentum huius quæstionis videtur esse illud, an homo sit suę famæ dominus, de quo ēt supra nonnihil scripsimus; hic tamen eadem ueritas, tanquam huius quæstionis fundamentum,repetenda,ac ponenda est.

Prima conclusio, homo habet verum & proprium, ac plenum dominium suæ famæ, sicuti & pecuniarum, aliorumque externorum bonorum:quod hisce rationibus demonstratur.

Primo,communiore Doctorum opinione, & præsertim

tim Diui Thomæ,quidquid Caietanus tergiuersetur; in secunda secundę, quæst. 73. articulo 4. in responsione ad primum,vbi luculenter hanc veritatem demonstrat, cum ait, esse in arbitrio cuiusque detrimentum suæ famæ pati,nisi id vergat in aliorum detrimentum.

Secundo, fama connumeratur inter bona temporalia,in quibus,vt Aristoteles docet,tenet primum locū, tribuiturque, tanquam prmęium, virtuti: at bonorum temporalium homo habet verum dominium; & præsertim famæ,quam nemo acquirit nisi suis bonis operationibus:igitur.

Postremo,ne in re manifestissima longior sim,quam locus postulat,de hac.n.re plura in materia de dominio dicenda sunt,Sancti patres,& viri religiosi, cum laude suæ famæ iacturam fecerunt, & per famæ contemptum perfectionis uiam ingressi sunt: quod profecto eis non licuisset,nisi suæ famæ dominium habuissent. Ideo Diuus Thomas,loco proxime citato,sustinendarum detractionum patientiam commendari posse affirmauit.

Secunda conclusio,potest homo famæ suæ restitutionem condonare. Patet ex proxima conclusione; quia est eius dominus: & a simili de alijs bonis: & denique ex communiore sententia.

Tertia conclusio,famæ suę restitutionem remittere, ex genere suo, non est malū. Quoniam, cum homo sit uerus famæ suæ dominus,potest ob aliquam congruentem rationem eius restitutionem alteri condonare, sicuti & pecuniarum; igitur.

Quarta conclusio, quamuis homo sit suę famę dominus; tamen in ea remittenda potest peccare,quod peccatum, ex suo genere,& vt plurimū,est ueniale. Quod hac in re possit esse peccatum, patet ex illa Augustini auctoritate supra citata: & confirmatur a simili,de eo, qui sine ulla caussa opes dissiparet. Quod autem, ex se, sit ueniale peccatum, patet;quia est quædam prodigalitas: quę,ut docet Beatus Thomas, secunda secundæ q.120.art.3.est quędam culpa uenialis.

Quin-

Quincta conclusio, famę restitutioné sine caussa condonare, in quibusdam casibus potest esse peccatatū mortale, quos statim recensebo, quorum quattuor attingit Nauarrus in Enchiridio cap.18.nu.28.

Primus casus, quando inde proficisceretur damnum spirituale ipsius remittétis: ut si bona fama esset in caussa, ut ipse abstineret a peccato; in quod si famā despiceret, facile haberetur, uel se exponeret periculo peccādi.

Secūdus casus, quando ex tali remissione oriretur dānum spirituale proximi. Vt gratia exempli, si diffamatus esset spectatæ sāctitatis homo, & sua bona existimatione, opinioneque alios ad honeste uiuendum alliceret: qui, si se diffamaret, aut famam negligeret, esset in caussa, ut alij a bene agendo cessarent: immo ad male agendum ob diuulgatum de eo famam facile excitarentur. Huc pertinet illa superius citata Augustini auctoritas, quæ ad hunc casum confirmandum est omnino animaduertenda, ac propterea eam adscribendam putaui. Non sunt, inquit Augustinus, audiendi, siue uiri sancti, siue fęminæ, qui quoniam reprehenduntur in aliqua negligentia, per quā fit, ut in malam ueniant suspicionem, unde suam uiā longe ab esse sciunt: dicunt corā Deo sufficere sibi conscientiam, existimationem huiusmodi non solum impudenter, uerum etiam crudeliter contemnentes: cum occidant animas aliorum, siue blasphemantium uiam Dei: quibus secundum suam suspitionem, quasi turpis, quæ casta est, displicet uita sanctorum: uel etiam cum excusatione imitantium, non quod uident, sed quod putant. Proinde quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum uitam suam custodit, sibi bene facit: quisquis autem etiam famam, & in alijs est misericors: nobis enim necessaria est uita nostra, alijs fama nostra.

Tertius casus, quando inde nesceretur periculum uitæ temporalis, aut etiam damnum temporale propriū, ita ut ex amissione famæ, aliquis non posset sibi uictum comparare: ut si uir doctus, aut aliquis artifex diffamaretur

retur tamquam ignarus suæ artis: unde fieret, ut sibi uictum comparare non posset.

Quartus, quando inde sequeretur aliorum infamia; ut si Episcopus infamatus fuisset, aut se infamaret de turpissimo Simoniæ crimine; unde oriretur infamia aliorum, quibus cum simoniam contraxisset. Idem dicas de aliquo religioso, qui fuisset diffamatus de teterrima hæresis labe; unde eius religio aliquam contraheret infamiæ notam.

Quinctus, quando respublica magnum pateretur ex illa infamia detrimentum: ut, si aliquis Prætor uel reip. moderator esset maxime utilis, & ab eo penderet bona ex parte bonum ciuitatis regimen; & ob infamiam a regimine reijceretur, aut omnino inutilis redderetur. Idē dicas de aliquo illustri homine, qui arma profiteretur. Quo fit, ut uniuerse loquendo, Pælati & aliorum moderatores non possint se infamare, uel famæ restitutionem negligere.

Sextus, quando quis infamatus fuisset de grauissimo crimine, ut est apostasiæ, & hæresis peccatum: quorum criminum nota, omnino delenda est, & nulla ratione ferenda: cum nihil possit excogitari fœdius, quam hominem fieri reum crimis diuinæ maiestatis læsæ. Propterea Christus dominus, ut est apud Ioannem capite octauo, cum alias multas contumelias æquo animo pertulisset, non passus est, se Samaritanum, quasi hæreticum, uel Idololatram appellari.

Septimus, non licet se infamare cum iactantia, quasi gloriã de peccatis capiendo; quoniam, qui se hac ratione diffamant, in sacris literis vehementer reprehendũtur. Quid, aiebat Regius Propheta, psalmo quinquagesimoprimo, gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, &c. & psalmo nonagesimotertio, Vsquequo peccatores, Domine, vsque quo peccatores gloriabuntur.

Sexta conclusio, potest interdum homo famę restitutionem condonare, & consequenter se infamare, sine

ne peccato: ita, ut si debitæ adsint circumstantiæ, possit esse actus meritorius. Est conclusio contra primam sententiam, quæ nullo modo defendi potest: hanc ueritatem hæ demonstrant rationes.

Primo, quia fundamentum precipuum contrarię opinionis, quod homo non sit dominus suæ famæ, est omnino falsum: propterea, cõtrario posito fundamento, quod homines habeant verum suæ famæ dominium, sequitur, ut possint cum debitis circumstantijs, eius restitutionem remittere, & se aliqua ratione, infamare, sicuti possunt alia bona temporalia, cum uirtute, alijs tribuere, & condonare.

Secundo, exemplo Sanctorum, & ipsius Christi domini, qui ut est apud Ioannem, capite vigesimotertio, cum diffamaretur, non respondebat: & de Dauide personam Christi gerente, legimus, factum fuisse tãquam mutum, & non respondisse calumniantibus. Sæpe Christus nos hortatus est ad paruifaciendam gloriã, famamque huius mundi contemnendam. Paulus, ut aliquando famam suam in iudicio iure defendit, ut in Actis Apostolorum legitur: ita etiam alibi dixit, se pro minimo habere ab humano die, idest iudicio iudicari, 1.Cor. 4. Augustinus, & Anselmus suis scriptis, humilitatis gratia, dum sua peccata litteris commendarunt, magna cum laude apud omnem posteritatem, & cum præmio apud Deum, se diffamarunt. Denique, Gregorius homelia nona in Ezechielem hac de re hãc luculentam scriptam nobis reliquit sententiam, linguas detrahentium, sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suas malitias excitatas debemus æquanimiter tollerare, ut nobis meritum crescat. Sed hac de re plura alibi.

Tertio, licet infamanti nõ respondere, ut patet Christi exemplo: at qui non respondet cum possit, se diffamat: quia qui tacet consentire uidetur, igitur.

Quarto, si possum pro amico uitam exponere, quamuis non sim uitæ dominus, cur non etiam famæ restitutionem

tionem ei condonare potero. Et sane, quis famam pro patris, & patriæ incolumitate esse exponendam neget, cum etiam vitam debeamus exponere? id si licet, cur etiam non licebit proximo, cum virtute, eiusdem restitutionem condonare?

Septima cōclusio, quando aliquis remisit famæ compensationem, siue peccauerit, siue nō peccauerit, is qui infamauit solutus est ab restitutionis vinculo. Patet hęc conclusio ex dictis, quia qui remittit, est suæ famę dominus: & confirmatur a simili de remissione debiti pecuniæ, quo condonato, non remanet obligatio ad soluendum, per caput exigit, de censibus, libro sexto, & ibi per Glossam: & per eandem Glossam, verbo, Restituitur, super regula, Peccatum, eodem libro. Antequam autem ad argumenta respondeo., quasdam dubitatiunculas huc pertinentes dissoluam.

Prima, dubitatio, si uerum est id, quod diximus, licere nobis famæ restitutionem condonare, ergo liceret etiam dare alicui facultatem, ut iterum infamia nos afficeret, quod uidetur omnino a ratione alienum. Huic dubitationi his dictis satisfacio. Primum, si quis id faceret, non esset contra iustitiam, sed solum contra caritatem: cum qui diffamatur, sit suę famæ dominus. Secundum, si id ex caussa fieret, esset licitum; patet ex dictis, quoniam contumeliæ, seu infamiæ perpessio, est magni meriti occasio.

Secunda dubitatio, si quis seipsum quando non deberet notaret infamia, deberet ne sibi famam restituere? Quid ad hanc dubitationem respondendum sit, patet ex ijs, quę supra diximus. Si itaque uniuerse loquamur, nemo tenetur sibi famam restituere: qui non restitueret, non faceret contra iustitiam, cum homo sit suæ famæ dominus: secus dicendum esset cum propria fama esset alijs necessaria, ut in casibus supra positis: alías posset aliquo pactò peccári contra caritatem.

Tertia dubitatio, an liceat se infamare ad uitam conseruandam, ac etiam ad magnos cruciatus uitandos?

Ad hanc dubitationem, dico primo, etiamsi homo non esset famæ dominus, adhuc posset se cum ratione diffamare ad uitæ conseruationem: quia licet exponere minus bonum, pro maioris boni conseruatione. Dico secūdo, licere etiam se diffamare ad magnos cruciatus uitādos: quia non tenemur ad famæ conseruationem cum magno corporis detrimento. Dico tertio, ad leues cruciatus uitandos, de graui peccato se diffamare, non licet: esset enim prodigalitatis & inconstantiæ opus. Atque his explicatis dubitationibus, ad argumentorum solutionem accedamus.

Ad primum, monet Sapiens, ut curam habeamus boni nominis, ut bonum nomen ex uirtute sequitur: quare, uirtus est per se conseruanda, quam bonum nomen sequitur, vt vmbra corpus. Quod si quis de bono nomine per se esset sollicitus, ita ut famam pro scopo haberet, is non bene audiret: & nunquam bonum nomen consequeretur, ut is, qui esset vanæ gloriæ uitio infectus. Et non secus se haberet, atque ille, qui se a sole auerteret, & suam insequeretur umbram, quam profecto assequeretur nunquam. Conseruanda itaque est fama, & modo quo diuitiæ, licet maiore quadam cura, quatenus ad uirtutem augendā & cōseruandā confert.

Quod autem ex Aristotele obijcitur, famam esse partem felicitatis, falsum est, esse eiusmodi partem, quæ ad eius substantiam pertineat: cum ex eiusdem Aristotelis sententia in primo ethico felicitatis essentia posita sit in sola operatione, secundum uirtutem in uita perfecta. Consequitur itaque fama felicitatem, tanquā quidam effectus, & propterea ad eam aliquo modo pertinere dicitur. Et tandem, quidquid Aristoteles de humana felicitate senserit, quid vera ratio, & Christiana doctrina doceat, animaduertendum est.

Ad secundum, qua ratione Augustini auctoritas intelligenda sit, patet ex dictis. Alias dicerem Augustino, cur seipsum crudeliter tractauerit, cum in libris cōfessionum tanta cum uirtute & animi sumissione uniuerso

uerso terrarum orbi sua crimina manifestauerit? Et cur, de secundino Manichęo loquens, dixit, sentiat de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. 11. quæst. 3. can. sentit. lege ibidem Gregorium can. Inter uerba.

Ad tertium, iam diximus, nobis non licere famæ restitutionem negligere, aut nosipsos diffamare, quando nostra fama est alijs necessaria.

Ad quartum, non est par ratio de vita, seu de membrorum mutilatione, quia homo non est illorum dominus, vt est famæ: negamus etiam non licere exponere vitam in aliorum utilitatem: & potest aliquis pati detrimentum corporis, vt alteri pecuniarum restitutionem condonet. Confirmatio, quantum a veritate abhorreat, patet ex prima conclusione. Atque de hac difficultate hactenus.

An qui se mutuo infamarunt, possint inter se famę compensationem facere: & an infamatus possit infamando suam tueri famam.
Quæst. XXIIII.



HAC vnica quæstione duas explicabimus dubitationes: quibus expositis, nihil superit, de ijs, quæ nobis de famæ restitutione dicenda erant. Quod autem ad priorem dubitationem attinet, an liceat sibi mutuo famę restitutionem relaxare, conueniunt Doctores communiter in tribus.

Primo, posse detractores, seu infamantes sibi inuicē famę restitutionem remittere.

Secundo, unum ex detractoribus posse alteri non remittere, si alius condonare nolit.

Tertio, id non posse fieri sine mutuo consensu, mutuaq; remissione: ita ut sit differentia, hac in parte, inter debitū restituendæ famæ, & debitū restituēdæ pecuniæ.

Vt huic dubitationi satisfaciamus, animaduerte, cū

quæritur, an in restitutionem famę cadat compensatio per famam, ita una fama detur pro alia, id dupliciter contingere potest: primo ex mutuo infamantium consensu: altero vero sine isto mutuo consensu, ita ut unus condonet famam suam loco famę sibi ablatæ, alio nesciente, aut non consentiente. Rursus ista compensatio bifariam fieri potest; primo, ut compensetur fama cum fama; altero, ut fama cum pecunia. His notatis, has pono conclusiones.

Prima conclusio, Ista mutua compensatio fieri potest. est doctrina certissima, & patet ex proxima quęstione, atque ex communi opinione, contra Caietanum, & Adrianum: atque ratione a simili in alijs debitis efficaciter confirmatur: vt si ego tibi abstulissem pecunias, & tu mihi equum, posset inter nos fieri restitutionis remissio, si equi pretium æquiualeret pecuniæ.

Secunda conclusio, ista restitutio non potest fieri sine mutuo consensu, etiamsi infamatores sint pares in debito restituendæ famę, hoc est, etiamsi sint æqualiter diffamati. Hæc conclusio est contra opinionem Ledesmę, qui in hoc casu putat fieri posse sine mutuo consensu, ut in alijs bonis externis: quare, cum nocumentum sit æqualiter utrinque illatum, ex ui iustitiæ, unus non debet alteri. Confirmatur hęc opinio argumento a simili de duobus, qui inter se digitum amputassent, inter quos fieri posset, sine ullo mutuo consensu, compensatio. Quare ex hac sententia, si alter vellet restituere famam, pro fama, alter uero ex duobus infamatis nollet, ille ex iustitia non teneretur restituere. Nobis autem probabilior uidetur contraria sententia: tum quia communior est; tum etiam quod homines non æquali modo curam de fama habent, eamque vnus pluris facit, quam alius, & magis potest esse necessaria uni, quā alteri. Vnde non est par ratio de fama & de pecunijs, quia damnum illatum per reciprocam infamiam non tollitur.

Tertia conclusio, Non videtur verum simpliciter a

istos

iſtos eſſe obligatos ad reſtituendum ex lege caritatis; Hæc etiam concluſio eſt prȩter opinionem Ledeſmȩ, qui ait, quod quamuis iſti non ſint obligati ratione iuſtitiæ ad reſtituendum, ſi non adſit mutuus conſenſus; tamen lege caritatis, maxime: quam opinionem his confirmat rationibus.

Primo, quoniam vnuſquiſque eſt obligatus lege caritatis alteri ſuccurrere in neceſſitate, quando id fieri poteſt: atqui infamia notati, ſunt in neceſſitate famæ conſtituti: facienda igitur eſt talis reſtitutio, ſi ſit poſſibilis.

Secundo, ſi Petrus, gratia exempli, infamaret Paullum, me præſente, & ego facile, vno verbo, poſſem hanc infamiam impedire, grauiter contra caritatē pecco, ni facio: igitur, & iſti, qui cum poſſint ſe inuicem ab infamia liberare, non faciunt.

Hanc, inquam, doctrinam non arbitror eſſe uniuerſaliter veram, ſed eget moderatione. Tunc igitur admitti poterit, quando ego poſſum alium liberare ſine detrimento famȩ: & quando ille eſſet in magna neceſſitate.

Quarta concluſio, nec etiam uidetur ſimpliciter uerum, quod idem auctor exiſtimauit, fieri poſſe hanc compenſationem, per pecuniam, hoc eſt, ſi alter deberet famam reſtituere, alter uero pecunias, is poſſet pecunias non ſoluere, ſi ille non reſtitueret famam: ita vt, qui eſt offenſus in fama, poſſit illius loco pecunias retinere. Hoc, inquam, non omnino placet; niſi conſtet pecuniæ creditorem conſentire: ſi quidem, non debet fieri reſtitutio per pecuniam, quando fieri poteſt, & debet per reſtitutionem famȩ: cum communi hominum conſuetudine nō ſoleat ſatisfieri famȩ per pecunias. Quod ſi qui diffamatus eſt conſentiret, utique liceret.

Quincta concluſio, compenſatio per mutuam remiſſionem famæ reſtituendæ fieri non deberet, quando uni fama eſſet omnino neceſſaria, alteri non item; ſimiliter quando non ſe diffamaſſent de æquali crimine, ut ſi u-

nus de hæresi, alter de fornicatione. Doctrina est Adriani quæst. penultima de restitutione, quam sequitur Angles. Quæ cõfirmatur ex capite tua fraternitas, de Adulterijs, & stupro, vbi dicitur paria crimina mutua compensatione deleri. Cum ergo hic non simus in pari necessitate, & criminis grauitate; talis restitutio non est admittenda.

Sexta conclusio, condonata famæ restitutione, non censeretur remissa restitutio damnorum, quæ ob illatam infamiam, infamatus perpessus esset: Doctrina est certissima, ex ijs quæ supra scripsimus: quia una remissa actione, non censetur alia cõdonata. Vbi illud etiam adnotauerim, non censeri famæ restitutionem remissam ex eo, quod infamatus familiariter uersatur cum infamatore: & condonatio facta ob veniæ petitionem, quarundam detractionum, non se extendit ad alias, ut Nau. cap. 18. num. 47. adnotauit.

Quod ad aliam dubitationem attinet, qua quęritur, an quis possit suam tutari famam alium infamando, Alexander Alensis parte 4. quęst. 86. mem. 3. ait licere; idem Sotus lib. 4. de iust. & iure, art. 3. circa finem responsionis ad quinctum argumentum, ubi vnico uerbo hanc difficultatem attingit; dummodo id per modum propulsationis, seu defensionis fiat; idem docet Ledesma: Nos de hac re, has ponimus conclusiones.

Prima conclusio, infamare malo animo, non tam ad famam suam tuendam, quam ad nocendum proximo infamanti, non licet. Quoniam non est tam se defendere, quam ulcisci, quod rectę rationi aduersatur: esset-que malum pro malo reddere, quod cum omni lege pugnat.

Secunda conclusio, quando quis primo & per se id faceret ad famæ defensionem, non animo nocendi, utiq; liceret. Quandoquidem omnes leges concedunt, ut ui vis repellatur: confirmatur a simili, quia licet aggressorem & percutere volentem ictibus, & percussionibus repellere; licebit ergo, & infamia famam tueri. Vt au-

tem

tem hæc doctrina sit vera, tria requiruntur.

Primo, vt crimen quod manifestatur, sit idoneum ad famam defendendam, & vt non lædat multo notabilius, quam facit crimen, quod obijcitur.

Secundo, id fieri debet eo tempore, quo quis infamatur; quia post infamiam contractam non licet, ut etiam patet in defensione vitæ. Vt si quis vellet mihi abscindere brachium, aut aliquam plagam infligere, possum in conflictu, seu congressu, vt me defendam, vulnerare, sed post acceptam plagam id non licet, sine uindictæ culpa.

Quod si dicas, qui plagam accepit, uel alia ratione percussus fuit, si postea inimicum percutiat, & par pari reddat, recuperat famam suam: ergo post famæ detractionem licebit mihi infamantem infamare, vt famam recuperem. Respondeo, primum, is qui læsus fuit non amisit proprie famam, sed honorem: percutere enim est contumelia afficere: deinde, tantum abest, vt is famam recuperet, vt etiam amittat, cum iniuste se gerat, vnde vterque debet restituere. Est ergo grauissimus hominum error, qui putant, vel famam, vel honorem sibi resarcire, dum vindictam de inimico sumunt.

Rursus obijceres, is cui res aliqua ablata fuit, potest eam absque iniustitia ab iniusto possessore auferre: ergo licebit etiam per criminis obiectionem ablatam famam recuperare. Huius argumentationis consecutio nulla est, quia restitutio eo respicit, vt qui sua re priuatus fuit, eam recuperet: quod in hoc casu non contingit: ex eo enim quod alterius famam lædis, tuam non recuperas.

Tertio, requiritur vt crimen sit aliquo pacto notum. Quia ille dicere posset, meum crimen non poteris probare: tuum autem ego probare possum. Quamuis autem hęc probabilia sint: tamen, hanc postremam statuo conclusionem.

Vltima conclusio, consultius esset a tali modo defen

dendæ famę abstinere,& potius qui vituperatur se defendat negando crimen sibi impositum, si falsum sit: si verum, calumniatorem non posse id, quod dicit probare,& suam famam esse apud omnes notam, & se nihil egisse, quod suam famam valeat obscurare. verum, si quod crimen infamanti obijcere licet, huiusmodi esse debet, vt calumniam infringat; vt si dicatur, eum solere mentiri, calumniari, & aliænæ famæ detrahere.

His duabus dubitationibus, adijciam & hanc dubitatiunculam, quid faciendum esset ei, qui olim diffamauit, & postea huius peccati recordatus est? Respondetur, hunc hominem ad nullam restitutionem teneri: quoniam infamia illa, longo tempore, per obliuionem est deleta. Cæterum, si quod ex illa infamia factum fuisset detrimentum, illud sarciendum esset. Atque de restitutione famæ hactenus: nunc de honore restituendo aliquid dicamus.

De honoris restitutione, an fieri debeat, & quo modo facienda sit. Quæst. XXV.

NISI in libro de Pacificatione latissime de honoris restitutione scripsissem, longior in præsentia de eadem re mihi habendus esset sermo; neque hoc loco quicquam scriberem, nisi timerem, ne hic de restitutione tractatus mancus videri posset; si hac de re nihil omnino scriberem. Dicam igitur aliqua, & ea breuiter complectar, quę maxime rem continent. Quod autem honor restitui non possit, his demonstro rationibus.

Primo, restitutio debet fieri per aliquid æquale: sed nihil est, quod honorem ęquare possit, cum ex Aristotele, honor sit summum, & præcipuum bonum,& virtutis præmium, quo nullum maius reddere possumus; ergo.

Secundo, si vllo modo fieri potest in hac re æqualitas, maxime per summissionem, & reuerentiæ exhibitio-

tionem, vt communiter Doctores tradunt: at per hunc modum sæpissime fieret inæqualitas, vt si persona aliàs illustris, & in dignitate constituta contumelia affecisset infimæ notę hominem: nulla igitur videtur esse ratio qua ista compensatio fieri possit.

Tertio, quo argumento demonstratur non posse fieri per ueniæ petitionem, vt alij volunt, Nam veniam petere, non est honorem tribuere, sed culpam agnoscere: & si hic modus satisfaceret, facile homines inter se contumelia & conuicijs afficerent: vt omittam, quod admodum leuis est ista restitutio, maxime cum magna facta est in honore læsio. Quod attinet ad opiniones, nulla est dissensio inter doctores, an honoris restitutio sit facienda, & an fieri possit: sed de modo, quo fieri debeat, de quo nonnihil supra diximus, cum de restitutione a mutilatore facienda egimus, quæ ad hanc etiam disputationem pertinent, est aliqua discordia.

Aliqui enim dicunt honorem restituendum esse per eius contrarium, nimirum per reuerentiæ exhibitioné. Ita diuus Thomas secunda secundę quęst. 62. art. 2. in responsione ad tertium, vbi ait per exhibitionem honoris & reuerentiæ personæ dignitatem reparari posse: quem modum communiter omnes approbant.

Alij per ueniæ petitionem: quod confirmant ex doctrina Christi, quæ habetur apud Matthæum capite 5. vbi ei, qui contumeliosus fuit erga fratrem præcipitur, vt vadat ad conciliandum se cum fratre suo: quæ conciliatio potissimum per veniæ fit petitionem. At vero Dominus Caietanus secunda secundæ quæst. 72. art. 3. ait hunc modum impertinentem esse ad honoris restitutionem.

Sotus, & Ledesma hac de re tria docent. Primum, honoris restitutionem conuenienter per veniæ petitionem fieri posse: cum homo per eam se deprimat, sicuti per contumeliam illatam se extulerat. Secundum, hunc restituendi modum interdum non sufficere, sed opus esse alia compensatione. Tertium, aliquando

non

non esse adhibendum, vt quando persona superior aliā multo inferiorem contumelia affecisset.

Denique in hac disputatione multi sunt errores, qui irrepserunt apud vulgum, de quibus loco citato fuse egimus: vt quod nulla iniuria facta verbis possit remoueri sine verberibus: & iniuriam factam verberibus auferendam esse morte: non licere honorem suum recuperare per uiam iuris, & nonnulla alia huius generis mōstra, cum natura, & ratione, paceque publica pugnantia: quæ ibi reiecimus. Quæ hic occurrerent notanda, de speciebus iniurię, de signis & uerbis, quibus fit iniuria, de regulis seruandis in honore restituendo, ex eodem libro repetenda erunt. Nos in pręsentia quibusdam conclusionibus proxime ad institutum nostrū spectantibus, huic quæstioni satisfaciemus.

Prima conclusio, honoris restitutio, est de necessitate salutis. Conclusio est manifestissima ex ijs, quæ iam disputata sunt, & nulla indiget probatione.

Secunda conclusio, honor non reparatur per vindictam. Est doctrina certissima apud omnes scriptores, contra stultissimam hominum vulgarium opinionem, qui arbitrantur hac potissimum ratione honorem recuperari posse: ac proinde inimicitias fouent, vt per vindictam honorem recuperent, istæ ciuitatum pestes, & domestici hostes. In hac conclusione confirmanda, nolo hic pluribus immorari, vnica sufficiat ratio, quā nobis clarum rationis lumen subministrat. Quoniam, vindicta est contra rationem, & est, ex suo genere, grauissimum peccatum: at repugnat, vt quis peccando honorem, qui honestis actionibus acquiritur, recuperet, non secus ac si quis per calorem vellet frigiditatem producere; igitur. Ex quibus inferre licet, quantum etiam sit detestandus modus ille, quo aliqui vti consueuere, dum eos, a quibus contumelia affecti fuere, ad se accedere volunt, & eos coram aliqua ratione lædunt. Quem maximum abusum multi, qui de monomachia scripserunt, iure optimo, damnant; cum & iniquitatem,

cem, & crudelitatem maximam contineat.

Tertia conclusio, omni contumeliç & iniuriç, etiam verberibus factç satisfieri potest per uerba. Quoniam iniuria, non tam fit rebus, & verbis, quam animo, qui nulla alia meliore ratione manifestari potest, quam uerbis: quod qui non intelligit, is nihil sane cognoscit. Quare modus efficacissimus ad honorem restituendum hic est, si quis dicat se nihil animo despiciendi, aut par uipendendi fecisse, & si hoc animo fecisset, se male & iniuste fecisse: se agressum fuisse eum, quem iniuria affecit aliorum præsidio nixum: se fuisse armis septum, aduersarium uero inermen: se non esse idoneum ad iniuriam cuiquam faciendam, &c.

Quarta conclusio, honoris restitutio optime fit per honoris exhibitionem, ijs nimirum signis, quibus homines honestos & aliqua re excellentes honorare solemus. Doctrina est certissima, quoniam tunc fit optima restitutio, cum idem specie redditur: quare, qui honorem per contumeliam abstulit, conuenienter per honoris exhibitionem eum restituet.

Quincta conclusio, modus restituendi honorem per ueniç petitionem, ex se, ut etiam supra scripsimus, non est ineptus. Intelligenda est hæc conclusio de simplici petitione ueniæ, absque alijs uerbis, seu signis, quæ in venia petenda possunt intercedere. Hanc conclusionem confirmat in primis communior doctorum opinio, ac etiam auctoritas illa euangelica, qua dicitur, vt pœnitenti, hoc est veniam petenti, iniuriam remittamus. Quam ea etiam ratio confirmat, quod sicuti in contumelia est despicatio, & paruipensio, ita in petitione veniç est reuerentia quędam. Et denique, vt Mutius scripsit, si Deo per petitionem ueniæ satisfacimus, cur non etiam homini satis aliquo pacto facere poterimus.

Sexta conclusio, Aliquando modus restituendi honorem per ueniæ petitionem, non esset conueniens. Vt si Prælatus affecisset iniuria laicum, Princeps aliquem

sibi

sibi subditum & pater filium; quia id non posset fieri sine maxima inęqualitate, atque indecoro: & maior esset satisfactio, quam honoris uiolatio. Huc facit lucu lenta diui Augustini auctoritas apud Gratianum, dist. 86. can. Quando, quando, ait Augustinus, necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere uos dura uerba conpellit, si etiam ipsi modum uos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, vt vos a subditis ueniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas: & tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit eos, quos plus iusto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Quare, nec modus restituendi per palinodiam esset adhibendus in restitutione facienda ab aliquo nobili & conspicuo homine, & duce, si quem multo inferiorem contumelia affecisset. Ex quibus colligitur, uenię poetitionem solum habere locum inter æquales, & cum inferior superiorem contumelia affecit, & cum iniuria est leuior.

Septima conclusio, simplex uenię petitio, interdum non esset sufficiens ad honorem instaurandum: Tunc nimirum, quando iniuria esset grauis ob personę affectæ, aut afficientis circumstantias, & propter iniuriæ genus. In hoc enim casu præter ueniæ petitionem, opus esset aliqua alia satisfactione. Quare per solam uenię petitionem non satisfaceret inferior & ignobilis homini superiori & nobili. Hanc conclusionem tradit Sotus lib. 4. de iust. & iure, quæst. 6. art. 2. in fine responsionis ad quinctum, Ledesma, & Couarruuias, & est ex se manifesta.

Octaua conclusio, quando non esset alius congruus modus restituendi honorem, quam per ueniæ petitionem; hic modus adhibendus esset: si vero alia esset via, nemo cogi deberet ad veniam petendam. Prima huius conclusionis pars, est manifesta; quia honoris restitutio est de necessitate salutis: quare, si non posset aliter fieri, hoc modo facienda esset. Altera pars, quod qui

contumeliam fecit, non ſit ad hoc obligandus, ſi alia adſit ratio, patet; quoniam ſatis eſſe debet iniuria affecto, ſi aliquo ſufficienti modo ſibi ſatisfiat.

Nona conclusio, honoris compenſatio poteſt fieri pecunia. Patet ex ijs,quę diximus ſupra de fama: eſtque communis opinio, & ſpeciatim Bartoli,Baldi,Alexandri,Petri Follerij, Didaci, Medinæ & aliorum.Qui tamen reſtituendi modus inter homines nobiles, & aliqua dignitate ornatos non ſolet eſſe in uſu.

Decima concluſio, ut interdum honoris reſtitutio poteſt condonari; ita alias nulla ratione condonanda eſſet. Nec concluſio intelligenda & explicanda eſt, vt concluſio quincta quęſtionis vigeſimę tertię:quoniā eadem eſt honoris & famę hac in re ratio.

Vndecima concluſio, honoris reſtitutio facienda eſt ei,qui fuit iniuria affectus:quo fit,ut non tranſeat ad hęredes,vt percuniarum reſtitutio.Doctrina eſt certiſſima quam communis confirmat auctoritas: ut enim iniuria fit certę perſonæ, ita etiam compenſatio, eidem fieri debet.Quod,ſi qui ſunt,qui aliter ſentire uidentur, intelligendi ſunt, iuxta ſequentem concluſionem.

Duodecima concluſio, quando iniuria facta vni perſonę, redundaret etiam in alios, ijs etiam facienda eſſet reſtitutio. Communis eſt doctrina, & ſpeciatim Gloſſæ cap. Parochianos de ſententia excommunicationis, & cap. contingit, eodem titulo. Poſſet caſus incidere,ſi iniuria facta fuiſſet ſeruo, quæ in dominum, vel filiofamilias,quæ in parentes redundaret. Innititur allata concluſio huic communi regulæ, Quando actio competit pluribus vno remittente, alij remiſiſſe non cenſentur:& idem dicas,cum vni eſt ſatisfactum,& non alijs, quibus ob eandem cauſſam aliquid debetur.

Decimatertia concluſio,non ſolum tenetur reſtituere, qui proxime contumeliam,aut conuicium fecit,ſed etiam,qui cauſſam ſufficientem dederunt,vt contumelia fieret, ſi quid detrimenti inde natum eſt. Quoniam qui cauſſam damni dat damnum dediſſe videtur. Vno

tamen restituente, alij erunt liberi. Verum, qui irrogauit iniuriam, semper actu restituere debet.

Vltima conclusio, actiua honoris restitutio non transit ad hæredes eius, qui iniuriam intulit. Doctrina est communis: quia, vt iniuria fit certæ personæ, ita etiam restitutio a certa fieri debet persona, ut etiam supra diximus, cum de fama restituenda egimus. Vbi etiam adnotauimus regulam in honore restituendo sumendam esse a consuetudine cũ ratione introducta: & ex iudicio boni viri, qui non esset earum rerum ignarus, quę de honore scribuntur. His quæ de honoris restitutione hac disputatione diximus, adde ea, quæ supra quæstione decimaquarta huc pertinentia diximus: plura si quis cupit, nostrum consulat de Pacificatione opus. Restat ergò vt àd argumenta respondeamus.

Ad primum, honori detracto possumus satisfacere per honorem, vel per alium modum, qui inter homines putatur idoneus.

Ad secundum, qua ratione hoc argumentum sit soluendum, satis patet ex dictis.

Ad tertium, in ueniæ petitione intercedit honor & reuerentia, quæ est idonea ad honorem instaurandum: adde etiam, quod illa animi summissio, est aptissima ad sedandam omnem iniuria affecti indignationem, & ad comprimendam elationem eius, qui iniuriosus fuit, atque ad iniuriarum remissionem obtinendam, qua obtenta, omnis tollitur obligatio. Sed de his hactenus. Nunc ad aliam quæstionem huc pertinentem transitum faciamus.

De restitutione facienda ab eo, qui virginem violauit.
Quæstio XXVI.

HVIVS quæstionis tractandæ, hic commodus videtur locus, cum in ea tum de corporis, tum de famæ & honoris restitutione, de quibus hactenus egimus, agatur. De qua disputant canonistæ, c. 1. de adulter. Iuris Cæsarei perti

c. de

c. de raptu virginum, Summistæ verbo, Luxuria, & stuprum. Alexander Alensis parte 2. quest. 167. mem. 4. Antoninus parte 2. titulo 5. cap. 6. §. 1. Sotus lib. 4. de iust. & iure quest. 7. art. 1. in responsione ad secundum, Nauarrus cap. 16. nu. 16. Diuus Thom. 22. quæs. 154. art. 6. ad 3. Quod autem stuprator ad nullam restitutionem teneatur, his rationibus demonstri posset.

Primo, si tenetur, maxime ratione virginalis signaculi & corruptionis virginitatis: at ex hac parte nulla oritur restitutio, quia virgo non habet dominium suorum membrorum, nec videtur qua ratione corruptio ista sarciri queat igitur.

Secundo, virgo potest consentire: quod si consentiat, nulla fiet iniuria, quæ uolenti & scienti nõ fit, per vulgatam, & sæpe citatam regulam, cap. scienti de reg. iuris libro sexto: igitur in hoc saltem casu nihil restituendum erit.

Tertio, si uirgo, gratia exempli, esset pauper, ex corruptione non referret damnum, sed potius maximum emolumentum; quia stuprator tenetur eam in uxorem ducere, aut saltem dotare: igitur; si hinc refert emolumentum, nulla fit ei iniuria.

Quarto, non minus habet virginitatis signaculũ homo incorruptus, quam habeat fœmina: at si femina per violentiam auferret ei suam virginitatem, ad nihil obligaretur: igitur nec homo, si uirginem corrumpat: cum par vtriusque uideatur ratio. Circa hanc difficultatem hę sunt scriptorum sententiæ.

Prima diui Thomæ loco supra citato, qui duo dicit, Primum, stuprator tenetur satisfacere virgini, ni ea ratione, qua eam corrumpit, saltem quia seducit. Exod. 22. olim pręcipiebatur, ut stuprator seductam in uxorem duceret, & dotaret, si pater eam dotare nollet. Alterum, tenetur etiam satisfacere patri cui facit iniuriam, cum sit sub eius cura.

Secunda opinio domini Caietani, qui hęc docet; Primum virginem non esse dominam suorum membro-

rum, ac proinde nec signaculi virginalis: quo fit, ut etiamsi volens stuprata fuerit, violator debeat restitue re. Secundum, teneri æqualiter ad restituendum virgini, & parentibus: quia eodem modo se habent ad signaculi custodiam, quod pater naturę lege custodire debet. Eandem fere doctrinam tradidit Franciscus Victoria, de cuius sentētia loco citato meminit Nauarrus.

At vero Sotus existimat stupratorem ad nihil teneri, nisi ad id quod promisit, quando puella libere consentit: ex honestate autem aliquid dare deberet, si ob corruptionem nubere nequit: neque si sit sub cura parentum tenetur illam dotare: secus tamen dicendū est, si eam inuitam rapuit.

Pro huius quæstionis determinatione, vnicum pono fundamentum, in quo animaduertendum est; stuprum tripliciter contingere posse: primo, cum uirgo consensit, vel quia ipsa procurauit, aut certe ad simplicem hominis suasionem acquieuit: secundo, cum non prouocauit, nec statim consensit, sed precibus maximis, ac etiam importunis mota, se corrumpi passa est: postremo, quando omnino seducta, vel coacta fuit, intercedēte violentia, uel fraude, & mēdacio. Rursus, dupliciter potuit se hac in re genere stuprator, primum nihil promittendo; altero, promittendo aliquid, vt quod eam in vxorem duceret, & c. Item animaduertendum est, duobus modis nos de hac controuersia loqui posse: altero secundū forum conscientiæ; altero vero secundū forum iudiciarium, & secundum leges, tum canonicas, tum ciuiles. Denique, dupliciter potuit hic casus contingere: aut enim ea quę compressa fuit, erat uere uirgo, aut re vera non erat, sed iam fuerat ab alio corrupta, quod tamen nesciebatur. Quod si corruptor uellit se defendere dicendo se inuenisse eam corruptam, id probare deberet: quoniam iura præsumunt uirginem fuisse incorruptam: quo fit, vt virgo non sit obligata ad id probandum: sed satis est ei, si uir contrarium non probet. Ita docet Panormitanus, & est communis opinio

nio doctorum, cap. 1. & 2. de adulterijs. Idem Anton. & Nauarrus locis initio disputationis citatis. Pęnæ autem, quæ violatori imponuntur habentur capite 1. & 2. de adult. Tenetur itaque stuprator, eam quam violauit, dotare, & in uxorem ducere: aut dotare & fustibus cędi. His notatis, has pono conclusiones.

Prima conclusio, si uirgo sciens & volēs fuerit corrupta, violator ad nullā restitutionem erit obligatus. Est hęc conclusio contra opinionem Caietani, quam nostram conclusionem confirmando, his rationibus impugnabimus.

Primo, ex communi scriptorum sententia: Ita Antoninus, Nauarrus, Sotus, & alij. Quod si dicas, Alexandrum Alensem aliter sentire, dicerem eum esse intelligendum de obligatione, ex honestate: aut certe loquitur de satisfactione in foro exteriore.

Secundo, ex regula illa certissima, quia volenti, & & scienti non fit iniuria: ubi uero abest iniuria, nulla ibi oritur ad restituendum obligatio; igitur Quod si dicas, hanc regulam nō esse vniuersaliter veram, sed solū habere locum quando quis cum recto rationis iudicio damnū patitur, quod nō accidit, cū virgo volens se corrumpi sinit, cum pręter rationē scienter & libere detrimentū capiat: id nihil est, cū nemo qui cū ratione agit proprie damnum patiatur. Nec etiam videtur uera illa moderatio, quod dicta regula intelligi debeat in bonis fortunæ, quorum homo plenū habet dominium; quia, licet homo non habeat perfectum membrorum dominium, habet tamen aliquod dominium, ut alias diximus; quo si uelit priuari, non fiet ei iniuria. Quare, & si ea quæ scienter corrūpi voluit, grauiter peccauerit, sicuti & qui sibi membrum mutilari uoluit; tamen, qui uiolat, nihil peccat contra iustitiam. Esto igitur uirginem non posse cum ratione suum corpus exponere, nisi ei, quem in maritum acceperit; tamen stuprator nihil ei restituere, ex iustitia debet.

Tertio, confirmatur hæc conclusio a simili, vt paullo

ante dicebã, de eo qui volens sibi membrum abscindi sine ratione pateretur; cui mutilator nihil restituere deberet: quamuis, tanquam legis transgressor, posset a iudice puniri.

Secunda conclusio, quando virgo per preces, etiam importunas, fuisset corrupta, ad huc corruptor, ex iusti tia, ad nullam restitutionem teneretur. Hęc conclusio videtur esse pręter mentem Nauarri, capite 16. num. 19. ac etiam contra Franciscum Victoriam, quem in hanc sententiam Nauarrus citat: nisi intelligantur in foro exteriori, ut Iosephus ait: nostra autem opinio his rationibus confirmatur.

Primo, ex ipsomet Nauarro, qui cap. 17. num. 16. con tra Caietanum scripsit, preces non caussare inuoluntarium: at vbi non est inuoluntarium, non intercedit iniustitia: & ubi non est iniustitia non est obligatio ad restituendum: igitur. Et re uera, cum preces quantumuis magnæ non tollant liberum consensum, profecto ad restituendum obligare non possunt.

Secundo, Exodi capite 22. & capite 1. & 2. de Adulterijs, is tenetur ad satisfaciendum, ac restituendum uirgini, qui eam cum fraude, aut uiolentia corrupit: atqui in casu nostro, nulla est fraus; ergo neque ulla restitutio.

Denique, a simili de eo qui importunis precibus, absque vlla tamen fraude, & ui ab alio accepisset pecunias, quas ex iustitia non teneretur restituere. Verum tamen est, quod in nostro casu, ex maiore quadam honestate, virginis corruptor, damna inde nata resarcire deberet: vt speciatim Sotus adnotauit. Quia, & si preces maiores non cogant: tamen magnam uim habent ad permouendum virginis animum, quæ alias non consensisset.

Tertia conclusio, qui fraude, doloue, & ui uirginem violauit, tenetur ad restitutioné omnium damnorum, quæ inde per se manarunt; & ad honoris & famæ compensationem.

Pri-

Primo, ex lege illa a Moyse tradita, quæ est legi naturali consentanea, & ex iure canonico, quod eandem naturæ æquitatem spectans, virginis uiolatorem tanquam iniustum hominem ad damnum illatum sarciendum condemnat.

Secundo, ex communissima omnium Doctorum sententia; quos in manifesta re speciatim citare nihil est necesse.

Tertio, uirgo accepit detrimentum maximum contra iustitiam, cum per dolum, aut vim corrupta fuerit: igitur qui huius damni caussam dedit, erit ad restituendum atque satisfaciendum obligatus. Damna resarcirentur, vel ducendo eam in vxorem, uel dotando, vel alia ratione ei satisfaciendo: honor uero, & fama, si quantum fieri posset, manifestaretur eam per dolum, atque vim fuisse corruptam.

Quarta conclusio, non modo in foro exteriori, sed etiam in interiori teneretur restituere, qui eodem modo cognouit eam, quæ pro incorrupta habetur, etiamsi esset corrupta, modo esset occulta, & ex hac uiolentia pro corrupta haberetur, ac damnum infamiamque pateretur. Quod attinet ad forum iudiciale res est manifesta, nisi qui corrupisse præsumitur, corruptam fuisse probaret; vt Panormitanus, Antoninus, & Nauarrus docent. Quod autem teneretur etiam in foro conscientiæ, patet a simili de eo qui crimen occultum in publicum proferret, vnde alius detrimentum in re, & in fama caperet.

Quincta conclusio, stuprator in foro conscientiæ, ante omnem iudicis sententiam, damna resarcire debet, aliquo ex modis dictis; ita, ut ad iudicium boni viri corrupta contenta remaneat. Quare, si ob corruptionem maiori egeret dote, ut conuenienter suo statui nubat, id sarcire tenetur stuprator. Ita Antoninus loco supra citato, & Nauarrus sub nu. 17. dicto tertio.

Sexta conclusio, ad pœnas a legibus impositas, vt sunt, corruptam in vxorem ducere, eam dotare, fustibus

cędi, in monasterio uel carcere detineri, vt cap. 1 & 3. de adulterijs statuitur, ante iudicis sententiam, eiusq; executioné minime tenetur. Ita Nauarrus loco citato: quare non est obligatus ad eam ducendam, vel dotandem nisi sententia lata: quamuis non desint, qui aliter sentiunt.

Septima conclusio, si corrupta ita bene nupsit, ac si integra fuisset corruptor ad nullam damni restitutioné teneretur: quod si postea eius corruptio veniret in lucem, & aliquid damni, vel infamię inde contraheret, vt si maritus aliqua ratione eam male tractaret, uel ab ea discederet, deberet corruptor aliquid restituere, & satisfacere eo modo quo posset. Ita Nauar. num. 17. & 19. & patet ex dictis: aitque esse Victoriæ sententiam.

Octaua conclusio, stuprator debet etiam satisfacere pro signaculi virginalis corruptione. Hæc conclusio, ijsdem confirmatur rationibus, quibus supra aliquid restituendum esse diximus, pro membro mutilato: cum uirginalis integritas re vera sit pecunia æstimabilis: non secus ac facies integra nulla cicatrice deformata.

Nona conclusio, qui virginem deflorauit tenetur ad satisfaciendum parétibus, quorum sub cura virgo erat constituta, ratione iniuriæ illatæ. Doctrina est diui Thomæ loco supra citato, quam alij sequuntur: & ea confirmatur ratione, quia ob talem uiolentiam fit etiam iniuria ijs, qui virginis curam habent; cum ergo ad eos permanauerit iniuria, eis quoque satisfaciendum erit: Eccles. cap. 7. 26. & 42.

Decima conclusio, qui uirginem uiolauit, si promisit se eam in uxorem ducturum, aut dotem daturum, tenetur stare promissis, idque in utroque foro, & multo magis si intercessit iuramentum. Nam pacta, etiam nuda, sunt seruanda, cap. primo, & cap. qualiter de pactis, & can. quacunque arte 22. quæst. 5. Verum si essent omnino disparis conditionis, satis esset dotare. Quod si nollet nubere, si esset pauper, deberet aliquid ei subministrare. Sed de hac re plura qui cupit legat Summistas

in verbo stuprum, & luxuria: & Doctores cap. 1. & 2. de adulter. Atque per has conclusiones, ni fallimur, plene huic quæstioni est satisfactum. Restat, ut argumenta diluamus.

Ad primum, facile soluitur hoc argumentum ex ijs, quę supra diximus de restitutione a mutilatore & homicida facienda: licet enim virgo nō sit domina sui signaculi: tamen, si quę uiolenter hac in parte lędatur, ei restituendū est, cum habeat sui corporis usum, ut plenius supra scripsimus.

Ad secundum, concedimus hoc argumentum; probat enim conclusionem primam superius positam.

Ad tertium, non propterea, quod virgo potest ex pęna violatori impolita, ex corruptione utilitatem referre, sequitur quod ei non fiat iniuria ratione honoris & famæ violatæ, quam sicuti & damna inde nascentia resarcire violator debet.

Ad quartum, non est eadem prorsus ratio de puella, & de puero, seu iuuene incorrupto. Nam, ut dominus Caietanus ait, stuprum proprie dicitur de muliere: licet utrisque sit communis uirginitatis uirtus. Quare vir ad huc virgo extra matrimonium primo cōcubens, non dicitur peccare peccato stupri; quia non additur specialis deformitas, sicut in muliere. Atque de hac difficultate, & de restitutione facienda ratione bonorum fortunæ, quæ in aliorum animis possidemus hactenus. Deinceps materiam aggrediemur amplissimam de rebus externis: Ac primum quidem de ijs quæ furto accipiuntur: postea de ijs quæ quasi furto: ad hæc, de ijs quorum occupatio lege humana videtur esse probita: præterea de ijs, quæ ex ex aliqua conditione siue caussa honesta, vel turpi acquiruntur: iam vero de ijs, quę ex iniquo contractu habentur: ac postremo de eorum restitutione, quæ in bello iniusto occupantur. Atque hęc sunt pręcipua capita quæ quod attinet ad rei restituendæ circumstantiam, de qua priore loco agemus, a nobis explicanda sunt.

De restitutione bonorum externorum, an satis sit id solum restituere, quod acceptum fuit, seu quid quantumque restituendum sit. Quæst. XXVII.

EXPLICATA doctrina de restitutione facienda in bonis animi, corporis, & fortunæ, quæ in aliorum animis possidemus: nunc, iuxta distinctionem superius positam, sequitur, vt de restitutione bonorum fortunæ, quæ opibus & diuitijs continentur, agamus: Et cum certum sit huius modi bona restituenda esse, si iniuste occupata, & retenta fuerint; propterea, omissa quæstione, an sub restitutionem cadant, ad eam huius tractationis partem accedemus, qua quid restituendum sit, varijs disputationibus demonstrandum erit: primum quidem vniuerse, postea speciatim: Quod autem non sit satis id ipsum solum restituere, quod acceptum fuit, his rationibus persuaderi potest.

Primo auctoritate diuinæ legis. Exodi c.22. vbi statutum erat, vt qui furatus fuisset ouem vnam, deberet restituere quattuor: non igitur sufficit id tantum restituere, quod acceptum fuit: quod si dicas, hanc legem non obligare eos, qui sub noua sunt lege; id nihil esse videtur, cum præceptum de restitutione facienda sit de lege naturę, quæ omnes eodem modo obligat. Huc accedit, quod de Zachæo apud diuum Lucam c.19. legimus, reddidisse quadruplum, si quem fraudasset. Et leges humanæ a fure aliquid amplius, quam quod furatus est, reposcunt.

Secundo auctoritate Domini, qui, vt est apud Matthæum c.25. ei qui talento accepto, nihil lucratus fuerat, dixit, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & ueniens ego recepissem utique, quod meum est, cum vsura. Cum ergo Dominus

nus plus repetat, quam dedit, homo etiam, Deum imitando, poterit supra id quod dedit aliquid repetere.

Tertio, leges ciuiles statuunt, vt raptor non possit repetere sumptus factos in re, quam rapuit, l. ex argento. ff. de condit. furt. & alijs in locis: quo fit, vt qui iniuste rem aliquam occupauit, aliquid amplius restituat, quã accepit: non igitur satis erit id tantum restituere, quod ablatum fuit. Vt omittam, quod a raptore aliquid exigitur pro illata iniuria.

Quarto, qui mutuo, aut commodato accepit, si suo tempore non restituat, & dominus aliquid detrimenti inde capiat, vel lucrum ei cesset, illud restituere debet, & idem dicas de fure post rem acceptam; non igitur satis est illud idem restituere, quod acceptum fuit, vt cõmuniter docetur, & speciatim a diuo Thoma 2.2. quęst. 62. art. 3.

In hac disputatione, quod attinet ad rem ipsam simpliciter propositam, nulla est inter scriptores dissensio; omnes enim fatentur, illud tantum esse restituendum, quod acceptum fuit: sed quantum ad ea, quę rem acceptam consequuntur, vt sunt damna & rei fructus, non eadem est omnium sententia, ut postea plane docebitur, si prius quædam notanda proposuero.

Primum, in hac simpliciter proposita quæstione, plures continentur dubitationes: prima; qua inuestigatur quid sit restituendum: secunda, quantum & quotuplum an scilicet alterum tantum, & illud vnum, quod acceptum fuit; seu in eadem quantitate & numero: tertia, an in eadem qualitate: postrema, an id quod non fuit acceptum.

Secundum, in rei acceptione, retentioneque, unde sequitur restituendi obligatio, duo considerari possunt: alterum est ipsa inæqualitas, per quam plus habet, qui accepit, quam is, a quo acceptum fuit: quæ inæqualitas esse potest sine iniustitia, vt patet in re minimi valoris, & in ea re quæ mutuo, vel commodato accepta fuit. Alterum est modus accipiendi, qui si per vim, do

lum ve sit, semper habet annexam culpam, siue res auferatur, siue non: ut si quis conetur furari, & tamen non succedat, vanusque sit eius conatus. Hic, est quidem culpa, sed non inæqualitas; in acceptione uero mutui est inæqualitas, sed non culpa. Hæc duo diuersa ratione per iustitiam corriguntur: inęqualitas quidem per rei ablatæ restitutionem: culpa vero per pœnę perpessionem, solutionemque. Quare, in restitutione duo spectantur, id quod reddendum est, & pœna a legibus imposita ob culpam commissam luenda.

Rursus, in iniusta acceptione duo consideràres, rem ipsam primo acceptam, & id, quod acceptionem consequitur, vt sunt damnum emergens, & lucrum cessans: vel apertius, in furto tria spectantur: rei acceptæ substantia, fructus qui rem consequuntur, vel ex re percipiuntur, & damna quę ob furtum dominus capere potest. Lucrum cessans dicitur, cum dominus re sua priuatus, non id lucratur, quod dum rem possidebat, lucrabatur. Damnum emergens, quando dominus, re sua spoliatus, cogitur aliquid impensæ facere, quod non fecisset, si rem suam habuisset. Vt ecce, habebat aliquis equum meritorium, quem alius furto sustulit: cessat domino lucrum, quia non potest eum locare: quod si fortasse, cum non potuerit habere sui equi usum, coactus fuit aliquid impendere, vt gratia exempli, si conduxisset equum ad iter faciendum, id dicitur damnum emergens.

Tertium, in quo distingueadum est de fructibus; fructus ex re furto sublata percepti, sunt in duplici differentia: alij sunt naturales, qui præcipue naturæ ui, licet non sine industria humana, ex re fructifera capiuntur; vt ex terra, arboribus, & animalibus: alij non naturales, qui potissimum ex humana diligentia ex re alias non fructuosa capiuntur; vt si quis accepta furto pecunia aliquid sua industria lucratus esset.

Vbi illud etiam animaduertendum est, an dominus ex re sua fructus percepisset, nec ne. Et quoniam, vel

ad fructus capiendos, vel ad rem ipsam conseruandam interdum expensę fieri solent, de his etiam distinguendum est: expensarum aliæ sunt necessariæ, aliæ non necessariæ, vt quæ ad solam delectationem, & ad maiorē commoditatem ex re percipiendam fiunt: & an ipsas dominus fecisset, & an maiores, vel minores. His ita adnotatis, circa ea quæ hac quæstione explicaturi sumus, si de fructibus restituendis loquamur, duæ sunt scriptorum sententiæ.

Prima eorum, qui de fructibus non naturalibus loquentes, de naturalibus enim nulla est dubitatio, dicunt, restituendos esse, si extent: si sunt consumpti, id restituendum est, in quo fur factus fuerit locupletior, etiam si dominus hos fructus non percepisset, & nulla deducta mercede. Si vero non extent, & locupletior factus non fuerit, nihil restituendum est. Debentur autem hi fructus domino, non ratione damni illati, vel ratione iniquæ acceptionis; sed quia ex eius re percepti fuere. Ita Didacus Couarruuias in sua relectione par.2.§ 6.num.4. Idem docet, loquendo de foro exteriore Bard. ratio, §.1.ff. de action. empt. ex cuius doctrina, suam infert sententiam Didacus.

Secunda sententia Nauarri c.17.num.25. qui contrarium docet, fructus nimirum per industriam ex re non fructifera perceptos non esse restituendos. Idem prius tradidit Gabriel 4.sent.dist.15.q.2.art.3.dubio. 1. conclusione 3. Petr. Aquil. 4.sent.dist.15. q. 2. De fructibus vero, quos dominus ex priuata industria, vel communi hominum cura percepisset, est communis opinio restituendos esse, idque in vtroque foro. Quamuis Decius l. generaliter.ff. de reg. iur. contra communem, nolit attendendam esse singularem hominis diligentiam.

Quod attinet ad expensas: in foro interno expensæ necessariæ & utiles deducendæ sunt; inutiles non ita. At uero in foro externo, in pęnam criminis, non deducuntur: quo fit, vt non teneatur restiture rem redditam melio-

meliorem, non subtractis expensis: vt planius in ipsis conclusionibus dicetur.

Prima conclusio, illud ipsum, & nihil aliud restituendum est, quod acceptum fuit, vel debitum est. Doctrina est communis & certissima; & patet ex l. cum a quo, & l. manifesti, C. de solut. & auth. Hoc nisi, eo. tit. Quare, cum restitutio, sit actus virtutis, quo resarcitur æqualitas, satis profecto erit illud ipsum simpliciter restituere, quod ablatum, vel acceptum fuit. Quæ doctrina vniuerse intelligitur de quacunque acceptione, iusta, & iniusta.

Secunda conclusio, si ex tali restitutione fur occultus manifestaretur, aut inde aliquod maximum incommodum sequeretur, satis esset rei æstimationem restituere. Patet hæc conclusio ex ijs quæ supra scripsimus & rursus manifestior fiet ex alijs disputationibus, quas postea instituemus: quam doctrinam, præter alios, tradidit Nauar. in suo Enchir. c. 17. nu. 25.

Tertia conclusio, ex ui restitutionis, cum non potest eadem prorsus res restitui, tantum restituendum est, quantum est debitum, si damni illati quantitas sit certa: si vero sit incerta, quantum vir bonus omnibus rei circunstantijs consideratis, iudicabit, l. certi condictio. ff. de rebus creditis.

Quarta conclusio, ex vi restitutionis, non solum simplum, quod acceptum fuit, sed etiam id quod ex iniusta acceptione & retentione sequitur damni emergentis, & lucri cessantis. Doctrina est certissima & communissima; & ex eo patet, quod, cum per iniustam rei acceptionem, seu retentionem illatum sit hoc damnum, & inæqualitas introducta, profecto per restitutionem sarcienda erit.

Sed peteres, cur diuus Thomas scriptum reliquit, satis esse restituere simplum, quod ablatum fuerat? dicerem, non negasse ista restituenda esse, cum hæc etiam nomine simpli contineatur: præterea, sanctus Doctor tradidit doctrinam uniuerse, & simpliciter loquendo,

de

de restitutione rei per se ablatæ, ad quam non semper sequitur damnum emergens, uel lucrum cessans quæ, cum sequuntur, unum quid efficiunt cum re accepta: nam qui equum meritorium furatur, etiam lucrum cessans quodammodo furatur, & damni emergentis est caussa. Quare, qui equum furatus est, tenetur soluere pretium, quo dominus sibi alium conduxit, & lucrum, quod ei cessauit. Similiter qui furatus est frumentum, & dominus coactus fuit maiore pretio emere, quàm ualeret, tempore furti, tenetur hoc damnum resarcire: similiter, si uenditurus erat eo tempore, quo pluris ualiturum erat.

Quincta conclusio, possessor malę fidei, tenetur restituere omnes fructus naturales, quos dominus sua industria ex re fructifera percepisset; idque in utroque foro. Doctrina est communis, ut Decius & Couarrunias locis citatis testantur; de qua lege Canonistas cap. Grauis, de rest. spoliat. Et ratio est in promptu, quia talis restitutio pertinet ad damni dati satisfactionem: quia si non fuisset iniuste occupata, dominus talem vtilitatem ex ea percepisset.

Sexta conclusio, fructus ex sola industria, ex re non fructifera percepti, quos dominus non percepisset, non sunt restituendi in foro conscientię: sustineo hanc conclusionem contra opinionem Didaci.

Primo, quia nemo plus tenetur restituere, quam accepit, vt est supra probatum: at si fur hos fructus reddere deberet, teneretur aliquid amplius restituere; igitur.

Secundo rei dominus ex furto nihil lucrari debet, sed solum quod suum erat, aut esse poterat, seu debebat, recuperare: at si hi fructus ei restituendi essent, aliquid lucraretur: igitur. Quare ut dominus nihil debet ex furto detrimēti capere, ita nec aliquid emolumēti, persistendo in iure naturæ, & in pura restitutione. Quo fit, vt si fur dedisset ad usuram surreptam pecuniam, nō teneatur vsuram domino restituere, quam si dominus

acci-

acciperet, in idem laberetur vitium, c. Plerique, & c. si, 14. q. 3. quod ante Nauarrum loc. cit. docuit Scotus, in 4. sent. dist. 15. q. 2. non tamen peccaret, si acciperet ratione damni emergentis & interesse.

Septima conclusio, iniustus rei possessor in foro conscientię potest repetere expensas necessarias & utiles factas pro rei conseruatione, & melioratione.

Primo probatur ex cap. Ad nostram, de iureiurand. addita scriptorum auctoritate. Ita Medina q. 6. & Didacus loco supra citato, vt alios omittam in re satis manifesta scriptores.

Secundo, quoniam si huiusmodi expensæ, quibus res melior reddita fuit, non deducerentur, dominus locupletior fieret, cum alterius iactura: quod est ab omni ratione alienum: adde etiam quod fur teneretur plus restituere, quam accepit. Verum, si dominus rem suam, vel conseruasset, vel meliorem minori expensa reddidisset id minus deducendum esset. Verbi gratia, si fur meliorem reddidisset equum uiginti nummis aureis, & dominus decem, ista decem tantum essent deducenda.

Ex quibus inferre licet, furem etiam expensas ad delectationem factas retinere posse, si res in eodem statu, quo accepta fuit, domino restitui potest. Quare, si quis in agro alieno ædificasset, posset per materiæ remotionem, suæ vtilitati consulere, vt Didacus præter alios, adnotauit. Denique, ea regula in foro conscientiæ animaduertenda est, ut dominus rem suam recuperet sinę lucro, & fur restituat id solum quod accepit, uel id, in quo damnum attulit.

Octaua conclusio, in foro externo, non liceret furi repetere quoscunque fructus ex re iniuste possessa perceptos. l. ex argento, ff. de cond. furt. & est communior doctrina. Verum, quod attinet ad expensas necessarias, sunt qui dicant eas repeti posse, ut Martinus, & Molin. lege Couar. loco citato: quas retinere potest, per deductionem materię, modo res integra in suo statu seruetur. l. domum, C. de rei vend.

Nona conclusio, quidquid ultra rem acceptam & damnum emergens, lucrumque cessans restituitur, id omne restituendum est ratione, seu vi legis, per modum pœnæ: quæ restitutio non est facienda ex obligatione, nisi post latam sententiam, vt planius alio dicetur loco. Nunc restat, vt ad allata respondeamus argumenta.

Ad primum, lex illa erat pęnalis, quæ modo non obligat. Zachæus vero ad maiorem suæ salutis certitudinem aliquid plus, quam acceperat, restituit: quod ad consilium, non ad præceptum pertinet: & leges humanæ, si quid repetunt, ratione pęnæ repetunt.

Ad secundum, illa Domini auctoritas nihil probat, primum, quia opera nostra non debent esse in omnibus similia Dei operibus: neque enim si Deus aliquam pœnam libere condonaret, idem humanus iudex facere debet. Deinde qui huius loci sententiam percipiet, nihil contra nos concludere facile intelliget. Domini ergo sententia intelligenda est iuxta illius serui nequam falsam opinionem: existimabat enim Dominum ex odio repetere, quod seminauerat, idest bona opera ex eius semine, idest ex gratia in nobis nascentia. Si ergo, inquit Dominus, si tu sciebas me colligere ex eo loco, in quo non semino, quod tamen falsum est, quanto magis te laborasse oportuit.

Ad tertium, iam patet ex dictis: leges enim aliquid amplius reposcunt ratione pœnæ, ad puniendam culpam.

Ad quartum, damnum emergens, & lucrum cessans, vt supra dicebamus, censentur ablata, & ideo sunt restituenda: de qua re paullo inferius copiosius dicetur. Atque hęc de hac quæstione: quæ ex sequenti disputatione adhuc multo manifestior fiet.

De

De restitutione rei apud iniustum possessorem corrupta, aut deteriorata. Quæst. XXVIII.

IDEO hanc questionem a superiore seiunximus, quamuis cum ea affinitatem habeat, quod precipuam quandam difficultatem continere uideatur. Vt autem quod in præsentia explicandum est, melius percipi queat, talem pono facti speciem.

Quidam furatus est frumētum, quod apud ipsum perijt, aut certe deterius factum est: queritur quo pacto in hoc casu facienda sit restitutio.

Vbi etiam enodabitur difficultas quæ potest oriri circa pretij mutationē, si pretium sit diminutum, uel auctū, an debeat restitui pro ratione pretij, currētis, eo tēpore, quo res accepta fuit, aut quando restituitur, aut certe secundum illud maius pretium, quod res ablata habuit in eo tempore, quo retenta fuit, vt si in medio tempore pluris valuisset, quam in principio & fine. Dubitari ergo potest, secundum quem valorem restituenda sit. In hac questione explicanda, primum quid auctores senserint docebo: de qua fuerunt hæ scriptorum sententiæ.

Prima, cuius meminit Medina cod. de rebus rest. quæst. sexta, quæ duobus explicatur dictis.

Primum, furem esse obligatum ad restituendam rem furtiuam, aut eius æstimationem secundum meliorem statum, seu meliorem valorem, quem habuit a temporē commisi furti.

Secundum, id uerū esse, nisi moram purgauerit, hoc est, nisi rem debitam suo domino prius obtulerit, per quem stetit, quo minus rem suam habuerit: quia tunc talem restituere debet, qualem habuit, etiamsi postea deterior fiat.

Secunda sententia apud eundem, quæ his explicatur dictis. Primum, si res erat usu consumptibilis, & domi-

nus

nus cito eam venditurus erat, reddendum est tantum, quanti valebat tempore furti; si uero cõseruaturus erat, tantum, quanti ualuisset eo tempore, quo uendidisset: Quia hac ratione tantum redditur, quantum dominus ex re illa utilitatis cepisset: iuxta doctrinam, quæ habetur in cap. Nauiganti de vsuris.

Secundum, si res furtiua non sit usu consumptibilis, & in manu furis melior est facta, tenetur talem reddere, qualis est, deductis laboribus & expensis, si quas fecit: quas in omni casu deducendas esse putat Gloss. in cap. Ad nostram, de iureiur.

Tertium, si res in potestate furis deteriorata est, eo modo, quo in potestate domini deterior facta esset, fur non tenetur ratione huius defectus, sed satis est, si restituat quantum dominus lucratus fuisset, si rem suam habuisset: secus vero si res facta fuisset deterior ob furis culpam: tunc enim aliter domino satisfaciẽdum esset. Exemplum sumi potest ex mercibus, inuito domino, in mare proiectis, aut in aliam nauim iniectis, tempestate oborta, quæ alias periissent; de quo scribunt Doctores ff. ad l. Rhodiam de iact. l. 1.

Hanc sententiam tenet Couarruuias, in sua relect. in reg. peccatum, par. 2. §. 6. num. 1. qui hoc defendit contra communem opinionem, quam sequitur Nauarrus in Enchir. c. 17. num. 10. & 26. Ancar. in regul. peccatũ, opposit. quincta, Sylu. ver. furtum, q. 16. & Paludan. 4. sent. dist. 15. q. 2. art. 1. conclusione quincta. Cuius opinionis fundamentum illud est, quia fur fuit in mora, in qua qui est, est malæ fidei possessor, l. in re furtiua. ff. de condict. furtiua, l. vlt. C. eodem tit. Moroso autem imputatur rei interitus, etiam absque eius culpa contingens l. Nemo, §. vlt. & leg. si seruum. ff. de verbo. obliga. Adde etiam, quod fur tenebatur restituere, quando res non erat facta deterior: quod si distulit, sua culpa factũ est ut deterior euaserit: debet igitur ob hanc culpam in integram restituere.

Postrema opinio Medinæ, loco supra citato, qui cum dispu-

disputasset rem in vtramque partem, tandem statuit, priorem sententiam esse iustiorem de rigore iuris & cõscientiæ: sed secundam esse æquiorem: at uero Couarruuias censet hanc esse & æquiorem & iustiorem. Nos, vno vel altero notato, quid iustius existimemus, quibusdam conclusionibus aperiemus.

Primum notandum, res quæ fuit accepta uarijs modis considerari potest, ut dicebamus, ex quorum consideratione rei perplexæ pendet explicatio: uel enim perseuerat in eodem statu prorsus, in quo fuit accepta, & quantum ad conditionem, & quantum ad ęstimationem: uel quantum ad utrunque est immutata, quia deterior facta est, & pretium diminutum: vel deniq; omnino perijt, aut consumpta est. Si perijt, vel deteriorata est, aut furis culpa, aut non: & rursus, aut in potestate domini vitiata fuisset, aut perijsset si eam apud se habuisset, aut non. Atque ex hac distinctione, & ex ea quã supra attulimus in explicatione secundæ sententiæ huius quęstionis pendet elucidatio.

Secundum notandum, tota difficultas in duobus posita esse videtur: quorum primum est, quid sit dicendum, si dominus rem conseruasset, usque ad illud tempus, quo sine culpa perijt apud iniustum possessorem, quo etiam tempore apud dominum, qui eam conseruaturus erat, perijsset; alterum, an, cum facienda est restitutio, rei æstimatio fieri debeat iuxta illud tempus, in quo pluris ualebat. His ita positis, de hac quęstione ita statuo.

Prima conclusio, prima opinio, tanquam diminuta, non plene satisfacit difficultati propositę.

Primum, quia, ut ait Medina, fortasse res in manu domini non peruenisset ad tantum valorem, ad quẽ peruenit, dum fuit in manu furis.

Deinde, quia etiam in manu domini potuit fieri ęque, aut magis deterior, quam facta sit in manu iniusti possessoris. Quare, sine ulla distinctione affirmare restitutionem debere fieri secundum maiorem ęstimationem,

nem,quam habuit a tempore furti,est dicere, furem esse obligatum ad restituendum cum lucro domini,quod est falsum.

Secunda conclusio,si res iniuste accepta extet, siue omnino immutata,siue melior,siue deterior facta sit, dominus habet ius in rem illam,ac proinde, si eam repetat, fur tenetur restituere. Doctrina est certissima: quia non est translatum dominium.Hic nihil de fructibus,nihil de expensis factis dicimus.

Tertia conclusio,si res extat,sed vitiata,aut pretio diminuta,& fur non fuit in caussa cur vitiata sit, si apud dominum, qui erat eam conseruaturus eadem detrimenta passa esset, iniustus possessor satisfacit, si rem vitiatam vt est,reddat. Tunc enim ex tali acceptione nihil detrimenti dominus capit.

Quarta conclusio,si ex furis culpa res est facta deterior,aut pretio diminuta, quę detrimenta non cepisset apud dominum,etiamsi ad illud vsque tempus seruaturus erat,tenetur,vel rem ipsam reddere,& defectum valoris supplere,aut rei æstimationem soluere,secundum eum valorem, quem apud dominum tunc habuisset. His enim modis sufficienter instauratur æqualitas.

Quincta conclusio,quando dominus non erat conseruaturus, si res facta est deterior,aut in pretio diminuta, etiam sine furis culpa,tenetur eodem modo, iam dicto restituere. Est communis doctrina, de qua lege Dida cum parte & §. citatis, num. 1. estque vera in vtroque foro:Quam ea confirmat ratio, quia & si absque culpa furis vitiata sit,tamen non ita fortasse penes dominum qui eam vendidisset,vel a corruptela seruasset. Idem dicas, si perijsset: tunc enim teneretur reddere æstimationem.

Sexta conclusio,si dominus erat conseruaturus, & apud eum eodem modo res perijsset,quo apud furem sine culpa perijt, fur nihil tenetur restituere. Quoniam ex tali acceptione nihil damni passus est dominus: omitto hic fructus,& alia de quibus supra diximus. At

vero, si venditurus erat, siue cum culpa, siue sine culpæ perierit, tenetur reddere æstimationem secundum valorem, quem res habuisset, si dominus eam vendidisset.

Septima conclusio, quando dominus venditurus non erat, & rei valor furis culpa non est diminutus, in restitutione non est attendenda æstimatio secundum tempus, quo plus res valuit. Ita docet Sylu. ver. furt q. 16. Couar. loc. cit. num. 2. & Medina id æquum esse affirmat. Quare, æstimatio attendenda erit secundum præsentem valorem eius temporis, quo restituitur. Quoniam nihil damni patitur dominus, cum non esset rem suam alienaturus, & apud ipsum idem detrimentum res erat captura.

Octaua conclusio, si res a fure sublata erat apud dominum vendibilis, ita vt eo tempore, quo pluris valuit, vendita fuisset, rei æstimatio fieri debet secundum hoc tempus. Patet hæc conclusio ex dictis, & ex auctoritatibus citatis. Atque his conclusionibus huic sit satisfactum dubitationi satis implicatę: quæ adhuc elucidabitur magis, quasdam diluendo rationes, quæ contra dicta afferri possunt.

Primo, si non debet attendi tempus, in quo res pluris valebat, moroso non imputaretur rei detrimentum, & domini damnum, quod est contra multas leges & communem opinionem: igitur non est verum, quod nos penultima conclusione diximus. Adde etiam, quod fur ex mora referret commodum. Respondetur, hoc argumento solum probari id, quod vltima conclusione diximus non autem cófutari quod in penultima affirmauimus. Quia, si dominus rem erat conseruaturus, nullum damnum patitur, ex restitutionis mora, quod a fure sarciendum sit.

Secundo, rei æstimatio fieri debet secundum valorem conuenientem tempori, quo restitui debet, non tempori, quo debitor soluere vult: sed fur soluere, seu restituere debebat, etiam quando pluris valebat; igitur maior valor attendendus est. Respondetur, non esse atten-

attendendum, tempus maioris valoris, quia eo tempore dominus non erat ex re sua maiorem capturus vtilitatem.

Tertio, quid dicendum est ad leges humanas, quæ videntur iustissimę, & aliter decernunt, quam nos docemus, l. in re furtiua. ff. de condic. furt. Respondeo, primum leges humanas non solum spectare damnum, sed etiam culpam, quam puniunt per pęnam: deinde intelligendæ sunt eo in casu, cum dominus venditurus erat: postremo, si de nostro casu loquantur, communis opinio in his legibus fundata, non est omnino certa, vt est videre apud Franciscum a Ripa in l. quod te mihi, ff. si certum petatur, num. 28. pro qua sententia facit tex. in l. Item si cum exceptione, §. sed & si quis, versic. sed, & si non culpa, ff. quod metus caus. cui, vt ait Didacus, non satis qui contra sentiunt, respondere possunt: & tex. l. si plures. §. vltimo. ff. deposit. cui sententiæ Martinus, Fulgosius, Iason, Decius, & Curtius Iunior in dicta lege, quod te mihi, & Didacus loco citato subscribunt, sed hac de re videant iurisperiti.

Quarto, tantum aliquis restituere debet, quantum accepit, vt patet ex dictis: ergo si quis accepisset rem valentem centum, etiamsi postea eius pretium diminutum fuit, tantundem restituere debet: non igitur præsens pretium, sed illud, quo æstimabatur eo tempore, quo accepta fuit, in restitutione spectandum erit. Respondetur, tantum esse restituendum, quantum est damnum illatum: & quia, si dominus conseruaturus erat vsque ad tempus, quo minus res accepta valebat, non patitur maius damnum, quam sit præsens rei pretium, ideo satisfit, licet non restituatur ratione valoris, eius temporis, quo res accepta fuit.

An quod non fuit acceptum sit restituendum, uel de restitutione facienda ab eo, qui impediuit ne quis aliquod bonum gratuitum consequeretur.
Quæst. XXIX.

DOCVIMVS vniuerse quid, quantum, & quale sit restituendum: sed quoniam nō solum id, quod quis habebat, sed etiam quod non habebat, se tamē habiturum separabat, idque agebat, ut haberet, auferri potest, ideo hanc magni momenti difficultatem priuatim tractandam proposuimus, cum ex ea multorum casuum pendeat resolutio. Quæ sub hoc etiam titulo tractari potest, an aliquis sit obligatus id restituere, quod non accepit: cum is, qui quempiam impedit, ne aliquod consequatur bonum, interdum nihil accipiat; aut nihil accipere dicatur is, qui id occupat, quod nō dum alius erat adeptus. Cum ergo sancitum sit, id restituendum esse, quod fuit acceptum, & quod dominus iure possidebat, aut iure ei debebatur, uideamus modo, an etiam id, quod non habebatur, nec certo quodam iure debebatur: & quod id restitui non debeat, his probatur rationibus.

Primo, restituere est rem in suo loco iterum stature, & apud eum, in cuius potestate fuit ponere; quo fit, ut quæ nunquam re ipsa possessa fuere, non sint restitutionis capacia, cum restitutio supponat rei statum, apud eum cui facienda est.

Secundo, is tenetur restituere, qui iniuste agendo impedit vel uiolat iustitiam: at qui est in caussa, ne quis bonum aliquod ex liberalitate dandum consequatur non impedit iustitiam, sed solum caritatis seu liberalitatis actum; igitur, esto possit peccare, tamen non erit ad restitutionem obligatus.

Tertio, si qui impedit, ne aliquis cōsequatur bonū ex liberalitate dandum, maxime, quia malo animo id efficit: atqui malus animus non inducit in iustitiā, sed solū

est

est contra caritatem: igitur. Minor propositio manifestatur his exemplis: Si carnifex suspenderet furem iniquo animo, non ut exequeretur iustitiam, sed ut uindicaret iniuriam a fure acceptam, peccaret quidem mortaliter, sed non teneretur restituere: similiter, si miles in bello iusto, animo priuatæ vindictæ, hostem occideret: item si heres iniquo animo priuaret aliquem eo munere, quod defunctus solebat cuipiam singulis annis elargiri.

Quarto, si quod in spe habetur, restituendum est, maxime ob eam rationem, qua nititur diuus Thomas, 2.2. quæst. 62. art. 2. in responsione ad quinctum argumentum; quia, quod parum distat, nihil distare uidetur, ut Aristoteles secundo Physico, tex. 56. scriptum reliquit: quoniam, si hoc esset verum, sequeretur, quod qui parum abfuit, quin furaretur, restituere deberet: quod est expresse falsum. Atque dubitandi caussa has rationes attulisse sufficiat.

Quod ad opiniones attinet, duæ sunt hac in parte Doctorum sententiæ: altera antiquorum, vt Scoti 4. sent. dist. 15. quæst. 2. Richar. ibi art 5. quæst. 4. Ioannis Maioris Caietani Sylu. uerb. rest. 3 quæst. 10. & sine dubio diui Thomæ, qui affirmare uidentur, cũ qui ex malo animo impedit bonum consequendum, esse obligatum ad restitutionem. Huic sententiæ fauere uidetur lex 2. §. Idem Labeo 3. de aqua pluuiali arcenda, qui locus a nonnullis male citatur, ubi dicitur, Quod qui non animo nocendi aquæductum, qui per suum fundum ad vicini possessionem deriuatur, rupit, nõ est iniurius: si vero faciat, non ut sibi prosit, sed vt obsit uicino iniurius est illi. En igitur, ut animus malus aliquid operatur ad faciendum actum iniustum.

Secunda sententia modernorũ; ut Soti, lib. 4. de iust. & Iur. quæst. 6. art. 3. in respõs. ad sextum, Nauarri in Enchir. cap. 17. num. 70. ubi ait, Sotum non sibi constare, dum sanctum Doctorem defendere conatur; & quorundam aliorum recentiorum. Quod autem attinet ad le-

gem citatam, eam uarie explicare conantur.

Ait ergo Sotus legem illam esse male a citatis auctoribus intellectam, & videndum esse, non quo animo, sed quo iure aliquid fiat, cum est de restitutione sermo: quo modo intelligenda est lex citata. Nam qui, non ut sibi prosit, aquam vicini arcet, uidetur non facere iure proprio, & ideo potest in foro exteriori prohiberi. Si autem vult fundamentum muri ducere super aquæ ductum, qui per suum transit fundum, & ob id venæ aquas rupit, licet ex odio faciat, non iustitiam, sed caritatem uiolat. Sed hæc explicatio quibusdam minime placet. Nam, si ille habet ius in fundum, impertinens est, quod bono vel malo animo faciat, secundum hanc opinionem.

At uero Adrianus in fine quæst. citatæ, ait, istum qui venas rupit, nullam facere iniuriam: sed ideo a legibus puniri, quod ex odio faciat. Verum cum leges, non tam spectent interiorem animum, quam exteriorem actum contra iustitiam factum, ista etiam responsio non uidetur bona.

Nauarrus autem loco ante citato, ait ex hac lege non concludi quicquam pro contraria opinione, quia argumentum a contrio sensu, licet uim habere soleat: non tamen in ijs, in quibus contrarium exprimitur in iure: at communiter intentio mala non obligat sine opere iniurioso. Neque Vlpianus eo loco uoluit inducere obligationem restituendi propter malum animum, sed ut clarius confirmaret dictum Marcelli, negantis eo casu actionem de dolo dari, dixit non esse locum actioni de dolo, sine malo animo, sine quo dolus non datur. Neque est alia lex quæ ponderet bonum, vel malum animum, sed quod iure uel iniuria fit. Atq; hæc de opinionibus; nunc fundamenta nonnulla ponamus.

Primum fundamentum, tripliciter potest aliquis circa alienum bonum, quod quispiam in spe possidet, vel ex aliena liberalitate expectat, uersari.

Primo bono animo, ut sibi vel alteri cum ratione &

modo

modo consulat; ut si ipse vellet illud assequi: uel certe, vt dantis utilitatem curet,quod ei nō expediat donare.

Secundo,animo malo,ut solum noceat ei,cui bonum ex liberalitate tribuendum est; sed tamen ad impediendum nulla utitur fraude aut dolo.

Tertio,cum ad odium , seu deprauatam voluntatem accedit etiam fraus,seu uis , per quam est in caussa , ut qui donare uolebat,non amplius donet. Vbi etiā illud animaduertendum est,quod cum bono animo,id est cū quis vult sibi rem per iustas uias acquirere , potest etiā esse animus nocendi,sed id non est præcipue intentum, cum potissimum vtilitas spectetur propria. Et quidem tota difficultas est,cū speciatim ex animo nocendi,quis impedit,sine fraude tamen.

Secundum fundamentum , in quo conabor in fauorem sententiæ antiquorum aliqua ratione demonstrare,quo nam pacto malus animus possit restituendi obligationem inducere. Animaduertendum igitur est, fieri posse, ut multi ad rem aliquam acquirendam aliquod ius,saltem imperfectum,habeant ; ita ut illa res ad plures pertinere videatur, cum in eius possessionem nemo expresse uenerit,sed uenire queat. Quam aliquis sine alterius iniuria consequi potest,si eam, secūdum illud ius,quod in eam habet,consequatur: si uero non pro iure suo,sed ut alterius ius impediat,& alteri noceat, cū alterius iniuria ad illius rei possessionem perueniet. Quo fit,vt animi mutatio,cum opere extrinseco coniūcta,possit esse iniustitiæ caussa. Vt expresse significari uidetur in illa lege supra citata: cum dicitur,eum qui puteum effodit , aut aliud opus in suo facit, unde uicinus damnum accipit,non teneri de damno,si non facit animo nocendi : unde a contrario sensu, vt Iurisperiti loquuntur,infertur teneri,si malo animo faciat. Quoniā iste, qui malo animo affectus est, nō uersatur circa rem illam,ut sua est,& ut ad se, sed ut ad alium pertinet, & alterius est,ea de caussa,ut ei nocere possit. Quare,animi mutatio,cum inæqualitate in re uidetur iniustitiam

facere. Si ergo, gratia exempli, plures erga eādem rem aliquod ius habeant, sitque illa res quodammodo pluribus communis, & ex illis unus peruerso animo circa illam uersetur, vt, non quod sibi, aut alteri conuenit, aut vtile est, obtineat, sed ut alteri noceat, id non uidetur uacare iniuria. Et hæc fortasse est formalis ratio ob quam nocere alicui, ex malo animo, videtur obligare ad restitutionem.

Tertium fundamentum, dupliciter potest aliquid in spe haberi: vno modo in voluntate seu promisstone alterius: altero in rebus ipsis, quo modo frumentum habetur in satis, seu segetibus. Id autem quod spe possidetur, vel in alterius animo, vel in re ipsa, bifariam potest considerari: vno modo remote, altero proxime, cū parum abest, quin res ipsa iam actu possideatur: vt ecce si quis de donanda aliqua re cuipiam iam cogitasset, & aliqua de hoc verba fecisset; aut certe iam apud se id omnino statuisset, firmumque haberet. His ita positis fundamentis, has statuo conclusiones.

Prima conclusio, qui inferret damnum in bonis quæ habentur in spe in rebus fructiferis, teneretur restituere, sed non tantum, quantum si iam res actu possideretur: arbitrio itaque boni viri, qui considerare deberet, rei certitudinem, & incertitudinem, rem proximam, aut remotam, & expensas, an casu sit illatum damnū, an uero per iniuriam; vt si quis per iniuriam, vineam incidisset, aut sata euertisset, & an detrimentum sit graue: & quia in his rebus homines parati sunt ad expectanda pericula, quibus sunt subiectę, ideo restitutio non debet esse nimis remissa in hoc rerum genere.

Secunda conclusio, si quis impediat ne alius consequatur bonum, quod alteri ex liberalitate est dandum, non ex malo animo, sed vt sibi, vel alteri consulat, non tenetur restituere. Doctrina est certissima apud omnes, & sua luce claret; quoniam hic nulla apparet iniustitię ratio: is enim potest sibi consulere, & suo iure vti, vt & alius facit. Huc pertinet, quod dicitur in l. fi.

C. ſi quis aliquem teſt. prohib. eum qui blanditijs facit vt legatum in alium transferatur, non teneri ad reſtitutionem.

Tertia concluſio, qui impedit, ne quis conſequatur bonum quod ſpe in voluntate alterius poſſidet, per fraudem, aut dolum, & uim, peccat mortaliter, & reſtituere tenetur. Res eſt manifeſta, quam communis comprobat opinio, cum iſte per iniuſtitiam ſit ſufficiens damni cauſſa: non ſecus ac ſi quis impediret aliquem, ne artis ſuæ inſtrumenta poſſet exercere. Quare, ſi quis uellet mihi donare cẽtum nummos, ea de cauſſa, quod ego literis incumbo, & alius, id impediret, dicendo id non eſſe verum, cum re vera ego ſtudijs operam dem, iſte reſtituere mihi deberet.

Quarta concluſio, qui impediret quempiam malo animo ne conſequeretur illud bonum quod alius ſpe certa, vel admodum probabili poſſideret, eſſet ad aliquid reſtituendum obligatus. Hanc concluſionem tanquam probabilem poſuerim ad retinendam antiquorum ſcriptorum opinionem: quæ his rationibus confirmatur.

Primo, ex ijs quæ diximus in ſecundo fundamento: ex quo apparet cur malus animus cum opere externo coniunctus, actum iniurioſum faciat.

Secundo auctoritate eorum doctorum, qui hanc opinionem ſequuntur, & præſertim diui Thomæ, qui hoc apertiſſime ſenſit, quidquid dicat Nauarrus. nam ſanctus Doctor, expreſſe requirit duo in eo, quem liberat, a reſtitutione, ſi quem ne aliquid conſequeretur, impediuerit, iuſtitiam nimirum, & bonam intentionem; quare una deficiente conditione orietur obligatio ad reſtituendum.

Tertio, quæ in alterius animo ad aliquid dandum parato, poſſidentur, ſunt aliquo pacto eius, cui ſunt deſtinata, ita vt ius aliquod iam in illa habeat: igitur, ſi quis iniquo animo ea auferat, aliquid reſtituere debebit; antecedens ex eo manifeſte probatur; quia ſi quis ſciret,

ret, Pontificem, seu fidei dignum hominem, sibi aliquid promisisse, vt gratia exempli, cras centum nummos aureos daturum; profecto is non daret hos nummos pro vigintiquinque: quare ista bona quæ in animo alterius possidentur, pecuniæ æstimari possunt: igitur, si quis malo animo in his bonis nocumentum inferat, restituere debebit. Est itaque spes seu expectatio non remota rei temporalis pecunia ęstimabilis, & ideo qui in hac spe læderet, animo nocendi, non vt sibi consuleret, aliquid restituere deberet. Siquidem, qui dominis, gratis pręsertim, inseruiunt, spem quam habent de domini gratitudine, non minimi faciunt. Confirmatur, qui alium tali bono priuat, existimat se ei nocere, & cum id hoc animo faciat, per se, directeque nocet: igitur arbitratur illud aliquo pacto ad ipsum pertinere.

Postremo, is qui ea re, quam spe possidet priuatur, iure posset, de isto a quo lęditur, conqueri, tanquam de homine iniurio; igitur iste aliquo pacto illi satisfacere deberet. Quod si dicas, ergo etiam qui bono animo impediret, esset ad restituendum obligatus: cum alium, re aliquo modo sua, priuet; respondetur negando sequelam; quia, cum res non dum sit perfecte acquisita, potest ei qui donaturus est, aliquid proponere, vt in melius mutet consilium, & vt rem suam melius collocet.

Quare, his rationibus nixus, posset quispiam antiquorum & grauissimorum Doctorum sententiam non ita facile refellere, vt nonnulli faciunt. Nam cum illi nos docuerint, restituendi obligationem oriri ob læsam iustitiam, potuerunt optime uidere, an in tali casu facienda sit aliqua restitutio.

Quincta conclusio, iste non tenetur ad restitutionem totius boni, cuius consecutionem impediuit, etiamsi qui daturus erat, id apud se statuisset. Quoniam, non dũ est plene dominus, & uoluntas volentis dare mutari potest: ergo res non tanti valet, quanti, si iam possideretur. Hæc conclusio uidetur esse præter mentem diui Thomæ, & Caietani: quorum tamen opinio defendi potest,

test,si intelligatur,in eo casu,in quo res iam iam dandā erat. Possumus enim tres quasi gradus voluntatis distinguere in eo qui daturus erat: quorum unus sit incertus & non dum firmus: secundus iam deliberatus,sed tamen non dum ad exequendum proximus:tertius certus omnino,& quasi instans,ita ut nihil fere,aut parum absit ab executione,& de hoc casu intelligēdus est diuus Thomas; in quo etiam aliquid detrahi posset. Quare,si casus incideret,viri boni & docti arbitrio res terminanda esset: qui circumstantias inspiciat, & præsertim eius qui impediuit personam,& animum. Hæc autem restitutio, non dominis,sed ijs quibus dandum erat,facienda est: Ex quibus, colligere licet, imperfecte eos tractasse hanc dubitationem de ijs quæ ex liberalitate dantur,dicentes sine vlla distinctione,restitutionem non esse faciendam,vt Palud.Cait.& Sylu.cum saltem faciēda sit,quando intercedit fraus,& uiolentia. Quo loco etiam illud ad notauerim,paucos esse scriptores,qui de similibus materijs agentes,aliquid animo malo non tribuerint,& speciatim Adrian.

Atque hęc probabiliter hac de re disputata sint. Nā cōtraria sententia sua probabilitate non caret,quā recētiores libenter defendunt, & suas habet rationes probabiles: estque ad praxim magis accommodata. Quod si quis aliam sententiam sequi vellet, ad contraria argumenta hunc in modum responderet.

Ad primum, soluitur hoc argumentum satis aperte ex ijs,quæ diximus in tertio argumento,pro quarta cōclusione: cū ea quæ spe & promissione, seu in uoluntatis alicuius deliberatione habentur,aliquo pacto possideantur: ut eā quæ per negociationē acquiri possunt.

Ad secundum, qua ratione hoc argumentum soluendum sit, constat ex secundo fundamento: neque enim solū caritatem uiolat, qui ex malo animo,adhibita externa operatione, circa rem aliquam, non pro suo iure cum alterius nocumento versatur: ut supra latius explicuimus.

Ad

Ad tertium, eodem respondetur modo. Neque illud simile est omnino idem: quoniam, licet carnifex malo animo suspendat: tamen extrinsece non agit opus vnde id sequatur: nam actus ille quẽ exercet, est a iudice imperatus, & iustus: idẽ dicas de milite. exemplũ etiã de hærede est ualde dissimile; cum hæres sit dominus rei sibi sine isto onere dandi aliquid relictæ: & ideo licet malo animo faciat, non offendit iustitiam, quia uersatur in re sua, pro iure suo.

Ad quartum, quid dicendum sit, patet ex ijs quæ in vltimo fundamento adnotauimus, & in declaratione quinctæ cõclusionis diximus. Neque est par ratio de eo qui parum abfuit, quin furatus fuerit, & de eo qui re ipsa impediuit, id quod parũ aberat, quin possideretur.

De restitutione facienda ab eo, qui beneficij, vel officij consecutionem impedit. Quæst. XXX.

ET si ex proxima disputatione, bona ex parte appareat, quid de re proposita dicendum sit: tamen, quia hæc quæstio priuatè aliquĩ quid difficultatis habet, propterea priuato eget examine; tum ex parte eorum qui beneficia & officia distribuunt, tum personarum, quibus distribuuntur. Quod autẽ qui impedit quempiã ne beneficiũ cõsequatur, nihil restituere debeat, his probatur rationibus.

Primo, beneficiorum & officiorum distributio pertinet ad iustitiam distributiuam, vt est per se manifestum igitur qui impedit aliquem ne beneficium consequatur, non facit contra iustitiam commutatiuam, ad cuius inæqualitatem sarciendam introducta est restitutio.

Secũdo, si qui impedit officij cõsecutionẽ restituere debet, uel ei, quẽ impedit, & hoc nõ; quia nõ habet ius, in tale bonũ, cum non detur ex promissione, vel ex merito: vel ei qui dat, & hoc non quia nõ est dominus, vel denique Ecclesiæ, aut Reip. neq; hoc est uerum, cũ possit aliquis impediri, sine Reip. uel Ecclesiæ detrimento.

Tertio, qui beneficia aut officia distribuit, potest

huic vel illi conferre, vel non conferre, & uoluntatem mutare, sine vlla iniustitia, modo alicui digno distribuat; ergo qui impediret ne alius dignior consequeretur, non violaret iustitiam.

Quarto, quo argumento probo eum qui non dat beneficium digniori restituere debere: qui nō dat digniori bonum, quod in utilitatem communem distribuitur non solum lędit iustitiam distributiuam tanquam malus dispensator, cum non utilitatem publicā, sed personam respiciat: sed etiam commutatiuam, quia est in caussa vt qui habere debebat, non habeat: igitur: nam si digniori debentur centum, & ei non detur, idem est, ac si ab eo auferantur.

Quoniam in hac quæstione omnino incertū est, quæ sit certa Doctorum opinio, ob multa capita, quæ in ea continentur, propterea non citabo seorsim opiniones, sed in ipsis conclusionibus de eis mentionem faciā: Indicabo tamen loca, ubi quidam pręcipui scriptores hac de re disputent. Scholastici in 4. dist. 15. Scotus ibi quæs. 2. art. 4. Richar. eadē dist. art. 5. quæs. 4. Paludanus quæs. 2. art. 2. conc. 4. Ioan. Maior. quęst. 17. Ledesma quęs. 18. ar. 2. Adrian. in materia de restit. in quęs. de hac re. Diuus Thomas 2. 2. quæs. 62. ar. 2. ibi Caietanus. Sotus lib. 4. de ius. & iure quæs. 6. art. 3. Nauarrus in Enchir. c. 17. nu. 69. Didacus in relec. in regulā peccatū, par. 2. §. 7. nu. 7. & 8. Sylu. uer. rest. 3. q. 10. Vt autē, quid in quęstione, quā ualde difficilē esse putauit Caietanus, sentiēdū sit, aperte doceamus, aliqua ponēda nobis sunt fundamēta.

Primum fundamentum, cum aliquod beneficiū aut officium confertur, duplicem possumus ibi considerare iustiam: alteram mere distributiuam per quam id quod distribuitur datur propter merita eorum, quibus distribuitur, quasi eis debitum; ut patet cum dantur præmia ijs, qui plura & maiora facinora pro rep. gesserunt: alteram commutatiuam, ut cum dantur officia ad aliquid efficiendum in utilitatem publicam; tunc enim ij quibus officium conceditur, tanquā operarij conducūtur,

ibi vtilitas priuatorum hominum spectatur: hic uero publica precipue. ibi res quæ datur est debita, hic vero non est debita: ibi attenditur quantitas meritorum, & personarum conditio, hic non ita, sed rei & operis habetur ratio. Est ergo inter doctores dubitatio, vtra in beneficijs distribuendis attendatur iustitia, & an in utilitatem ecclesiæ, an vero personarum detur beneficia: alij enim vnam, alij aliam attendendam esse putant: vnde etiam oritur varietas opinionum in restitutione facienda. Nam si spectaretur distributiua, ipsis personis facienda esset restitutio, si uero commutatiua ecclesiæ fieri deberet.

Secundum fundamentum, ministri quibus possunt beneficia conferri, sunt in triplici differentia: alij sunt indigni, alij digni, alij, vel æque digni, vel digniores: ubi inter Doctores est dubitatio, an restituendum sit digniori, si ipse impediatur, ut detur digno, uel indigno. Rursus distinguendum est de modo, quo quis impedit, an bono, an malo animo, an fraude, & ui, an uero sine fraude & uiolentia. Nam aliqui scriptores mali animi & odij rationem habendam esse putant, alij uero minime.

Tertium fundamentum, in hac quæstione, ut ex titulo constat, non solum quærimus de distributione beneficiorum, sed etiam aliarum dignitatum & officiorum, atque præmiorum, quę in Rep. dantur: & licet nonnulli, quod de beneficijs dixerunt, de alijs etiam secularibus muneribus, sine ulla distinctione dicant: tamen, distinctione aliqua opus est. Etenim diligenter animaduertédum est, an id distribuatur, quod propter merita personis debetur, quia tunc spectanda erit dignitas, siue meritum, & quidem maius, ne intercedat personarum acceptio, quo casu, si quis impediat, aut male distribuat, ei cui distribuere debebat restituendum erit; & non Reip. an vero aliquod conferatur munus in utilitatem Reip. ut communi bono consulatur, ut cum dantur officia cum aliqua dignitatę, aut utilitate ad Remp. gen-

ren-

rendam,aut ad aliquod munus exequendum, tunc uidendum erit,an ipsa resp. detrimentum patiatur ex mala distributione,seu commutatione,an uero is,qui impeditur. Vbi etiam quærere possumus,an eodem modo debeat restituere,is qui in distribuendo errat, & is qui impedit ne alius beneficium, aut officium consequatur. Illud etiam animaduertendum est, siue de beneficijs,siue de officijs loquamur, cum distributio fit in utilitatem publicam,an digni, & digniores ratione meritorum,uel ratione pro missionis factæ aliquod ius in rem ipsam habeant,vt proxima questione dicebamus; cum certum sit,quęcunque distribuantur officia,uel beneficia,digni & dignioris habendam esse rationem; vt fidelis saltem fiat dispensatio. Quo etiam loco distinguere possumus,de peccato mortali contra caritatem, & de peccato contra iustitiam. His ita notatis,has pono conclusiones.

Prima conclusio, in beneficijs ecclesiasticis distribuendis,spectatur præcipue iustitia distributiua. Est hæc conclusio contra Paludanum, Caietanum, & Syluestrum locis citatis: de qua alibi latius scribēdum est, quę hoc loco ponitur pro fundamento cæterarum conclusionum: quam unica tantum ratione ab auctoritate scripturæ sumpta,confirmo. Dignus est, aiebat Dominus,loquens de ministris Ecclesiæ, operarius mercede sua:& Paulus,1.cor.9. si nos uobis spiritualia seminemus,non est magnum,si carnalia uestra metimus; Idē, comparabat ecclesiæ ministros boui trituranti. A fidelibus itaque data sunt bona ecclesiæ, vt habeant bonos operarios, qui res spirituales eis ministrent. Non negauerim tamen in beneficiorum distributione habendam esse quoque rationem distributiuę,in dignioribus eligendis; ut is,qui distribuit,fideliter distribuat.

Secunda conclusio,qui indignum impedit,ne beneficium,aut dignitatem,officiumvè consequatur, etiam si fraude & ui impediat, non est obligatus ad aliquid restituendum.

Pri-

Primo, patet hæc conclusio ex communi doctorum sententia, in hoc enim omnes conueniunt, ac conuenire debent.

Secundo, indignus nullum habet ius in id, quod si habuisset, retinere non potuisset: quare si impediatur, nulla ei fit iniuria, ac proinde nulla ei erit facienda restitutio, cum nulla intercedat iniquitas.

Tertio a simili de eo qui impediret latroné, ne quid furaretur, qui, etsi per uim & dolum id efficeret; nihil tamen deberet restituere: igitur, nec is, qui est in caussa cur indignus beneficium non obtineat: consequentia est manifesta, quia ambo isti sunt fures, qui rem acceptam retinere nequeunt.

Tertia conclusio, Qui impediret indignum, non zelo iustitiæ, sed animo nocendi ex odio peccaret mortaliter. Conclusio est manifesta, quia nemini licet odisse quempiam, aut cuipiam velle nocere. Qui ergo ex bono animo faceret, iuste ageret, qui vero ex odio impro be, sed nihil restituere deberet.

Quarta cóclusio, qui impedit dignum, sine ui & fraude, vt faueat digniori, non tenetur restituere, & si nõ intercedat odium, nihil peccat. Quoniam bono animo mouetur, ad hoc, vt in beneficijs conferendis maior iustia seruetur, quę ex fidelitate requirit, vt melior conducatur operarius.

Quarta conclusio, qui impedit digniorem vt detur digno, sine vi & fraude, non tenetur restituere. Quoniam nec distributor in tali casu violaret iustitiam cómutatiuam, cui satisfit, si bonus conducatur operarius: quare non impeditur substantia iustitiæ commutatiuę, sed tantum modus, quem retinet distributiuæ; cum ex fidelitate dignor eligendus sit: qua ratione, & is qui impedit, & is qui distribuit, seu ministros conducit, peccaret: non secus ac œconomus, qui cum posset meliores operarios conducere, contentus esset bonis. Hæc conclusio intelligenda est cum hac moderatione, quando per dignum ministrum ita bene exerceretur munus, ac

per

per digniorem. Hæc conclusio videtur esse contra Didacum, loco citato, conclusione tertia, & contra eos, qui putant beneficia dari ex iustitia distributiua. Secus dicendum esset, si ex aliqua lege, aut statuto aliquid dari deberet meliori & digniori, aut si distributio fieret ratione meritorum tantum, vt postea dicam.

Quincta conclusio, qui impedit dignum, vt detur alteri digno, vel sibi digno, odio & fraude remotis, nihil peccat, & ad nullam restitutionem est obligatus. Ita docet Couarruuias, qui Paludanum & Syluestrum in hãc sententiam citat: estque doctrina manifestissima; quia nulla intercedit iniuria, dum iste, quod sibi, vel alteri aliquo pacto conuenit, sine dolo & fraude quærit.

Sexta conclusio, qui per fraudem, aut dollum, atque uim impedit beneficij consecutionem, peccat mortaliter, & restituere tenetur, siue dignum, siue digniorẽ impediat, siue ob suam, siue ob alienam vtilitatem. Est hæc doctrina certissima, quam omnes communiter tradunt, nititurque ratione manifesta, cum metus, fraus, & mendacium, sint iustitię contraria. Quare, si quis mentiendo ad impediendam beneficij consecutionem, diceret Petrum, alias ualde eruditum, esse ignarum, vel esse illegitimum, aut improbum, cum tamen legitime natus sit, & honeste viuat, aut ei incuteret timorem, ne ad examen accederet, ille pro illato dãmno Petro satisfacere teneretur.

Septima conclusio, probabile est eum, qui solum animo nocendi impedit aliquem dignum ne beneficium consequatur, ad restitutionem teneri. Huius conclusionis probabilitas constat ex ijs, quæ proxima disputatione diximus; quamuis in hoc casu adhuc maior quędam eluceat iniustitię ratio, cum dignus, præsertim ad concursum vocatus, habeat aliquod maius ius ad beneficium consequendum, quam fortasse haberet ad id, quod ex mera liberalitate aliquis ei ꝓmisit, aut dare constituit: & is qui distribuit, accipientis dignitatem spectare debeat. Cui conclusioni antiquiores Docto-

res subscribunt, vt diuus Thomas, Scotus, Richardus; Ioan. Maior, Paludanus, Syluester, & Caietanus; sunt etiam, qui Adrianum in hanc opinionem citent, qui aliquando in restitutione facienda, nocendi animum spectandum esse dixit, in quæst. de restit. bonorum animi. Cæterum, vt supra scripsimus, contraria opinio sua probabilitate non caret, quam Sotus, Ledesma, Nauarrus, Couarruuias, & recentiores sequuntur. Non tamen placet, quod dominus Caietanus affirmare videtur, esse obligatum ad restitutionem eum, qui cum sua, vel aliena utilitate, aliquid sibi, uel alteri dari curat, & alterius quoque impedimentum intendit: cum iste principaliter vtilitatem suam quærat: peccaret tamen contra caritatem, dum alterius damnum intendit.

Octaua conclusio, quando iuxta ea quę diximus facienda esset restitutio, quia impeditur dignior, vel dignus, vt detur digno, tunc fieri deberet, non ecclesiæ, sed digniori, vel alteri digno; vt cũ intercessisset fraus. Quoniam, ut diximus, isti habent aliquod ius in beneficium ratione dignitatis & uocationis ad examen & approbationem, & ipsi patiuntur detrimentum, non autẽ ecclesia, quę bonũ habuit ministrum. Non fundo tamen hãc restitutionẽ cũ Caietano & alijs, quos supra citaui, in substantia iustitię commutatiuę, ut patet ex dictis.

Nona conclusio, si restitutio facienda esset, quia repelleretur dignus, ut daretur indigno, non solũ digno, sed etiam ecclesiæ aliquid restituendum esset. Patet hęc conclusio, quia malus & inutilis conducitur operarius. Quare, cum duę lædantur personæ, ambabus aliquid restituendum erit, ecclesiæ nimirum, & digno ministro qui iniuste reiectus est, ab eius rei consecutione, in quam ius aliquod habebat.

Decima conclusio, quibus in casibus is qui impedit restitutioni est obnoxius, in ijsdem etiam is, qui distribuit, ut si det indigno, uel cum fraude, aut vi aliquem dignum repellat. Conclusio est per se manifesta, & nulla probatione eget.

Vndecima conclusio, quod diximus de beneficijs ecclesiasticis, quod attinet ad restitutionem, si quis eorũ consecutionem impediat, aut male tribuat, dicendum est etiam de officijs secularibus, quando distribuuntur in vtilitatem publicam, vt boni habeantur ministri.

Duodecima conclusio. Quando officia, vel præmia danda essent ex mera iustitia distributiua, ob sola merita eorum, quibus danda sunt, si quid daretur digno, omisso digniore, ipsi digniori restituendum esset. Quia ex v. huius iustitiæ, quæ merita respicit, dignioris habẽda est ratio. Idem dicendum esset de beneficijs ecclesiasticis, quando ex aliqua lege, vel statuto danda essent digniori. Sed quod attinet ad maiorem & minorem dignitatem ministri, plura in materia de beneficijs.

Decimatertia conclusio, huiusmodi restitutiones faciendæ essent ad iudicium boni viri, consideratis circumstantijs rei & personarum: neque enim certa regula dari potest, quantum sit restituendum.

Atque ex ijs intelligere licet, vnde, in hac quæstione de eo qui impedit ne quis aliquod bonum consequatur, inter Doctores enata sit opinionum diuersitas: quod alij animo nocendi aliquid tribuant, alij nihil: alij spectauerint iustitiam distributiuam, alij commutatiuam: alij ponant aliquod ius in digno qui petit, & in eo qui spem per promissionem habet, alij nullum: alij parem omnino rationem beneficiorum ecclesiasticorũ, ac secularium dignitatum, & officiorum, faciant, alij non ita: & denique quod non omnes, omnes distinctiones hic animaduertendæ animaduerterint.

Ex quibus etiam infertur, quid dicendum esset de eo qui apud dominum ageret, vt seruum dimitteret, vnde detrimentum caperet, vel quia alium dominum nõ inueniret, aut non tantum mercedis lucraretur: qui iuxta sententiam Nauarri, non teneretur restituere, nisi efficeret, vt dominus contra iustitiam eum dimitteret: alij aliter sentirent, vt patet ex dictis, si animo nocendi faceret. Similiter quid dicendum sit de dignitatibus, & le-

ctorijs, alijsque officijs, quæ dantur per concursum, siue oppositionem, stante statuto, quod dari debeant certo tempore, concurrentibus, seu candidatis, si quis impediret, ne ijs darétur, qui restituere deberet ijs, qui legitime accessissent: quod ij ius quoddam in eam rem acquisiuerint. Quædam alia de suffragatoribus huic pertinentia, uide apud Sotum.

In summa, vt multa in pauca conferam, in hac disputatione de impediente, hæc pro certis haberi debent. Primum, qui impedit consecutionem boni, in quod habetur ius perfecte acquisitum, quod, in rem vocatur, vt per voluntatem, per donationem inter viuos, uel alio titulo legitimo, uel imperfectum ius, quod ad rem nominatur, ut per iustam promissionem, electionem, præsentationem, & concursum, vel alio titulo, qui dat actionem ad repetendum, restituere tenetur, & quidem totum. Secundum, quando dolo, vel vi aliquis impeditur, ne id consequatur, quod alias consecuturus erat. Tertium, cum impeditur consecutio boni distribuendi per meram iustitiam distributiuam, quo casu restitutio fieri debet ijs qui impediuntur: si vero fiat contra commutatiuam, reip. vel ecclesiæ restituendum esset. Sed hac de re hucusque: restat vt argumenta soluamus.

Ad primum, falsum est beneficiorum collationem pertinere ad iustitiam distributiuam: & esto pertineret, adhuc facienda esset restitutio, quia quod datur ex merito, debetur ex operibus gestis, pro quibus qui non retribuit, iustitiam violat commutatiuam.

Ad secundum, & ecclesiæ, siue reip. & ei qui impeditur facienda est restitutio, vt ex ijs quæ diximus manifeste constat.

Ad tertium, falsum est eum qui distribuit posse pro voluntate sua cuique distribuere: tenetur enim uel digniorem, vel dignum eligere: & ij qui sunt eligendi, aliquod ius in officium, vel beneficium habere possunt.

Ad quartum, qui non dat digniori, quando non est pura distributiua, aut non est aliqua constitutio, quę ad

hoc

hoc obliget, facit solum contra modum distributiuæ; quia non fideliter operas conducit, & ideo non tenetur restituere.

An sit restituendum id, quod solui debuisset, si verum crimen in iudicio negatum non fuisset.

Quæstio XXXI.

IN hunc locum commode illa quoque dubitatio venit, quæ in huius quæstionis titulo a nobis proposita fuit, An scilicet is restituere debeat, quod soluere debuisset, si veritatem in iudicio manifestasset; vt si condemnatus fuisset exilio, vel pœna pecuniaria. Exempli gratia, Petrus accusatur hæresis, de quo peccato legitime in iudicio interrogatur, sed negat: quod si manifestasset, suis bonis priuatus fuisset: quæritur, an sit obligatus ad restitutionem eorum quæ in pœnam soluisset.

Hanc difficultatem, quod sciam, nemo ex professo tractat: Sotus tamen lib. 1. de iust. & iure q. 6. art. 6. conclusione quarta in fine hac de re duo dicit. Primum iste de quo queritur tenetur soluere eam pœnam, quam soluisset, si commissum crimen confessus esset.

Secundum, hæc doctrina non habet locum, cum pœna est corporalis, quam nemo a seipso sumere tenetur. Vnde, si puniendus erat exilio, tenetur in exilium proficisci: si negauit se esse hereticum, tenetur ad soluendum omnia quæ soluenda fuissent, si crimen confessus esset. Quam doctrinam a Soto sine vlla ratione corroboratam, hunc in modum probares.

Primo, iste qui verum crimen iniuste negat, priuat remp. & Fiscum aliquo bono, vt est manifestum; tenetur igitur ad hoc damnum sarciendum: consequentia est manifesta, quia non solum facit contra caritatem, sed etiam contra iustitiam.

Secundo, a simili, Iudex qui non pronuntiat iustam sententiam, quam pronuntiare debet, ex omnium opi-

nione restituere debet: similiter fiscalis qui non accusat eos, quos accusare tenetur: igitur & qui verum crimen negat, quod fateri est obligatus, cum iuridice interrogetur: cum ex hac iniusta negatione sequatur reip. uel fisci damnum.

Tertio, si iste confitetur, condemnaretur, & soluere deberet: ergo cum iniuste neget, peccat, & quod alias soluisset, restituere debet.

Quarto, si contrariam sententiam probares, ex ea illud nasceretur absurdum, quod peccatum faceret istum reum melioris conditionis; quod est inconueniens, cũ nemo ex culpa commoditatem referre debeat: sequela est manifesta, quia negando liberatur a pœna, quam dedisset, si veritatem confessus esset. His itaque rationibus Soti opinio confirmari potest.

At uero Nauarrus in Enchiridio c. 18 num. 49. ad hoc nouum quæsitum respondens, contrariam tuetur sententiam: cuius fundamentum est, quia leges pęnales non obligant in conscientia, nisi post latam sententiam iuxta Glossam receptam can. fraternitas 12. q. 2. & diuum Thomam 2. 2. q. 62. art. 3. Sunt qui dicant sententiam Soti esse probabilem: quæ tamen est nimis aspera, & contra praxim. Quid autem sit in hac re tenendum his conclusionibus breuiter statuo.

Prima conclusio, quando pœna futnra erat corporalis, qui negat verum crimen, non tenetur ad eam soluendam. Est hęc doctrina certa, in qua etiam Sotus conuenit, & est communis opinio, vt alias in materia de legibus latius demonstrabitur. Neque enim huiusmodi leges obligant nisi ex vi latę sententiæ, nec post sententiam, tenetur quis a seipso tales pęnas sumere, sed tantum eas patienter ferre, cum ad executionem uentum est. Quod si quę esset lex, seu consuetudo, quæ ad hoc pęnæ genus a seipso sumendum obligaret, esset nimis aspera, & pręter naturæ notionem.

Secunda conclusio; iste teneretur ad restitutionem damni, quod se dedisse negauit. Exempli gratia, negauit,

uit,ſe cuipiam damnum intuliſſe, aut aliquid debere, tenetur ad hoc damnum ſarciendum. Ratio eſt manifeſta,quia etiam ante negationem erat obligatus.

Tertia concluſio,qui in iuſto iudicio iniuſte negauit crimen,tenetur reſtituere omnia damna, & expenſas, quæ ex tali negatione tertia perſona patitur. Verbi gratia dum iſte ueritatem occultat,oportet producere nouos teſtes,noua iura, noua chirographa,ſeu teſtamenta deſcribere,quę fieri ſine expenſis non poſſunt,hęc & id genus alia damna ſarcienda ſunt.

Quare, qui appellant,& lites protrahunt, vt aduerſarium lædant, & uident ſe cōtra iuſtitiam facere,ſunt ad reſtituendum obligati.Ita Anton.2.par.tit. 2. c. 2. §. 3.& eſt communis doctrina cap.Quia plerique de immunit. eccleſ. ubi Inno. & alij. Quoniam omnia iſta damna inferuntur contra iuſtitiam. Ex quo inferres, quam pernicioſæ ſint cautelæ,quibus Aduocati ad lites in longum protrahendas vtuntur: de qua re alibi in materia de iudicijs.

Quarta concluſio, quando non intercedit damnum tertię perſonę,& pœna infligenda erat a iudice,qui uerum crimen etiam iniuſte negauit, non tenetur ex ſe illam ſubire. In hac concluſione non loquimur de pęna pecuniaria,de qua poſtea, ſed de alia quauis pęna, ut gratia exempli, de pęna exilij. Eſt hæc concluſio contra opinionem Soti,quam noſtram ſententiam confirmantes,unica ratione impugnamus,& attende argumẽtum,quod magnam vim habere uidetur.

Hoc peccatum eſt contra iuſtitiam legalem,ut patet ex iis, quę prima diſputatione diximus, ergo ex ui iſtius peccati nemo tenetur reſtituere:conſequentia eſt manifeſta, quia nunquam eſt facienda reſtitutio, niſi cum aliquo pacto lęditur commutatiua iuſtitia: antecedens probatur; quia tunc uiolatur commutatiua,quando aliquis retinet, quod alteri reddere debet; quod in hoc caſu minime contingit: ſiquidem iſte ex iuſtitia legali tenetur verum dicere; & dum negat, in

eo sensu, in quo nostra conclusio procedit, nihil cuipiā aufert. Quid enim aufert ciuitati, aut quid detinet is, qui non exulat; & relegandus erat, si crimen confessus fuisset?

Quincta conclusio, quod attinet ad pœnam pecuniariam probabilius est istum non esse obligatum in conscientia ad eam soluendam; quod sic probatur.

Primo, quoniam antiquiores scriptores tractantes hunc casum de eo, qui uerum crimen iniuste in iudicio negat, solū dixerunt peccare mortaliter, ut Anton. Syluester, & alij, & hoc, quod nihil debeat restituere, tanquam notum prætererierunt. Rursus pro nostra sententia facit Nauar. loco citato, & Couarruuias in lib. 4. decretalium parte 2. cap. 6. §. 8. num. 10. & Adrian. quolib. 6.

Secundo, ius in pœnam exigendam ab reo, non oritur nisi post latam sententiam: at in hoc casu nulla intercessit sententia igitur.

Tertio, legislatoris intentio ea est, vt non exigantur pœnæ, nisi post latam sententiam, & tunc homines teneri ad pœnam luendam; cum ad executionem deuentum est: ergo vbi non est executio, non est obligatio ad soluendum.

Quod si dicas, qui scis tu hanc esse legislatoris mentem? ego quoque ex te petam, qui scis eum oppositum sentire? cum pœnæ, non tam in utilitate principis, seu Reip. quam ad emendationem sint institutæ: quas Plato sapienter medicinas solet appellare. Quare, cum res sit dubia, & per regulam iuris in re dubia fauendum sit reo, non debemus eum ad restituendum obligare: adde etiam aliam regulam, quod pœnæ sunt restringendæ, de reg. Iuris lib. 6.

Quarto, si quis ex Iudicis iniquitate liberaretur a pœna, quæ alias soluenda erat, non teneretur ad restitutionem, etiamsi veritatem confessus esset: ergo neque quādo ipse negat: consequentia est manifesta, quia si acquiritur ius ab sententiam ferendam, in utroque causu deberet restitutio fieri. Vt omittam, quod non est ulla pra

xiꝭs huius restitutionis: & propterea non est cur sine necessitate & ratione restituendi obligationem introducamus, vbi non apparet. Ex hac quarta ratione hæc alia colligitur conclusio.

Sexta conclusio, quando quis absoluitur ab Iudice, etiam iniuste, ad nullam restitutionem est obligatus. Quæ doctrina patet ex iam dictis. Quod si hic peteres, ad quã restitutionem sit obligati Iudices qui accipiunt aliquid a parte litigante, ut iniquam ferant sentẽtiam, de hac re alio loco infra dicetur. His hunc in modum explicatis, argumenta, quibus Soti opinio confirmata fuit, nobis soluenda restant.

Ad primum, negatur consequentia, cur autem negetur, ea est ratio, quia solum peccat contra iustitiam legalem; dum non obedit legibus, aut magistratui. Verũ ratione damni illati tertiæ personæ restituere debet, quia facit contra commutatiuam.

Ad secundum, nõ est par ratio de Iudice, Fiscalique, & reo; quia illis incumbit ex officio curare ciuitatis vtilitatem, tanquam custodibus, qui ad eius conseruationem excubant. Ita Syluester verbo, pœna. quæst. 28. in fine, & id probat ex diuo Thoma, secundæ quæst. 67. & potest summi ratio a simili de uillico, qui rem domini custodire debet: qui, si ex negligentia non custodiat, est ad restitutionem obligatus, si quid damni, sua culpa, in re dominica est factum. Quare, non est audiendus idem Syluester, verbo restitutio. 3. quæst. 5. §. 7. vbi contrariũ asserit de custodibus ciuitatum & uinearum, quod non sint obligati ad restitutionem, si non accusent.

Ad tertium, dum iste uerum crimen negat, non facit contra iustitiam commutatiuam; sed contra obedientiam, & iustitiam legalem.

Ad quartum, hoc argumentum nihil concludit; quia ex hoc facto maximum refert damnum, nimirum peccatum mortale. Atque de hac difficultate satis.

1. Post ea quæ de rebus externis restituendis hactenus disseruimus, sequi videtur, vt de iꝭs agamus, quarum

rum occupatio speciatim humano iure prohibetur: ut est restitutio facienda ratione tributi non soluti, pro animalibus in venatione captis, & pro rebus ludo acquisitis: de quibus deinceps disputaturi sumus.

De tributorum & gabellarum iustitia. Quaest. XXXII.

VT autem hæc difficultas de restitutione facienda ab ijs, qui tributa, seu gabellas non soluũt, facilius explicetur, aliqua nobis fundamenta ponenda sunt, quibus positis, quę pro solutione dicturi sumus, melius intelligi poterunt.

De hac materia disputant Scholastici 4 sent. dist. 15. & priuatim Gabriel quæst. 5. Antoninus 2. parte tit. 1. c. 13. Alphonsus a Castro lib. 1. de lege pęnali cap. 11. Sotus lib. 4. de Iust. & iure, quæst. 6. art. 4. & libro 3. quæst. 6. art. 7 Ioannes Medina, Codice de rebus restituen. quæst. 13. Nauarrus in Enchirid. cap. 17. nu. 201. & seq. Bertachinus, tract. de hac re, Petrus de Vbaldis tract. de censibus, Summistæ in verbo, Vectigal, Tributum, Gabella, Census, & similibus. Rem igitur aggredientes, hæc ponimus fundamenta.

Primum fundamentum, in quo declarabo nonnulla vocabula, quibus appellari solet id, quod aliqua de caussa Principi aut Reip. soluitur, quæ sunt ista, census, tributum, vectigal, pedagium, gabella, duana, talia, siue collecta. Census, est pensio quæ imponitur singulis personis, per capita quæ datur principi in recognitionẽ subiectionis: de quo Matthęi cap. 22. fit mentio: qui modus exigẽdi tributi non est in vsu apud Christianos. Tributum, quod nunc idem est cum censu, est pensio quæ soluitur ex fructibus terræ, pro ratione bonorum, quæ possidentur, ad sustentationem Principis, & ad milites alendos. Vectigal, est pensio quæ soluitur ex bonis, siue mercibus uenditis, ad publica opera ędificanda & conseruanda; ut ad pontium ædificationem, & via rum conseruationem, & est idem quod Gabella. Peda-

gium, seu guidagium est pensio, quæ soluitur pro uiarum custodia, ne viatores a latronibus spolientur. Duana, idem est quod vectigal, sed in eo differt, quod soluitur pro mercibus, quæ ex uno in alium locum vendendæ vehuntur. Talia, siue collecta, est pensio, quæ pro cuiusque facultatibus, datur Principi; & est idem quod cẽsus, siue tributũ. Lege Gabrielem 4. sent. dist. 15. quæst. 5. art. 1. notan. 4. Denique, ne plura nomina persequamur, cum nulla certa ratione definiantur, & sæpe confundantur, nomine gabellarum intelligimus, quidquid aliqua ratione reip. & Principi tribuitur, siue census, siue vectigal, siue tributum, siue collecta siue talia, guidagium, subsidium, teloniumve nominetur: quæ nomina imposita sunt a varijs modis, quib. pensiones colligi solent, uel ex rebus possessis, uel uenditis, siue a vẽditore siue ab emptore soluantur; siue pro mercibus inferendis, uel efferendis, locisque conseruandis & construẽdis, & quacunque alia ratione conquirantur, modo iuste impositæ sint. quid autem ad iustam gabellam constituendam requiratur, sequenti explicabitur fundamento. In lege ciuili solum duo reperiuntur tributorum genera: unum quod soluitur ex bonis prædiorũ, & ex pheudis: alterum pro mercibus importandis, uel exportandis.

Secundum fundamentum, vt tributum seu Vectigal sit iustum, hę requiruntur conditiones: de quibus Gabriel loco citato conclusione secunda. Prima, auctoritas, hoc est, ut qui imponit imponendi facultatem & auctoritatem habeat. cap. super quibusdam, §. Præterea, de verborum significatione. Hæc auctoritas, vniuerse loquendo, in tribus generibus personarum reperitur, vt loco citato habetur, in Imperatore, in Regibus, & in Generali concilio: a quibus potest in alios deriuare.

An vero alij principes, seu superiores, ex se, hanc facultatem habeant, non conuenit inter doctores. Nam Castro, loco citato, defendit non reperiri in alijs personis inferioribus ijs, quas numerauimus; Medina uero,

& est multorum sententia, existimat reperiri in omnibus, qui habent merum & mistum imperium: qui aliũ non recognoscunt superiorem; ij a quorum sententiæ non licet ad alium principem appellare: quo fit, ut omnes Resp. hanc facultatem habeant, cap. Innouamus de censibus, Innoc. cap. super quibus. Rursus multæ ciuitates, populi, & domini tẽporales hac in parte iura Principis præscripserunt: qui possunt nouas gabellas imponere: quod ius ex antiquissima consuetudine acquirere potuerunt. Qui ergo alios agnoscunt superiores, sine eorum auctoritate gabellas imponere nequeunt, & si imponant, sunt excommunicati.

Secunda conditio, est Caussa, necessitas nimirum, vel vtilitas publica, non priuata Principis commoditas: cum non populus propter Regem, sed Rex propter populum sit institutus.

Vnde, ut Aristoteles primo politico docet, in hoc differt Tyrãnus a Rege, quod ille ob priuatã, hic ob publicã vtilitatẽ leges statuit. Huc pertinet quod apud Ezechielem c. 34. dicitur de pastoribus & sacerdotibus, qui seipsos, & non populum pascunt: quod diuus Hieronymus etiam ad seculares Principes transfert.

Quod si communes redditus ad Principis sustentationem instituti ob aliquam penuriam, ei non sufficerent, nouam posset gabellam imponere: quæ non tam in suã, quam in publicam vtilitatem cederet. Similiter, ratione iusti belli suscepti, ob maiores sumptus. Quod si redditus male consumpsisset, aut bellum gloriæ caussa suscepisset, unde in necessitatem venisset, si qua alia ratione posset sibi prouidere, non liceret ei nouis exactionibus subditos grauare. Ita diuus Thomas in Epistola ad Brabantiæ Ducissam.

Tertia conditio, est forma, quę in quadam proportione consistit: in proportione nimirum Geometrica, quę in duobus spectatur.

Primum, ut quisque pro suis facultatibus maioribus, vel minoribus soluat: ut qui plus habent, plus grauentur,

tur, qui uero minus possident, minus onerentur. Qui secus faciunt, apud Micheam cap. tertio, damnantur, cum dicitur. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, &c. Quare, ut in dandis præmijs, quorũ distributio pertinet ad Principem, ista seruari debet proportio, ita in imponendis oneribus, quæ sunt veluti quædam pœnæ.

Deinde, vt pro ratione caussę & necessitatis maius vel minus imponatur tributum, ne maior exigatur collecta, quam caussa requirit, cap. Quia plerique, de immunitate Ecclesiarum. Quare, in ea parte, in qua exceditur, iniusta censetur exactio, & restituenda erit.

Has tres conditiones afferunt Medina & Castro, qui late eas exponit: & de priore conditione loquens ait, ex capite Super quibusdam, non posse colligi, ueterem cõsuetudinem ualere ad imponendas nouas gabellas, sed solum ad exigẽdas veteres, quod aliud sit exigere, aliud imponere, cum hoc sit quid maius, vt colligitur ex cap. Innouamus, de censibus: ubi excommunicatur, qui sine consensu principis noua pedagia imponit. At vero Medina contra sentit.

Adunt alij quartam conditionem, nimirum, usum, & executionem hoc est, si gabella imponatur ob aliquam caussam ad aliquid efficiendum, ut illud executioni mandetur: vt si imposita esset ad pontem reficiendum, ni pons instauretur, gabella reddatur iniusta, ob regulam illam, cessante caussa, cessat effectus; similiter, si exigeretur ad custodiendas vias a latronibus & grassatoribus, cessante custodia, gabella cessare debeat, & si exigatur, est iniusta.

Quod autem attinet ad opiniones in hac proposita materia, quidam Christophorus Scaplerus secta Lutheranus, ut refert Gabriel Prateolus libro tertio, docuit non esse pendenda tributa magistratibus: quod si verũ esset, nulla esset facienda restitutio ab ijs, qui gabellas defraudant: sed contraria sententia est certa fide tenenda, ut statim dicam.

Quod

Quod autem spectat ad restitutionem, si gabellæ fraudentur, fuit opinio Angeli uerbo, pedagium §.6. qui existimauit, omnes leges, quibus gabellæ imponuntur esse leges pœnales, quæ non obligant in cõscientia, nisi post sententiam latam, Gloss. cap. Fraternitas, 12. quæst. 2. ac proinde, si quis defraudet, non tenetur restituere. At vero sententia contraria est communissima omnium, obligare in foro conscientiæ ad restituendum ante omnem condemnationem.

Antequam vero conclusiones afferro, illud animaduertendum est, de qno fusius in materia de legibus agetur, quosdam diuidere leges in duo genera: quod aliæ sint non pure penales, ut illę in quibus præcipitur aliquid faciendum, & ni fiat adijcitur pęna, tanquam stimulus, quo homines mouentur ad legem seruandam: aliæ purę pęnales: ut si lex dicat, qui hoc, uel illud fecerit, soluat tantum; ut si dominus pacisceretur hoc pacto cum seruo, eo die quo non adfueris mensę ad seruiendum, certam mercedis partem perdes: priores inquiunt isti, obligant ad culpam, posteriores ad pęnam tantum. Sed tamen dicendum est, legem eo ipso, quod lex est, & iusta, obligare etiam in conscientia ad aliquã culpam. Non negauerim tamen posse dari legem, quę ex legislatoris intentione ad solam pęnam obligaret. Exemplum autem illud de seruo, non est ad rem, quia ibi non intercedit lex, sed pactum. Nullo itaque modo uniuerse dicendum est, humanas leges solum ad pęnas obligare.

Prima conclusio, humani Principes possunt imponere tributa, quę sub peccati mortalis culpa soluẽda sunt, & qui defraudant restituere tenentur: est conclusio certa fide tenenda, quæ his rationibus confirmatur.

Primo auctoritate diuinæ scripturæ, Lucę capite 20. Redditæ quę sunt Cęsaris Cęsari, & quę sunt Dei Deo: vult ergo Christus census esse soluendos Principi: quod non solum uerbo pręcepit, uerumetiam re ipsa pręstitit, cum ipse censum soluit, quamuis esset a tali solutio-

ne

ne liber; vt patet Math.22.& Paulus Christi doctrinam secutus dixit, Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal,&c.Rom.c.13.Quo loco Paulus ait Principes habere gladium, potestatem nimirum, ad cogendos homines, ad seruandas leges: quare, si quis eas non seruet, ordinationi Dei, a quo omnis est regendi potestas, resistet, & grauiter peccabit.

Secundo, auctoritate Sanctorum Patrum in hęc loca citata, & speciatim Hieronymi, Theophilacti, & Augustini libro 22.contra Faustum cap.74. vt omittam Pontificum decreta, locis supra citatis.

Tertio, Princeps institutus est a populo in vtilitatem publicam, tanquam publicus operarius: ergo subditi debent ei mercedem soluere; est.n.mercenarius dignus mercede sua; & non est alligandum os boui triturantis: quare, si quis has mercedes defraudat, restituere debebit: lege Alphōsum a Castro, qui late de hac re disserit: sed in re manifesta, non est opus multis.

Secunda conclusio, etiamsi leges humanæ non obligarent in conscientia, adhuc leges pertinentes ad solutionem tributorum, obligarent ad eorum solutionem. Patet hæc conclusio ex auctoritate diuina, quæ nobis præcipit, ut tributa soluamus: quare, si fuerint iusta, soluenda erunt, &, si fraudentur, facienda erit restitutio.

Tertia conclusio, licet omnes teneantur ad soluenda tributa iusta: tamen nemo tenetur ad pœnam impositam ijs, qui non soluunt, ante sententiam latam, & sententiæ executionem. Patet hæc conclusio ex superiori quæstione: quia lex pœnalis, non obligat nisi modo iam dicto.

Quarta conclusio, tributa iniusta, non obligant in foro conscientiæ. Quoniam, cum iniuste imponantur, & exigantur, si possum me ab hac iniustitia liberare, non pecco, nec iustitiam lædo. Quare, si sint omni ex parte iniusta, possum omnino non soluere, & totum defraudare: si uero sint ex parte iniqua ratione proportionis possum etiam ex parte fraudare. Ita Castro libro 1.ca-

pit.

pit. 11. de lege pœnali. Sunt autem iniusta, cum desunt conditiones superius numeratę: ut quando non adest auctoritas, quando imponitur noua gabella sine caussa, quando, excedit & est immoderata, &c. ita Petrus de Vbal. tract. de duobus fratribus, parte 5. nume. 37. & alij.

Quincta conclusio, ex accidenti, ratione scandali, iniústa tributa soluenda essent. Doctrina est Alphonsi, loco citato: & confirmatur ex illo Matt. cap. 5. & quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.

11 Sexta cóclusio, omnes illi possunt nouas gabellas imponere, qui non agnoscunt superiorem: & qui hoc habent ex immemorabili consuetudine. Quod attinet ad eos principes, qui non agnoscunt superiorem, uidetur eadem ratio, quæ de Imperatore, Rege, & concilio uniuersali, cum habeant summum imperium. Quod attinet ad consuetudinem immemorabilem, placet nobis opinio Ioannis Medinę: quoniã caput illud, super quibusdam, loqui uidetur, non solum de receptione, sed etiam de impositione.

Septima conclusio, omnes ij, qui iniustas gabellas imponunt, aut exigunt peccant mortaliter & restituere tenentur. Est conclusio certissima, ex cap. super quibusdam supra citato: & confirmatur a pari, quia si qui iusta tributa defraudant, tenentur restituere: ergo & qui iniusta exigunt.

Octaua conclusio, quando aliquod tributum, seu gabella est antiquissima, cuius nulla extat memoria ob quam caussam fuerit imposita, censendum est esse iustam, & qui defraudát peccat, & tenetur restituere. Primum patet hęc doctrina ex capite citato, super quibusdam, & toto titulo de pręscriptionibus: quoniam cum non extet memoria, facta est pręscriptio. Deinde, quoniam cum non est aliquid in contrarium pręsumere debemus fuisse iuste impositam.

Ex qua doctrina multis particularibus Dominis, qui

alias

alias imponere,& exigere gabellas non possent,excusare licet; nisi forte talis esset exactio, quæ in notabile subditorum cederet detrimentum: quia per temporis longitudinem non esset excusanda talis extorsio.

Nona conclusio,nonnullę assignãtur caussę,ob quas licet nouas gabellas imponere,de quibus Anton.3.par. cap.13.§.2.Gabriel.dist.15.quæst.5. art. 2. conclusione tertia,quæ sunt istæ. Defensio ciuitatis: Bellum iustũ: redemptio domini captiui in bello iusto:si enim captus fuisset in bello iniusto, ex suis bonis se redimere deberet: pro caussa publica; vt ad construendum aliquod ædificium.cap.cum Apostolus,de censibus: ad redimẽdam Remp.ab aliquo onere,exempli gratia, ad remouendum tributum: quando princeps non haberet unde sufficienter viueret, ut diuus Thomas ait, opusculo ad Ducissam: ad collocandam principis filiam: ad redimendam Regis,seu Principis prolem captam ab hostibus, vel ad liberandum regnum ab aliquo obsequio, quod præstat hostibus:ad satisfaciendum læsis in bello iniusto.quoniam resp.quæ utilitatem accepit,si damnũ intulit, satisfacere debet. Ratio communis horum casuum,est communis utilitas.

Nunc, quoniam multa sunt, quæ ad hanc materiam pertinent,quæ uarias dubitationes proponendo melius explicari poterunt,sequenti disputatione, quæ nobis dicenda restant, quibusdam propositis dubitationibus aperiemus.

Afferuntur ac soluuntur nonnulla dubitationes circa materiam tributorum & gabellarum.
Quæst. XXXIII.

PRIMA dubitatio, quæ nobis explicanda occurrit,ea est,an quando populus dubitat, an tributa sint iusta,possit exactores fraudare nec ne; intellige hanc dubitationem de nouis tributis; nam quod attinet ad uetera, iam

diximus præsumendum esse, cum iustitia constituta fuisse.

Ad hanc dubitationem nonnulli Summistę respondent, subditos debere existimare tributa esse iusta, & ita in dubio debent obedire Principi, Can. qui culpatur 23. quæst. 2. sunt tamen qui contra sentiant. Quo etiam loco potest esse dubitatio de exactoribus, an peccent exigendo gabellas, de quibus dubitatur, an sint iustæ cum sint de nouo impositæ. De hac dubitatione ita statuendum censeo.

Primum dictum, antiqua tributa, seu gabellæ ueteres putari debent iustę, & ita in dubio eas defraudare non licet: cum saltem adsit pręscriptio. Est communis doctrina, quæ probatione non eget.

Secundum dictum, nouæ gabellæ, vt sunt pedagia & guidagia, & præsertim in rebus ad vsum quotidianum impositæ, si manifestam non habeant caussam, fraudari possunt. Siquidem, ut bene notauit Caietanus, uerbo vectigal, vix cum iustitia constitui possunt, & constituuntur: vnde cum de nouo imponantur, ni eorum iustitia, præsertim ex caussa & fine nata, appareat, pro iniustis haberi possunt. Cum hæc præsumptio fundetur in utroque iure canonico scilicet, & ciuili. cap. quamquam de censibus, lib. 6. Cum igitur subditi pro se habent ius, si contrarium non constet, hoc se tueri possunt.

Tertium dictum, exactores nouarum gabellarum, cum de earum iustitia est dubium, si sint subditi Principi, ratione obedientiæ, quam suo domino præstare debent, excusari possunt a peccato, si eas exigant: at uero alij qui non sunt subditi nequaquam: quia cum non sint subiecti, non tenentur id pręstare, de quo dubium sit, an iuste fieri possit. ita Caiet. loco citato.

Secunda dubitatio, an gabellæ quæ imponuntur in rebus necessarijs ad communem vitæ vsum, vt super vino, pane, carne, & deniq; super ijs rebus, quæ ad vsum

impor-

importantur, quas ementes non nisi ad vsum emunt sint licitæ.

De hac dubitatione, varie sentiunt Doctores. Nam Angelus, verbo, pedagium. §. 3. asserit huiusmodi tributa nullo modo esse licita, ac proinde omnes, tuta conscientia possunt ea defraudare: Additque adeo esse iniusta, ut nulla consuetudine possint fieri iusta. Siquidem omnes leges, & commune ius, hoc genus tributorum prohibet: ut patet l. Vniuersi C. de vectigal. vbi pœna capitis puniuntur exigentes gabellam ex ijs rebus, quę ad usum inferuntur, & cap. quamquam de censibus libro sexto. Idem tenet Ostien. Bernar. in capitu. super quibusdam, & Turrecremata cano. Romipetas, 24. quęst. 3.

At uero Antoninns, 2. part. cap. 14. Nauarrus in Enchir. cap. 17. num. 202. censent talia uectigalia, alias iure communi prohibita, posse fieri iusta per consuetudinem. Consuetudo. n. uim habet introducendi id omnẽ, quod lex potest, cap. finali de consuet. & l. 2. C. quę sit longa consuet. quare licitum facit, quod alias non licebat. Confirmatur hęc opinio, quia hoc genus tributorum est passim in usu apud Christianos; quod non permitteretur, si non esset licitum. Addunt etiam idem posse lege constitui.

Dominus Caietanus, verbo vectig. tria hac de re dicit. Primum, huiusmodi vectigalia, ex se, esse iniusta, quod his rationibus confirmat.

Primo, quoniam in his non seruatur forma, quę est necessaria ad iustitiam vectigalium constituendã; proportio nimirum secundum iustitiam distributiuã: quia, plurimum, magis grauatur qui minus grauandi essent. Sæpissime enim contingit, ut plures habeat filios & maiorem familiam alat pauper, quam diues; & ita plus soluet, qui minus soluere deberet: uel si non magis grauantur pauperes, saltem ęque grauantur, ac diuites, qui quæ ad vsum pertinent emere non solent; quod est a ratione alienum.

Secundo, quoniam aduenæ & peregrini atque forenses uelint, nolint coguntur soluere talia uectigalia: quæ tamen soluere non deberent, cum non sint subditi: immo etiam clerici & aliæ personę, alias a gabellis liberę, huiusmodi tributa soluere coguntur.

Secundum dictum, si huiusmodi vectigalia imponerentur per modum collectæ, ad hoc, vt facilius exigerentur, fieri possent licita. Exempli gratia Princeps eget decem millibus nummis aureis, quæ summa non potest statim colligi per modum tributi, ita vt singuli pro rata bonorum soluant, quia bona subditorum pars & præsertim qui tenuiores habent census, commodius, ac liberius temporis spatio soluit, si tributum paulatim colligatur, ex pensione imposita in ijs rebus, quę vsu consumuntur, quam si totum statim soluere deberet; propterea, cum subditi consentiant, etiamsi ratione multorum non ita seruetur æqualitas, non fit eis iniuria.

Tertium dictum, longe melius & iustius huiusmodi tributa imponerentur per taliam seu collectam pro ratione bonorum, quę possidentur. Nos quid in hac dubitatione tenendum sit, quibusdam alijs dictis explicabimus, si prius vnum admonuerimus.

Animaduertendū itaque est, non propterea esse damnandam, vniuerse loquendo, aliquam gabellam, quod is plus soluat, qui minus possidet: contingit enim vt qui pauperiores sunt, negotientur, & plura uendant, quam qui magis abundant, ac proinde plus soluant; qui tamē ex tali negociatione vtilitatem referunt, quam alii ditiores non capiunt. Quod etiam accidit in decimarum solutione, nam plura soluunt pauperiores, si id habeant unde decimæ penduntur, quam ditiores, qui non ea possident bona, ex quibus decimæ soluendæ sunt: & tamen ecclesię ministri æque omnibus sacramenta ministrāt. Quare, cum in gabellis, quæ imponuntur super rebus, quæ ad vsum pertinent, non habeatur ratio quantitatis scd̄m proportionem eorum, quæ possidentur, quorum

ratio

ratio habetur incollectis, sed secundum quantitatem eorum, quę uenduntur & emuntur a mercatoribus, quorum caussa uiæ custodiuntur, & iudices ad eorum caussas cognoscendas, si quæ lis suboriatur instituuntur, eorum exactio non est omnino damnanda.

Ex quibus colligeres, nullam fieri iniuriam peregrinis, cum res super quibus imponitur tributum, in reip. utilitatem cedant.

Possunt itaque gabellæ super his rebus impositæ, quę alias secundum ius commune inhumanæ & parum iustæ uidentur, hac ratione censeri iustæ.

Primum, si ad subueniendum necessitati communi non sit alia commodior uia: cum necessitate existente, etiam omnia bona sint exponenda pro communi bono conseruando.

Deinde, ex consensu communi, cum omnes consentiant, vt in his rebus ponantur: postremo, ex aliqua cura, quæ eorum caussa qui res important suscipitur. His notatis, pono hæc dicta.

Primum dictum, si ius commune, quod est satis rationi congruum spectetur, huiusmodi tributa sunt illicita, ob rationes dictas.

Secundum dictum, quantum fieri potest, abstinendū esset ab hoc genere tributorum: quoniam multi qui minus soluere deberent, plus soluunt: verum tamen est quod leges humanę priuatis casibus prouidere non possunt. Nam si imponantur gabellę super vino, & pane, passim continget, vt pauper in mense soluat nummum argenteum, seu libram Principi, & diues nihil.

Tertium dictum, huiusmodi gabellę possunt aliquo pacto ab iniustitia excusari. Patet ex ijs rationibus quas attulimus, quibus adde etiam longam, & antiquissimā consuetudinem. Verum tamen est, quod a miseris, & pauperibus personis, quibus potius succurrendum esset, exigi non deberent.

Quartum dictum, in hoc genere gabellarum animaduertendum est, in quorum utilitatem gabella ce-

dat: nam si solum in vtilitatem ciuium cadat, ab ipsis solum per modum collectę esset exigenda: si vero etiam in utilitatem aliorum, ut forensium, externorum ab ijs quoque exigi poterit. Quo fit ut externi non sint obligati ad soluendas collectas, quę fiunt secundum bona, quæ a ciuibus possidentur. Quas tamen imponere solent per modum gabellę, & ideo, si quis eas defraudaret, nihil restituere deberet. Lege Caietanum verbo, vectigal.

Tertia dubitatio, an cessante caussa, ob quam gabellæ sunt impositæ, cesset etiam obligatio ad eas soluendas. Quod autem semper cessare debeat, patet ex communi pronunciato, cessante caussa cessat effectus, c. cum cessante, de appella. l. cum pater §. dulcissimis, ff. de lega. 2. & confirmatur a simili de correctione fraterna, quæ facienda non est, cum cessat proximi utilitas. Et vt supra diximus, non est iustum tributum quod non habet caussam, idest necessitatem publicam Huic dubitationi his dictis satisfactio.

Primum dictum, vniuerse loquendo, tributum cessat, & cessare debet caussa cessante: patet ex argumentis factis.

Secundum, si cessauerit priuata caussa, sed alia eiusdem generis suboritur, tale tributum poterit perseuerare: vt si pro certo bello conficiendo fuisset impositum, & aliud subortum esset: hoc dictum est manifestum.

Tertium, si nulla alia suborta est publica necessitas, & tamen tributum per tot annos solutum fuit, qui ad præscriptionem sufficiunt, potest pro iusto haberi & exigi. Ita Medina quęstione citata. Quoniam, vt antiqua consuetudo dat facultatem imponendi tributa, eadem dare debet facultatem exigendi. Quod autem ius exigendi sub præscriptionem cadat, patet, quia omnes res & iura perscribi possunt, ex se, demptis ijs, quæ iure excipiuntur.

Si obijcias quod Doctores notare solent, can. dilectio 16, q. 4. §. potest, in tributis non currere prescriptionem,

id

id intelligitur, non de iure exigendi, sed de debitoribus: quia cum sint publica debita, debitor ab eorum solutione non excusatur temporis longitudine.

Nec obstat cap. peruenit, de censibus, quia intelligitur de nouis tributis. Et licet non adfuerit bona fides, quæ est necessaria in præscriptione, in illis quorum tempore caussa cessauit, est tamen in alijs, a quibus per tempus facta est prescriptio.

Nec obstat, quod contra ignorantes non currit præscriptio, quia supponimus notitiam cessationis caussæ. Denique, cum necessitates consequentes, non raro succrescant, huiusmodi tributa ab ijs dominis apud quos non est mala fides, exigi possunt. Vt omittam, quod si non exigerentur, alia fortasse ratione Principi subueniendum esset.

Quartum dictum, quando caussa a paucis annis cessauit, subditi non tenentur adire principem vt ab obligatione soluendi liberentur: quia tute possunt fraudare: quod si de cessatione non extet memoria, tenentur soluere: & quando dubitant, consulant Principem, aut soluant.

Quod autem ad illam maximam cessante caussa, &c. attinet, vera est, cum nulla alia caussa succedit: & quod dicitur de correctione, non est par ratio, quia ibi est vna tantum caussa, nimirum proximi emendatio in nostro casu sunt plures: & post primam, quæ fuit necessaria ad impositionem secuta est alia.

Quarta dubitatio de pedagijs, seu guidagijs, quæ soluuntur pro uiarum conseruatione, & custodia, si domini sint in vijs custodiendis & farciendis negligentes, vel nullam expensam his in rebus faciant, an ea fraudare liceat.

Quidam, & speciatim Gabriel, cum Angelo, & Baptista, & alijs multis existimant defraudari posse; & quod defraudatum est non esse restitutioni obnoxium. cauendum tamen esset a mendacio, cum merces occultantur: Dicunt etiam, & præsertim Gabriel, dominos,

etiamsi negligentes sint, posse has gabellas exigere, & non obligari ad restitutionem. Huic dubitationi his dictis satisfacio.

Primum dictum, qui dicunt dominos posse ista pedagia exigere, & subditos posse eadem fraudare; secum pugnare videntur. Quia, si illi iuste exigunt, isti iniuste fraudant: si hi iuste fraudant, illi iniuste accipiunt, & restituere tenetur.

Secundum dictum, cum obligatio dominorũ de vijs custodiendis, ut Ostiensis & Gabriel docent, videatur esse disiunctiua, hoc est, quod debeant vias custodire, uel si non custodierint, debeant transeuntium damna resarcire domini, etiamsi negligentes sint & expensas non faciant, possunt pedagia exigere, modo fuerint iuste imposita, & transeuntes soluere debent.

Tertium, si domini non custodiunt, nec damna restituunt, transeuntes possunt fraudare, & fraudata restitue re non tenentur. Et quoniam, vt plurimum, viæ non custodiuntur, nec vllæ expensæ fiunt, nec damna resarciuntur, ideo principes videant, an ista pedagia iustà exigant, si hanc ob caussam solam imposita fuerint. Quod si viarum pericula durent, cùm aliqua principis diligentia, vt uię sint tutæ, durabit etiam obligatio soluendi.

Quincta dubitatio, an qui soluere debent gabellas, seu pedagia, vt vectores, venditores, & emptores, sint obligati ad inquirendos gabellarum exactores, siue publicanos, vt gabellam soluant. Huic dubitationi his dictis breuiter satisfacio.

Primum, attendenda est hac in re consuetudo, quæ vt plurimum habet, ut exactores, seu gabellarum conductores curam habeant de transeuntibus, & alijs a quibus exigere debent, in quo non raro diligentiores sunt, quam oportet, per ministros satis morosos, & sępe iniustos; & ita non sunt obligati ad exactores quærendos.

Secundum dictum, vectores non debent merces occul-

cultare, aut e uia regia diuertere, aut aliquid efficere quo minus inueniri iuxta consuetudinem ab exactoribus possint. Quia hoc pacto vitaretur gabellæ solutio cum fraude, quod non licet: ita, præter alios docet Couarruuias.

Tertium, si gabellę exigerentur ab ijs, qui merces aliquo in loco, ueluti in foro, venderent, & si isti non teneantur exactores quærere; tamen non debent palliare contractum, fingendo esse donationem, eam quæ est uēditio: uel alia arte vti ad extrahendas merces extra terminos, intra quos gabella exigi potest: quoniam per huiusmodi fraudes fit iniustitia.

Quartum, si gabellę collector mercium manifestationem, quoad qualitatem & quantitatem attinet, a uectore, aut sub iuramento, aut sine iuramento requirat, ita ut velit totum sibi manifestari, veritas dicenda est; alias erit peccatum, cum obligatione ad restituendum pro damno illato: doctrina est manifesta, quę nulla probatione eget.

Quinctum dictum, si collector simplicem responsionem requirat, quia non intendit ad unguem gabellam exigere, vel quia uectores sunt amici, vel quia locum frequentant, & exactor timet, ne alia utantur via, si nimis durus sit in exigendo, tunc non tenentur ad rigorē soluere, & veritatem omnino manifestare: quia in hoc casu saltem tacita adest condonatio. Quod si quis vsus esset mendacio, & dubitaret de exactoris voluntate, eius mens exploranda esset, aliquid voluerit condonare, nec ne.

Sextum dictum, qui huiusmodi gabellam soluere debet, non tenetur ad iuramentum excipiendum, & in onus suæ conscientię recipere: quia satisfacit dicendo se esse paratum ad soluendum, quantum ipsum soluere debere publicanus monstrabit. Ita Nauar. num. 202. in fi. cap. 17.

Septimum dictum, qui legem de equis, vel pecunijs, aut mercibus de vno loco ad alium non transferendis, tran-

transgrediuntur, custodibus deceptis, aut corruptis, ad nullam restitutionem tenentur; sed ad solam pęnam post sententiam latam. Quoniam huiusmodi leges sunt purę pęnales. Quod si custodibus his rebus præpositis, ob negligentiam & corruptionem aliqua pęna erat imposita, si qua collectoribus erat applicanda; soluenda erit. Ratio est manifesta, quia ad hoc sunt conducti.

Octauum dictum, satis est si vectores, & mercium venditores, emptoresve parati sint ad huiusmodi gabellas soluendas, dum exiguntur, & ad soluendum, si forte non soluissent, cum exigentur.

Sexta dubitatio, an Princeps possit vendere huiusmodi gabellas suis subditis, vt eas exigant.

Respondetur, id quidem licere, & interdum necessarium esse, ad hoc ut Princeps habere possit eam pecunię quantitatem, qua indiget: quam plures coemptores statim soluere possunt. Verum, non tanti uenduntur, quantum ex gabella Princeps collegisset, si non vendidisset. Licet enim coemptoribus aliquid lucri ex hac emptione capere, ob labores exigendi, ob anticipatam solutionem, atque ob pericula, quibus sese subijciunt.

In quo tamen illud est incommodi, quod id in priuatam cedat vtilitatem, quod cedere debebat in communem: cui id adiungitur incommoditatis, quod subditi grauius ab exactoribus tractantur, cum ad rigorem & sine vlla indulgentia a pauperibus tributa exigant, etiã cum nouis sumptibus: ut interdum etiam vestes & suppellectilem pauperes personæ vendere cogantur. Quod incommodum vitaretur, si per ministros Principis, & publicos quæstores tributa exigerentur. Sed de hac re hactenus.

Septima dubitatio, an qui gabellas, collectas, pedagia, & id genus alia tributa a clericis exigunt, restituere teneantur. Ad hanc dubitationem, missa difficultate, an clerici liberi sint iure humano vel diuino a

tributis soluendis, his dictis respondeo.

Primum dictum, tributa quæ alias licite a laicis exiguntur, a potestate seu Principe ciuili, a clericis exigi non possunt. Nomine autem clericorum intelliguntur etiam ij, qui primam habent tōsuram. Quare, qui clericis gabellas imponunt, aut impositas exigunt, grauissime peccant contra immunitatem & libertatem Ecclesiasticam, & excommunicationem in cœna Domini incurrunt, & restituere tenentur.

Multa sunt Pontificum decreta idonea ad hoc dictū demonstrandum; ut cap. non minus, de immunit. Ecclesiarum, cap. aduersus ibidem. cap. Quanquam, de cēsibus lib. 6. can. bene quidem, dist. 96. cap. Ecclesia, de constit. cap. nouerim, de sent. excom.

Secundum dictum, a clericis posset tributum, seu gabella exigi sine iniustitia, in his casibus.

Primo, summi Pontificis auctoritate: qui, ut quidam scribunt, hanc facultatem exigendi tributa a clericis, nemini dedit.

Secundo, si necessitas esset communis, tam clericis, quam laicis; sed non sine Episcopi consensu.

Tertio, si negocia exercerent, in quo æquiparantur laicis, cap. Quanquam de cens. lib. 6.

Tertium dictum, Episcopi obligati sunt ad denuntiādos eos, qui in censuras ecclesiasticas incidunt ob hanc caussam: quod tamen rarissime fit, quamuis sępe in hac re a laicis peccetur. Præceptum de hac cura adhibenda, habetur Clement. Præsenti, de censibus, & exactionibus.

Atque de his dubitationibus hactenus: nunc de restitutione eorum quæ venatione, aucupio, piscatuque acquiruntur nobis disputandum est.

An

An leges quæ venationem, aucupium, piscatumque prohibent, sint iustæ. *Quæst.* XXXIIII.

VT explicare possimus quando, & qua ratione sint ad restitutionem obligati, qui animalia capiunt; ea difficultas prius examinanda est, an leges quæ venationem prohibent sint iustæ nec ne. Et quod huiusmodi leges non sint iustæ his rationibus demonstrari potest.

Primo, ea quæ sunt communia possunt ab omnibus lege naturæ, seu iure gentium occupari: at feræ, pisces auesque sunt omnibus hominibus communes, Inst. de rerum diuis l. 1. ff. de acquir. pos. & Cicero libro primo officiorum: quare possunt ab omnibus occupari: ergo contra naturæ legem eorum occupatio per humanas leges prohibetur.

Secundo, venatio & piscatus, atque aucupium sunt de lege naturæ; estque hic modus quidam uiuendi maxime naturalis, quo homines sibi uictum parant, ut Aristoteles libro primo politico capite 5. docet, & ex l. 1. & 3. ff. de uenat colligitur: quare talis uiuendi ratio non poterit per leges humanas sine iniuria prohiberi.

Tertio, nullus Princeps, vel dominus potest sibi applicare, quod est commune toti populo, nisi consentiente populo, qui debet suo Principi alimenta ex publico tribuere: ergo male faciunt Principes, qui contra populi uoluntatem loca ad venandum publica sibi propria auctoritate v surpant.

Circa hanc difficultatem sunt duæ oppositæ scriptorum sententiæ, quarum prima fuit eorum, qui existimarunt leges quæ prohibent venationem in locis communibus esse illicitas. Ita Ostiensis, Ioan. Andr. c. non est, de decimis, Decius consil. 197. & 271. Matt. Afflict. in constit. Neap. lib. 3. & denique Iason testatur esse communem, consf. 119. lib. 4.

Secunda opinio Glossæ dist. 86. can. Qui uenatoribus, Tur-

Turrecrematæ ibidẽ, Medinæ, Codice de rebus reſtituẽ dis, quæſt. 12. Couarruuias Relectione in regulam, Peccatũ par. 2. §. 8. Caietani tract. 17. cap. 12. Ioan. Fabri, §. flũmina, Inſt. de rerũ diuis. Sylu. ureb. Venatio, Sebaſt. Medic. tract. de Venat. & piſcat. quæſ. 5. Soti lib. 4. de iuſ. & Iure, quæſ. 6. art. 5. qui doctores affirmant huiuſmodi leges poſſe eſſe iuſtas. Hæc difficultas a nobis explicabitur uno poſito fundamento, in quo nonnullas proponam diſtinctiones, ex quibus aliquot concluſiones colligam.

Prima diſtinctio, iſte qui ſtatuit legem, qua prohibetur venatio, aut eſt dominus abſolutus, qui nullũ agnoſcit ſuperiorem: aut eſt dominus alteri ſubditus, & aliquem ſuperiorem habet.

Secunda, lex iſta dupliciter poteſt venationem prohibere, uel vniuerſaliter in omni loco, & in omni tempore, & ratione omnium animalium, & hoc uel in utilitatem communem, ne omnino animalia pereant, uel in propriam commoditatem.

Tertia, locus venationis triplex eſt; alius priuatus, muro uel ſepe circumcluſus, ita ut quæ ibi ſunt animalia non habeant libertatem naturalem eundi, quo uelint: alius quidem proprius, non tamen ſeptus, ſed patens, & apertus, ita ut animalia ibi exiſtentia exire poſſint: tertius omnino publicus, ſeu communis, in quo omnibus uenari licet.

Quarta, de hac re poſſumus dubitare, an leges iſtæ obligent ſolum ad pœnam, an etiam ad reſtitutionem, & denique, an ad peccatum, tum ratione eorum, qui leges tranſgrediuntur, tum eorum qui eas imponunt. His poſitis diſtinctionibus, ita de re propoſita ſtatuo.

Prima concluſio, uenatio iure naturæ eſt licita: & eſt modus quidam maxime naturalis, quo homines ſibi uictum quærunt: per venationem autem intelligo etiam aucupium, & piſcatum. Hanc concluſionem poſuerim contra opinionem quorundam philoſophorum

&

& hęreticorum, qui censuerunt non licere animalia occidere, & ab eorum carnibus abstinendum esse. Est itaque nostra conclusio certa fide tenenda; quam his rationibus breuiter confirmo.

Primo, auctoritate diuinę scripturæ, quę docet omnia auimalia subiecta esse homini, tanquam domino: poterit igitur illis pro sua uoluntatem vti. Dictum est enim, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, Genesis, c. 1. quę imago cōsistit in hoc, quod, vt Deus est omnium dominus, ita & homo, quod illo verbo, & præsit, aperte manifestatur. Hoc autem dominium, non tam intelligitur ratione gubernationis, cum multa animalia cura humana non indigeant, quam ratione vsus, & maxime ad uitam alendam. Et psalmo octauo, omnia subiecisti sub pedibus eius oues, & boues, volucres cœli, & pisces maris insuper pecora campi, id est omne animantium genus, quod in terris uersatur.

Secundo ex lege naturę & iure gentium apud omnes populos, apud quos hoc viuendi genus per venationem fuit in vsu. Huc accedit quod illi antiqui patres, de quibus sacra historia mentionem facit, ex uenatione uiuebant, & Apostoli piscatu.

Tertio, auctoritate Aristotelis, loco supra citato: vt hic omittam multas utilitates, quæ ex uenatione percipiuntur: & cū in re certa uersemur, nihil est cur plures rationes frustra ad stultum errorē confutandū afferam.

Secunda conclusiō, quamuis uenatio, ex se, licita sit, & maxime naturalis; tamen ex quibusdam adiunctis potest reddi illicita; quæ sunt fere ista.

Primo, si fiat cum damno alterius: ut cum per agrum alienum a uenatoribus transitur, non sine detrimento frugum.

Secundo, cum adest probabile periculum propriæ personæ: ut cum inter animalia ferocia sine diligentia & cautela venatores versantur, quod in aprorum venatione contingere potest.

Tertio, ratione temporis, vt si eo tempore aliquis venationi operam daret, quo deberet sacrum audire; aut aliquid aliud maioris momenti ex officio facere. Sunt etiam qui dicant esse illicitam in diebus festis, ieiuniorum, & quadragesimæ, quod minus placet.

Quarto, ratione personę, cui est interdicta venatio, ut clericis, De clerico venatore, c.fi. vbi dicitur, omnibus seruis Dei venationes, & syluaticas fatigationes cũ canibus, & accipitres, aut falcones habere interdicimus. Et multo magis interdicta est Monachis, cleme. I. de statu Monachorum.

Postremo, ratione legis ciuilis, a Principe impositæ, qua aliquo pacto prohibetur uenatio; an autem prohiberi potuerit, statim dicemus.

Tertia conclusio, lex, quę omnino venationem ratione omnium animalium, & cuiuscunque temporis prohiberet, esset omnino iniqua, nec vspiam talem legem extare arbitror.

Primo, quia non posset sine magno detrimento multorum, qui venatione se sustentat, absque vlla graui caussa talis lex fieri.

Secundo, quia multa detrimenta caperent agri, si omnia animalia libere uagarentur.

Postremo, quoniam talis lex non posset habere pro fine publicam vtilitatem, quo fine sublato, omnis iusta lex tollitur.

Quarta conclusio, iuste potest per leges aliqua ratione prohiberi venatio. Quoniam talis lex in commũnem vtilitatem cedere potest: quia si omnibus quocunque tempore & quacunque ratione venari, aut aucupari, piscarique liceret, omnia perirent, non sine publico detrimento, animalia: tolleretur enim publicum & honestam solatium, ac ciuitatis ornamentum.

Quare, conuenienter eo tempore quo animalia sunt fęcunda, venatio prohibetur: similiter eo tempore, quo terra est niuibus coöperta, quod tunc magna animaliũ multitudo capi soleat: ac etiam ne certis instrumentis,

occi-

occidantur,aut pedicis,& retibus capiantur. Similiter conuenienter prohiberetur,ne quis certis cibis, aut liquoribus pisces caperet.

Quincta conclusio,Princeps absolutus,potest per leges prohibere quorundam animalium uenationem, etiam quibusdam in locis publicis, etiam ad vtilitatem, & commoditatem propriam. Hanc doctrinam defendo cum meliore,& communiore sententia,quam ita confirmo.

Primo,quoniam,vt a principio quæ erant communia poterant per occupationem fieri propria eius, qui occupabat, ita etiam nunc eorum quæ communia sunt fieri potest applicatio:quare,is apud quem est publica, & libera potestas, poterit sibi ista aliqua ratione applicare.

Secundo, licet priuatis personis locum in quo alias venari fas erat, muro cingere, & prohibere ne alij ibi uenentur; igitur etiam Princeps,aliqua ratione animalia,alias communia,sua efficere poterit.

Tertio,quoniam videtur rationi consentaneum, vt Princeps,in hac honesta exercitatione,quę ad animum relaxandum, & ad homines exercendos confert, aliquid priuati iuris habeat.

Quarto,id fieri potest, ex populi tacito uel expresso consensu,quia quod est publicum,per communem uoluntatem in Principis vtilitatem transferri potest. Vt omittam antiquam consuetudinem, qua certa uenandi ratio est solis principibus concessa.

Postremo accedat communior opinio. Quare falluntur ij, qui uenandi ius, alias lege naturæ omnibus commune,non posse aliqua ratione ad priuatam personam transferri putant.Potest ergo populus cui per rerũ diuisionem certa locorum spatia sunt applicata, ea quorum usus communis est,in Regis,uel domini usum priuatum transferre.

Sexta conclusio,priuatis etiam dominis,qui superiorem habent, potest aliquo pacto priuatum uenandi ius

com-

competere. Primum, si in proprijs locis venationem prohibeant. Deinde si a subditis gratioso consensu eis hæc tribuatur facultas; vt quadam ratione sibi venari liceat, etiam in locis publicis. Postea, ex priuilegio sibi a superiore domino tributo. Ad hæc, per contractum seu pactum factum cum subditis, quos hanc ob caussam aliquo onere liberauit. Postremo, ex antiqua consuetudine. Possent etiam prohibere in publicam vtilitatem, ne certo modo & certis instrumentis capiantur, vt diximus.

Septima conclusio, Principes in his legibus condendis, & exequendis possunt non nullis modis peccare.

Primo, si vniuersaliter venationem prohiberent, ob ea, quæ supra diximus: cum etiam alij a Principe debeant esse participes huius communis, & honestæ vtilitatis.

Secundo, quando non adest facultas prohibendi, vel eo modo prohibendi, quo prohibent.

Tertio, quando feræ, quarum venationem prohibēt, notabilia inferrent damna, & illa non resarcirent: quæ sępe numero non resarciunt, quod subditi, timore impediti, damnum sibi reparari non petant, quod tamen ab alia persona sibi æquali peterent.

Quarto, si imponant graues pęnas transgressoribus, & eas exigant; præsertim pro prima vice; quia Princeps non debet quærere vtilitatem propriam parui momenti, cum magno detrimento subditorum.

Quincto, non solum peccant, si non habeant propositum non restituendi; seu non restituendo, sed etiā, quia volunt tale damnum inferri. Non secus ac fur, qui peccat damnum inferendo, & non restituendo: quare hic duo sunt animaduertenda peccata, vt Nauarrus animaduertit: & ita sunt obligati ad has leges rescindendas, cum sint perniciosæ subditis.

Denique, sunt obligati sub graui peccato ad restituēda omnia damna, quæ vel a canibus, vel a famulis aliorum agris: & bonis inferuntur, ita Astens. & Syl. ver.

rest. tertia, quæstione quarta, in fine.

Octaua conclusio, si leges quibus venatio prohibetur sint iustę, possunt obligare & obligant sub peccato etiam graui, cum est materia grauis. Leges enim ciuiles iustę, possunt ad culpam obligare, vt alias in materia de legibus contra nonnullos docebo.

Clericis, qui venationem prohibitam exercent, imposita est pœna ecclesiastica, c. fi. de clerico venatore. Quamquam uenatio caussa necessitatis, aut etiam recreationis, sit clericis permissa. Monachis etiam, si non per se, sed per alios venentur, clemen. 1. de statu Monachorum §. Porro. An autē, si contra legem faciāt, peccēt mortaliter ex pœna eis imposita satis aperte colligitur.

Atque de hac quæstione hęc sufficiant. De qua re Gabriel dist. 15. quæst. 5. art. 2. Medina, codic. de rebus rest. q. 12. Nauar. in Enchir. c. 17. num. 20. Argumenta in contrarium allata facile soluuntur.

Ad primū licet animalia lege naturæ sint omnibus communia: tamen eorum occupatio, eadem natura docente, certa quadam ratione fieri debet; vt ex dictis patet.

Ad secundum, solum probat hanc viuendi rationem non debere omni ex parte prohiberi; quod concedimus, idque supra probauimus.

Ad tertium, iam docuimus, qua ratione Princeps aliqua parte hoc ius commune sibi applicare possit: consentiente nimirum populo, qui potest commune venandi ius, aliquo pacto in Principem transferre: ac etiam Principi, ex caussa, illud sibi applicare licet.

De restitutione facienda ratione venationis, autupij, piscatusque prohibiti. Quæst. XXXV.



EGVM ad venationem pertinentiū æquitate & iniquitate demonstrata, sequitur vt de restitutione eorum, quę in venatione capiuntur, agamus.

Circa quam difficultatem occurrit speciatim dubitatio

ratio de ijs animalibus,quæ capiuntur in loco priuato, ſed tamen non ſepto,ſi quis ibi contra domini uoluntatem uenaretur. Et quod ea,quę in hoc locorum genere capiuntur,domino agri reſtituenda ſint, his rationibus perſuaderi poteſt.

Primo animalia genita & nutrita in aliquo loco, ſunt ueluti fructus illius loci: atqui fructus rei alicuius ad eum pertinent,cuius eſt res ipſa: igitur & animalia. Quare,ſi quis ea contra domini uoluntatem ceperit,reſtituere debebit.

Secundo,dominus alicuius agri,uel ſyluæ poteſt vẽdere ius uenandi in ſuo agro alicui certæ perſonę,quod facere non poſſet,niſi animalia eſſent ſua, & id ſi faceret, teneretur reſtituere; non ſecus ac ſi quis rem alienam uendidiſſet: igitur.

Tertio,apud Hiſpanos eſt lex quædã regia,l.16.par. 3.tit.28.quã,qui contra domini voluntatem in alieno fundo uenantur,coguntur reſtituere capta animalia,domino fundi:cuius legis iuſtitia in eo fundata eſſe videtur,quod,quæ in alieno agro animalia capiuntur, eſſe debeant eius,qui eſt loci dominus: igitur.

Quarto,ſi quis inuito domino venetur in alieno agro,facit ei iniuriam,l.iniuriarum §.vltimo ff. de iniurijs:igitur tenetur reſtituere.

In hac difficultate fuit opinio quorundam,qui exiſtimarunt in hoc caſu faciendam eſſe reſtitutionem: ita Glo.§.ferę Inſt.de rerum diuiſ.Alber.l.Diuus ff.de ſeruit.ruſt.prædiorum:ſed hi loquuntur in foro exteriori.

Alij uero,quorum ſententia eſt communior contra cenſuerunt: ut Ang.Paul.Caſtrenſ. in d.l. Diuus. Medin.q.12.Couar.in releċt.par.2 §. 8. & eſt communior. Vt autem quid de animalium captorum reſtitutione tenendum ſit, explicem, vnicum pono fundamentum.

Cum animalia ſint iure naturæ communia,ut alicuius certæ perſonæ eſſe cenſeantur, debent aliquo pacto fieri propria per occupationem, & comprehenſionem. Nec cenſenda ſunt occupata,& comprehenſa ea ſolum

quæ manu, sed etiam, quæ in aliquo loco septa tenentur, ita vt non habeant eam libertatem, quam eis natura dedit, eundi quo velint, contra uoluntatem eius, a quo detinentur, & si egrediantur facile impediri possint: ut patet de apibus, columbis, gallinis, & alijs similibus animalibus, quę septo continentur loco. Nec propterea quod aliquando extra locum egrediuntur, non censentur esse domini illius loci, cum ita egrediantur, ut eo redire soleant: ut patet ex §. feræ Instit. de rerum diuisione. Quo fit, ut si quis contra domini uoluntatem ea capiat, restituere debeat. Animalium itaque, alia sunt Syluestria, alia domestica, quæ sub hominum cura conseruantur: rursus alia propria, alia communia; & hæc alia sunt certo loco circumclusa, alia vero non ita.

Quo etiam loco animaduertendum est, aliud esse habere ius ad uenandum, aliud uero habere ius in rem ipsam, quę venatione capi potest. Nam dominus fundi, in quo animal residet, aut quo accessit, habet quidē ius uenandi, sed tamen non habet ius in feram antequā eam occupauerit, sed fera uaga remanet communis, quocunque in loco sit. Sicuti ante rerum diuisionem, quisque habet ius ad rem aliquam occupandam; tamē non habet ius in rem ipsam antequam eam occupet. Quare, si quis habeat locum in quo sint ferę, qui locus non sit aliqua ratione munitus, ita ut feræ inde secundum naturalem libertatem exire non queant, potest quidem impedire, ne quis suum fundum ingrediatur ad uenandum, sed tamen in feras ibi existentes nullum habet ius; cum non dum eas aliqua ratione occupauerit, etiamsi ibi nidum faciant, & commorari soleant. Atque ex his facile proposita explicabitur difficultas.

Prima conclusio, si quis capiat animalia publica, in loco publico, etiam existente lege, ne capiantur, non tenetur restituere: quæ conclusio his confirmatur rationibus.

Primo, ex communi doctorum sententia, ita Sotus, Medi-

Medina, Nauarrus, Syluest. verbo venatio, & alij multi, quos sine necessitate citare nolo.

Secundo, leges quæ prohibent ne capiantur animalia, non prohibent dominium, si per venationem acquiratur, sed vsum venandi: quare, si quis venando eorum dominium acquirat, non erit ad restituendũ obligatus.

Tertio, in hac venatione nemini fit iniuria: ergo, si quis venando animalia occupet, nihil restituere debebit: quod sumptum fuit, est manifestum; quoniam cum sint communia, eius esse censentur, qui primo occupauit: ut patet Inst. de rerum diuis. §. Feræ igitur.

Secunda conclusio, domestica, aut non domestica animalia capere in loco septo, est peccatum mortale, & obligat ad restitutionem. Doctrina est communis & manifesta, quia occupatur alienum inuito domino & confirmatur ex §. Gallinarum, Inst. de rerum diuis. Addit Nauarrus, quod etiam ij tenentur restituere, qui solum occidunt, in loco proprio septo, vt in viridario.

Tertia conclusio, capere animalia extra locum septum, quando redire solent, ut patet de columbis, & gallinis est peccatum graue obligans ad restitutionem. Est conclusio communis, & patet ratione a simili, de eo, qui occuparet seruum alienum, qui domum redire solet.

Quod si ita egrederentur, & uagarentur, vt non amplius redire videantur, capi possent: vt si essent a loco septo remota, & late extra territorium diuagarentur: siquidem per fugam, seu liberam euagationem, libertatem recipiunt, §. feræ, Instit. de rerum diuis. Qua in re standum esset legibus particularibus, & consuetudini locorum.

Quarta conclusio, capere animalia in loco alieno, non tamen septo, etiamsi id cum iniuria domini fiat, licet possit esse peccatum, quia fit inuito domino: tamen non obligat ad restitutionem.

Primo, confirmatur hæc conclusio per l. si in laqueũ ff. de acquirendo rerum dominio, vbi habetur, quod si

quis capiat feram in laqueo alterius, quocunque loco id fiat, licet. Ad quod accedit etiam communior Doctorum sententia.

Secundo, illa animalia, vt patet ex fundamento positō, non sunt propria eius cuius est fundus, sicuti sunt fructus: quare, si quis ea capiat, non occupat alienum, ac proinde erit a restituendo liber.

Quod si extaret lex, ne quis inuito domino in fundo animalia caperet, ea restituere deberet. Cuius legis fundamentum illud esset, quod non liceat occupare venandi ius, quod quis in suo fundo habet.

Quincta conclusio, si quis caperet animalia in fundō alicui pecunia ad venandum locato, non esse obligatus in conscientia ad ea, quæ cepit restituenda: quam conclusionem fortasse iurisperiti non facile concederet; sed tamen a se hanc habet firmam rationem. Quoniam etiam ista locatione facta, adhuc fere remanent, ex se, communes; eius igitur erunt, qui prius eas occupauerit. Limitant Medina & Couarruuias hanc doctrinam, quorum limitatio, ut sequenti conclusione dicam, minime placet.

Sexta conclusio, qui contra uoluntatem domini in alieno fundo venatur, non est obligatus ad restituendum ratione damni, quod inde sequitur, quia dominus ibi solitus est venari, vel venandi ius alijs vendere: in quo casu citati doctores obligant eum de quo loquimur ad damni restitutionem: sed nulla est ratio necessaria, quæ id demonstret. Quoniam, vt diximus, semper animalia remanent communia, & ita non potest uēdi ius ad ea occupanda, quamuis uendatur ad uenandum, per quod potest aliquis prohiberi ne in certo loco uenetur: non tamen obligatur ad restituendū, quod ceperit. Potest tamen fundi dominus prohibere, ne quis suum fundum ingrediatur uenandi caussa: & eum qui contra fecerit in ius uocare.

Septima cōclusio, lex quę prohibet ne animalia certo tempore capiantur, nō obligat ad restitutionem. Est

hęc

hæc conclusio contra quosdam Summistas, quorum opinio nullam habet probabilitatem: siquidem, vt recte docet Couarruuias, eadem est ratio de quocunque tempore: cum semper sint communia. Verum tamen est, quod posset esse grauius peccatum, ut si occiderentur, eo tempore, quo sunt fœcunda, siue grauida.

Septima conclusio, in foro exteriori, qui faciunt contra leges, quæ venationem prohibent, tenentur ad pœnam soluendam, sed non ante sententiam latam, & eius executionem: iuxta ea, quæ supra docuimus.

Octaua conclusio, Qui animalia existentia in loco priuato per artem ad locum publicum traduxerit, & ibi ea ceperit, ad nullam tenetur restitutionem. Intelligitur hæc conclusio, de ijs animalibus, quæ uagari solent, & quæ non sunt aliquo pacto facta propria. Doctrina est plana: quia, cum non sint occupata, occupari possunt, sine alterius iniuria, etiamsi arte fiat, secus dicendum esset de domesticis.

Nona conclusio, qui aliquem per uim impediret ne in loco publico uenaretur, peccaret, & esset obligatus ad restitutionem. Patet, quia impeditur cum iniustitia ab alicuius boni consecutione.

Decima conclusio, quæ diximus de venatione intelligenda etiam sunt de piscatu, si qua in parte maris, vel fluminis esset prohibitus, vel si in aliquo certo loco pisces essent inclusi.

Idem de apibus, antequam in aluearia includantur, quæ possunt occupari, etiam domino agri in quo sunt inuito, iuxta ea, quæ diximus, & l. naturaliter §. Pauonum, & §. ceruos. ff. de acquirendo rerum dominio: ita Naut. cap. 17. num. 128.

Sed quid dicendum est de fera quæ ab vno fuit vulnerata, & ab alio capta, vel de animalibus, quę in alienis laqueis inuenta capiuntur? leges ciuiles uolunt ista esse occupantium, §. illud quæsitum, Inst. de rerum diuisione: qua in re, si quid priuato iure esset sancitum, illud seruandum esset. Atque de his hactenus: nunc ad argu-

menta respondeamus.

Ad primum, falsum est animalia esse veluti agrorum priuatorum fructus, cum certo non contineantur in loco; etiamsi certo in loco commorari sint solita.

Ad secundum, esto possit vendi ius venandi, non propterea venduntur animalia; quæ in loco continentur; cum ipsa remaneant communia, vt iam diximus.

Ad tertium, lex illa est pœnalis, inflicta ei, qui per iniuriam, in alieno fundo venatur: ita respondet Medina: eodem modo, sed cum dubio respondet Sotus: quæ tamen responsio non placet Didaco: aitque legem illam obligare in foro conscientiæ ad statim restituendam: cum per eam applicetur priuatæ personæ; quod nondum erat occupatum.

Ad quartum, solum probat hoc non fieri sine peccato, quod concedimus.

De columbariorum vsu, & de cędendi atque pascendi iure, deque locorum custodibus.

Quæst. XXXVI.



VOD attinet ad columbaria, solet a scriptoribus dubitari, an sint licita. Et ratio dubitandi ea est, quoniam columbę magnum solent afferre detrimentum satis & segetibus: & propterea non possunt, sine aliorum detrimento, in magna copia in columbarijs proprijs detineri.

Quidam affirmare uidentur columbaria non esse licita: & eos qui columbaria habent esse obligatos ad damna resarcienda. Ita Palud. 4. sent. dist. 15. quæs. 2. art. 2. Maior eadem distinct. quæst. 28. Anton. 2. parte. tit. 1. cap. 12. §. 21.

Alij vero dicunt esse licita ex his duobus capitibus; Primo, quia nulla lege prohibentur: secundo, quoniam adest saltem tacitus populorum consensus.

Alij dicunt; ex se esse licita; tum quia parum nocent:

esent: tum quod si non essent columbaria, adhuc columbę essent & nocerent: tum etiam quia prosunt agris suis stercoribus.

Denique Nauarrus capite 17. num. 126. duo dicit.

Primum, qui habent columbaria regulariter nō peccant, ubi non est lex, quæ ea prohibeat, & est consuetudo, quæ ea permittat.

Secundum, quando constaret de notabili damno, illud sarciendum esset. Vt si quis haberet columbaria columbarum plena, & nullos haberet agros circum circa. Huic dubitationi breuiter respondeo per has conclusiones.

Prima conclusio, columbariorum usus, uniuerse loquendo, non est damnandus; cum ex multis capitibus eius iustitia demonstrari possit.

Primo, quoniam magnam utilitatem & commoditatem loca in quibus columbaria ædificantur, ex columbis capiunt: sicuti ex alijs domesticis auibus; vt omittam, quod eorum excrementa mirum in modum cōferunt ad stercorandum agros.

Secundo, quoniam non tantum afferunt damnum, quantum aliqui arbitrantur: tum quia à dominis colūbariorum nutriri solent: tum etiam, quod solum paruo tempore, quando sementes fiunt, nocere possunt: & denique, quoniam pauci, aut nulli sunt, qui ædificent columbaria, ubi suos non habeant agros: ut omittam, quod nō nihil suis stercoribus agros fœcundant, & vermes consumunt, & quod ingeniose quidam adnotarunt, si columbæ nō essent domesticę, essent syluestres. Quare, vt aliqua parte nocent, ita etiam prosunt.

Tertio, ex communi quodam consensu, ni expresso, saltem tacito populorum, seu communitatis locorum, dum non conqueruntur de columbariorum usu, nec restitutionem damnorum petunt; ad quam faciendam non obligarem eos, qui columbaria ædificant, cum de nocumento allato probabilem habeant ignorantiam, præsertim cum uideant agricolas aliquam adhibere ad-

columbas abigendas curam, illis paucis diebus, quibus aliquid damni afferre possunt.

Secundam conclusio, si columbarum domini essent certi de aliquo maiore damno, a suis columbis alicui præsertim pauperi illato, deberet illud resarcire: quod tamen raro accidet. Quare, non placet eorum opinio, qui in hac re sunt nimis scrupulosi: & eos peccare mortaliter putant, qui columbaria edificant sine licentia eorum, qui habent agros uicinos. Quod si in hac re esset aliquod priuatum statutum, ne quis ædificaret columbaria, nisi certam possidere terræ partem, illud seruandum esset.

Tertia conclusio, qui occidunt columbas in locis a columbarijs non valde remotis, vel intra certum terminum a lege statutum, peccant, & restituere tenentur. Nam, vt supra diximus, huiusmodi aues sunt propriæ eorum, quorum sunt loca in quibus habitant, ad quæ redire solent. Doctrina est communis, & speciatim Medinæ, & Nauarri. Quod si omnino censeretur vagæ, vel extra terminum præscriptum occiderentur, caperenturue, nulla facienda esset restitutio.

Quarta conclusio, qui aliqua arte, vt certo granorum genere alienas columbas ad suum columbarium traheret peccaret, & restituere deberet: esset enim occupatio quædam rei alienæ per dolum, & proinde non sine iniustitia. Idem dicas de ijs, qui aliqua arte alia animalia domestica ad se allicerent, ita ut priorem dominum, vel locum desererent.

Limitat hanc Doctrinam Nauarrus, quando id non tam fieret ad alienas columbas attrahendas, quam ad suas pascendas, & retinendas. Atque de hac dubitatione satis.

Quod attinet, ad lignorum Cæsionem, quid dicendũ sit alijs conclusionibus explicabo, una proposita distinctione: aut locus, in quo ligna ceduntur, est communis alicuius ciuitatis, vel communitatis, aut proprius & certæ personæ: & quod de sylua & lignorum incisione di-

cam,

eam, intelligendum etiam est de animalium pastione, & iure pascendi.

Prima conclusio, posset princeps, aut aliqua communitas prohibere per leges, ne aliqua sylua cederetur, aut ne in aliquo loco animalia pascerentur. Quoniam talis prohibitio ad certum tempus facta, posset cedere in magnam utilitatem totius communitatis: Immo huiusmodi leges necessariæ videntur; quia ni id fieret, paruo temporis spatio, ciuitates & oppida non haberét, ubi ligna cederent, aut pascerent. Quoniam, cum bona communia sunt pro volũtate exposita ciuibus & oppidanis, facile a quouis diripiuntur. Qua in re prudenter se gerunt Oppidani mei, qui earum syluarum quas possident partem, communi usui pro certo tempore exponunt, partem intactam reliquunt, quam alio tempore cędant, dum in alia iam cęsę arbores succrescunt.

Secundum dictum, huiusmodi lex posset esse aliquando illicita.

Primo, si pęna non esset par culpæ, vt si imponeretur pęna corporis: quæ esset nimis acerba; cum isti qui contra has leges faciunt, non sint proprie loquendo fures.

Secundo, quando esset pęna pecuniaria, sed nimis magna: modo, non esset facta nimia lignorum strages.

Tertio, quando lex ita tolleret usum syluarum, & pascuorum, ut subditi non possent habere ea, quæ sibi essent necessaria: quoniam ex communibus bonis, quod cuique est necessarium, negari non debet.

Tertia conclusio, quando Princeps venderet, aut donaret, aut sibi applicaret syluam, vel pascua communia, quia cõmunitas iniuste suo iure priuaretur, adhuc alij possent ligna cędere, & pascere, & ad nullam restitutionem, vel pęnam tenerentur. Ratio est manifesta, quia iste, cui publicus locus venditus esset, non haberet in illum maius ius, quam haberet princeps; ergo si cuiuis antea quilibet poterat ex illo loco utilitatem capere, ita & post. Qua in re, an Principes interdum peccent, ipsi uideant.

Quar-

Quarta conclusio, quando aliquis cędit communem syluam, stante lege de nõ cędendo, iste peccat grauius, vel minus grauiter pro ratione damnorum, non tamen teneretur restituere, sed deberet pęnam soluere post latam sententiam, & sententiæ executionem. Doctrina est perspicua, ex ijs quæ sæpe dicta sunt.

Limitatur tamen, in eo casu, in quo facta fuisset maxima lignorum strages; ita ut alij non possent solitam utilitatem ex communi bono capere: cum ex ijsque communiter possidentur, sit cuique sua pars relinquenda.

Quincta conclusio, quando sylua, uel compascuus ager esset applicatus ad proprium communitatis usum, absque iniustitia, ibi cędere, aut pascere non liceret. Quoniam in hoc casu communitas non vult, vt cuique pro sua uoluntate liceat suam partem accipere: sed alia ratione, uult ut hoc commune bonum in communem vtilitatem cedat. Non secus, ac si quis ex publico ærario pecunias caperet; qui proculdubio restituere deberet.

Sexta conclusio, si syluę, uel pascua sint alterius communitatis, qui ibi cęderet, aut pasceret, restituere deberet. Quoniam id vsurpat, quod alterius est: intellige, quando locus esset possessus in priuatum usum ciuium, ita ut inde soliti essent utilitatem capere: & quando communitates, seu oppidani non sunt soliti, uti indifferenter locis in finibus positis: excusaret etiam a restitutione illati damni paruitas.

Septima conclusio, quando sylua, uel ager esset priuatæ personę, qui ibi cędit, aut pascit, qui damnum inferret, teneretur restituere. Doctrina est manifesta, quia occupatur id, in quod nullum habetur ius. Excusaretur tamen aliquis a peccato, si necessitate coactus id fecit, cum non haberet locum ubi pasceret, aut cęderet: teneretur tamen ad damni compensationem. Quod si ex paupertate id aliquoties fecisset, nec peccaret, nec resti tuere deberet.

Ex

Ex his quæ dicta sunt, colligere licet, quantum erret quidam, qui existimant syluarum & pascuorum, usum ita esse communem, vt sine peccato liceat in syluis cędere, & pascere, de quibus meminit Alphonsus a Castro, libro primo de lege pœnali capit. 2. ubi ait se sępius de hac re fuisse interrogatum & contrarium respondisse. Ait in hoc errore esse concionatores quosdam, qui a populis hac de re interrogati, docent rem esse licitam: & se vix contrarium suadere potuisse: cum id pro vero omnino habeant, quod concionatores docent: qui aliquando non sunt tanta doctrina imbuti, quanta esse deberent: cum tamen se tanquam Doctores a Deo missos ad populos docendos exhibeat. Immo ait, se id sępe audiuisse ab ijs, qui pro doctis habentur. Sed de hac dubitatione hactenus; cui merito succedit alia de locorum custodibus, cum syluis & locis publicis custodes præficiantur, ne ibi damna fiant.

Quod igitur ad hanc difficultatem de custodibus qui alicui loco uel negocio præficiuntur attinet, quęritur, an isti semper peccent, & restituere teneantur, si non impediant, aut deferant eos, qui damnum inferunt, si negligentes fuerint; si se corrumpi permiserint; cui dubitationi, supposito prohibitionem de cędendo, pascendo, venandoque esse iustam, non tyrannicam & iniquam, his conclusionibus satisfacio.

Prima conclusio, posita prohibitione legitima, possunt custodes cum cędentibus pascentibus venantibus, & alijs sine peccato & obligatione ad restituendum, dissimulare, his tribus concurrentibus.

Primum, si cędentes sint necessitate constricti; quæ necessitas tanta esse debet, vt eos a culpa furti excuset.

Secundum, ut custodes habeant huius necessitatis notitiam; quia, si eam ignorarent, aut dubitarent, deberent suo officio fungi.

Tertium,

Tertium, vt isti tantum capiant, quantum necessitas exigit: quia si plus acciperent, non excusarentur a furto. Si ergo hæc tria concurrant, poterunt custodes dissimulare: quia hic intercedit, aut intercedere deberet dominorum consensus.

Quanta autem debeat esse necessitas, ob quam custodibus dissimulare licet, non potest certa ratione definiri; nisi esset extrema, aut quasi extrema.

Rursus posset etiam custos dissimulare, quando probabiliter crederet, quod etiam dominus animalia, aut fructus capere, aut ligna cædere permitteret: vt si esset domini amicus, propinquus, si alias ipse permisisset. Verum tamen est, quod multi a domino licentiam venandi, vel cædendi, vel aliquid capiendi obtinerent, si eam peterent; quam non petendo, cum facile possent, dominus non consentiret, ac proinde hi ex officio prohibendi, aut capiendi, aut deferendi essent.

Secunda conclusio, si certum esset venatorem, lignorum incisorem, & vniuerse alterius boni occupatorem esse obligatum ad restituendum, si custos suo officio non fungeretur, restituere deberet: quia, licet non concurrat positiue ad furtum: tamen, quia ex officio stipendiatus rem domini tueri debet, iniuste ageret; ac proinde esset restitutioni obnoxius.

Tertia conclusio, quando aliquis acciperet rem, cuius acceptio est lege prohibita, solum teneretur ad pœnam post sententiam soluendam; ut si quis ligna in cómuni sylua sub custodia munita cæderet; custos tamen adhuc teneretur ad restituendum, si ob suam dissimulationem & negligentiam damnum illatum fuisset. Ita Medina quæst. 12. versus finem: qui ait hunc esse unum casum in quo principalis damnificator in conscientia nó tenetur, tenetur tamé qui concurrit. Quoniá ille diuersa obligatione tenetur, atque iste, ille tenetur ex lege & statuto, more ve patriæ; hic uero ratione officii, promissionis, vel etiam iuramenti ad seruanda illæsa bona domini, qui iustius de custode, quá de usurpatore

patore conqueri potest: cum qui rem capit, sese pęnæ luendæ periculo subijciat, a quo solam pęnam iure repetere licet. Quare custos ad custodiam stipendiatus, erit obligatus, ad restituendum in conscientia, iuxta quantitatem damni illati, aut pęnę, quæ de iure erat domino applicanda, si non dissimulasset: & optio erit apud dominum, vt Medina scribit.

Tertia conclusio, quando prohibitio venandi, cędendi, &c. esset iniqua, & contra iustitiam, custos non teneretur ad suum officium præstandum, etiamsi adesset iuramentum, quod non potest esse iniquitatis uinculum; immo non posset hoc officium tuta conscientia exercere, cum ei constaret prohibitionem esse iniustam: quia esset iniustitiæ minister.

Quarta conclusio, custodes qui cum uenatoribus, & lignorum cæsoribus dissimulant, vt libere venentur, aut cædant, ut eos postea accusent, grauissime peccât.

Primum, quia faciunt contra pręceptum de correctione fraterna, cum debeant admonere ne peccet: neque enim minus tenemur labentem sustinere, ne cadat quam lapsum erigere.

Deinde, peccant contra fidelitatem dominis locorum debitam; cum sint obligati ad eius damnum euitandum.

Postremo, faciunt contra caritatem; quia simus obligati ad uitandum proximi damnum; quod isti non faciunt, cum eum errare permittant, vt deinde pœnas luat. Quod si pœna, qua isti puniuntur in utilitatem dominorum cedat, custodes eis pro damno illato restituere debebunt. Quoniam, mutus ex officio, ad loquédum est obligatus, ac proinde si tacet, quod ex sua taciturnitate nascitur damnum, resarcire debet.

De custodibus rursus mentio fiet inferius cum de participantibus in maleficio, instituta erit disputatio. Atque hic sit huius quæstionis finis.

De

De natura, & iustitia ludi, quid & quotuplex sit ludus. Quæst. XXXVII.

INTEGRUM fieri posse de ludo tractatum, non me latet; faceremque si suscepti operis ratio id a me postularet. Breuiter itaque de re, de qua late disserere potuissem acturus, primum de ludi natura aliquid uniuerse dispu tabo: deinde de ludi alearum honestate priuatim: postea de personis, quibus non licet ludere, ludumve spectare: præterea de forma, & legibus ludi: ad hæc de restitutione eorum, quæ per ludum acquiruntur: postremo, an qui sub credito lusit, soluere teneatur, si quid perdidit.

De hac materia scribunt Scholast. 4. sent. dist. 15. Canonistæ tit. de uita & honest. cleric. summistæ. verbo ludus. Diuus Thomas, 2. 2. q. 168. Nauar. in ench. c. 20. Paris a Puteo tract. de ludo, Ioan. Bapt. Cacciatupus, tract. de ludo, Adrian. in materia de restitutione cap. Quia in superioribus.

Quod igitur ad primum attinet, hac disputatione, de nomine, diuisione, definitione, deque ludi uniuerse sumpti honestate paucis agam.

Nomen ludus, uarias habet significationes: aliquando idem significat, quod lusus, id est quandam exercitationem uoluptatis & animi relaxandi caussa susceptam. Ita bonus accepit poeta, cum dixit,

Quis est nam ludus in undis?

Aliquando idem quod ioci, facetiæ nimirum, & dicta non sine lepore, de quibus integri scribuntur libri.

Illud autem inter ludum & iocos solet assignari discrimen, quod ludus sit in rebus, ioci vero in verbis: de quibus Cicero in libro tertio oratorio non nihil scripsit; & nos in libris de arte dicendi, fauente Deo, scribemus. Interdum, ut Seruio placet, ludus ponitur pro

can-

cantilena: ut etiam non raro pro loco in quo aliqua exercetur ars: unde, ludus literarius, & ludi magiſter: & in numero multitudinis, ludi idem quod ſpectacula ſignificant.

Denique, ne plures ſignificationes proſequar, ludus, ſeu ludere in diuinis literis pro re facili, quæ ſine labore, & cum delectatione fit, accipitur; vt cum de ſapientia diuina hunc lucentem mundum fabricante dicitur, Ludens cum eo in orbe terrarum. In hac noſtra diſputatione, ludus ſumitur pro aliqua ludrica actione, quæ animi relaxandi, & corporis exercendi cauſſa fit, cum aliqua lucri ſpe: ut planius inferius dicetur. Atque de nomine hactenus: nunc de diuiſione.

Ludus vniuerſe ſumptus, ſolet diuidi in ſpiritualem, humanum, & diabolicum. Spiritualis ludus nihil aliud eſt, quam delectatio illa interior animæ, quam bona cõſcientia, & honeſta actio ſecum affert. Eſt enim uirtus per ſe delectabilis: & ſecura mens iuge conuiuiũ, vt ſapiens ſcripſit. Humanus, qui animi reficiendi, & corporis exercendi cauſſa ſuſcipitur: qui uerbis, uel rebus fit, vnde varia oriuntur ludorum genera, pro varietate rerum in quibus homines ludendo ſeſe exercent; ut olim apud Romanos; de quibus integri extant ſcripti libri. Diabolicus is uocatur, qui, cum non ſit ſine peccato, dicitur a diabolo inuentus, qualis eſt ludus per irriſionem; ut cum proximus aut res aliqua diuina verbis geſtuve aliquo irridetur, uel cum alicuius turpitudinis pronuntiatione, aut demonſtratione, aliorum excitatur riſus, ad quem aliqui reuocant ludum fortunæ, ut eſt ludus taxillorum, & tabularum; de quibus, an ex ſe turpitudinem habeant, poſtea dicetur.

Vnde poſſes ludum diuidere, in ludum honeſtum, & turpem, in eum qui fit uerbis, & in eum qui operibus; & in ludum qui pendet ex fortuna, & in eum qui ex arte; & ſi vis addere, eſt etiam quidam ludus miſtus, qui partim ex arte, partim ex fortuna pendet, vt tabularum ludus.

Quidam, ex parte finis presertim, diuidunt in ludum ad deuotionem excitandam, ad corpus uel ingenium exercendum, ad delectationem dandam, vel capiendã, & ad aliquid lucrandum, de quo nos potissimum dispu taturi sumus. Atque hæc de diuisione quantum ad rem nostram pertinet dicta sufficiant: sequitur, ut nonnullas definitiones, quibus ludus finiri solet, afferamus.

Ludus a Marian. Socin. cap. Inter dilectos, de exces Prælat. hunc in modum describitur. Ludus est actus cessationis, vel recreationis, quandoque ex sola fortuna, interdum ex industria, nonnunquam ex vtroque proue niens. A Caccialupo in suo tractatu deludo, nu. 1. hoc pacto. Ludus est interpositio quædam voluptatis, per quam facile prodimus in lacrymas; Vel est, per actum facti delectabilis quandoque uirtutis gratia parati, quã doque lucri, quandoque uoluptatis tantum cessatio a negotijs.

Sed fortasse melius ita describeres, Ludus est operatio exterior animi relaxandi caussa suscepta. In hunc enim finem inuentus institutusque est ludus uniuerse, sumptus, vt animus relaxetur, viresque defatigatæ instaurentur: quod si quid aliud ex tali operatione quæra tur, id superuenit ludo, vt spes gloriæ comparandæ, aut lucri acquirendi, & quia de eo ludo nos speciatim disputaturi sumus, qui pro fine habet lucrum, posses in al lata definitione, loco illorum verborum, animi relaxãdi gratia, dicere, lucri gratia.

Quod si hoc pacto ludum sumas, & ut est contractus quidã inter ludentes, eũ sic describeres, Ludus est cõtra ctus conditionalis, quo ex euentu, exposita acquiritur, aut amittitur pecunia. Atque ex his aliquo pacto ludi natura nobis innotescit.

Nunc quod attinet ad ludi honestatem, primum age mus de honestate ludi uniuerse discurrendo per varias ludi species supra numeratas: deinde speciatim de ludo alearum, & secundum leges humanas: de primo has sta tuo conclusiones.

Prima

Prima concluſio, ludus ſpiritualis, qui eſt ſecundum Deum, eſt honeſtus & laudabilis. Quoniam eſt delectatio quædam rationi conſentanea, quæ naſcitur ex virtute tanquam propria paſſio: igitur bonus & honeſtus. Quare male Dauidis vxor eum redarguebat, quod coram arca Dei, diuino repletus gaudio, luderet 2. Regum c.6. Huc pertinent, quæ de ſpirituali uoluptate, & delectatione in Canticis leguntur. De qua re lege aliqua in noſtro opere de Interiore homine.

Secunda concluſio, ludus qui conſiſtit in verbis iocoſis ab omni turpitudine alienis, eſt laudabilis & honeſtus. Doctrina eſt manifeſta apud omnes Philoſophos, qui de moribus ſcribunt. Ita Plato dial. 4. de rep. Ariſt. lib. 4. Eth. Ambroſius, & Cicero lib. de officijs, Alexander Alen. Diuus Thomas, & Theologi omnes. Quo fit, ut ſi quis cum modo & ratione iocetur, ſi ſit in gratia conſtitutus, gratiæ augmentum mereatur: Quod ſi quis ſolam delectationem iocando pro fine haberet, is peccaret venialiter.

Tertia concluſio, ludus diabolicus, ſiue turpis, cum proximus vel res diuinæ irridentur, ex genere ſuo, eſt peccatum mortale: eſſet tamen veniale, vel ex leuitate materiæ, vel ob actus imperfectionem, cum non adeſſet plena deliberatio. Doctrina eſt communis, & per ſe manifeſta.

Quo loco admonuerim, iocos ex uerbis ſcripturæ ſumptos, ſpeciatim damnatos eſſe a Concilio Tridentino ſeſ.4. a quibus omnino abſtinendum eſt.

Quarta concluſio, ludus qui conſiſtit in ſaltationibus, & laruis, ex ſe, non eſt peccatum, ſi animi cauſſa, & modeſte ſuſcipiatur. Verum ex circumſtantijs raro eſt ſine peccato ueniali, & interdum non vacat mortali.

Quincta concluſio, ludi in corporis exercitatione poſiti honeſte fieri poſſunt. Immo videntur in rep. neceſſarij ad iuuentutem exercendam, ad uires confirmandas, & dexteritatem acquirendam.

Primum probatur hæc concluſio grauiſſimorum, &

optimorum hominum exemplo,qui post susceptos,uel in studijs,uel in rebus serijs agendis labores,ad aliquã corporis relaxationem,per corporis exercitationẽ,uel ludicram operationem sese contulerunt, & quoniam nolo esse in re manifesta in recitandis exemplis nimius poterit,si quis ista cognoscere cupit legere Franciscum Patritium lib.3.de regno,tit.9.vbi multos refert principes,qui pilę ludo delectati sunt,Valer. Max. & alios, qui de exemplis scripsere:& in uitis sanctornm patrum non nulla exempla huc pertinentia,referuntur,de quibus Cassianum lege. Et ut quidam auctor Græcus,referente Stobeo,aiebat,vita sine iocis,est ueluti iter sine diuersorio. Huc facit illud, quod Hieronymus scribens ad lętam,dicebat,Experimento didici,asellum in uia cum lassus fuerit,diuerticula quærere.

Non est itaque, ut Anacharsis Scyta dicere solebat, turpe aliquando modestis lusionibus delectari,ut alacrior ad philosophiam fiat reditus: sed cauendum est, Ne quid nimis; Quia, vt sapienter Publianus scripsit, Arcum intentio frangit,animum remissio.

Secundo,accedat ad auctoritatem ratio:quia hoc genus ludendi, ex se,non est malum:ergo si alicuius honesti finis caussa suscipiatur,laudabile erit.

Sexta conclusio,quiuis ludus,alias ex se non malus, cum alicuius honesti finis caussa non suscipitur,saltem est peccatum ueniale: Quoniam omnis humana actio ex se indifferens,si fine honesto careat,est etiam honestatis expers,cum bonum,ut Dionysius Areopagita scribit,sit ex integra caussa,hoc est,ut ad rem nostram hoc pronunciatum accommodemus, actus humanus non est bonus,nisi sint omnes circumstantię bonę.Si ergo a ludo, qui ex se est actus indifferens, hoc est, nec bonus,nec malus absit bonus finis,erit malus. Quo fit,ut omnis ludus,vel gloriæ,vel lucri, vel solæ delectationis caussa susceptus,nisi in honestum finem referatur, sit peccatum veniale.

Septima conclusio, in ludos honestos aliquos sum-

ptus facere licet. Ita Sotus lib.4.de iust. & iure, q. 5. art. 2. idque ex ea patet ratione, quod si licet facere sumptus in cibos, quibus sustinetur corpus, licebit etiã aliquid impendere in ludos, quibus etiam animus recreatur.

Octaua conclusio, ludus alias licitus, vel non malus, in multis casibus posset fieri illicitus, ita vt peccetur mortaliter, quos breuiter hic recensebo.

Primus, ratione loci, vt si ludi profani exercerentur in ecclesia; veluti ludi theatrales, & comediarum actiones. Huc facit, quod Christus ementes & uendentes eiecit e templo, quod cum sit orationis domus, non debet fieri spelunca latronum. Quare folijs, & taxillis in ecclesia cum irreuerentia notabili ludere, esset peccatum mortale: a quo excusari possent, milites eam custodientes, si otij fugiendi caussa ibi modeste luderent.

Secundus, ratione temporis, vt aliqui volunt; vt si quis luderet die festo: & præsertim, si opus quod exercetur esset seruile. Verum hanc circumstantiam, peccati speciem mutare non arbitror. Quare ex hoc solo capite, qui die festo luderet, non peccaret mortaliter, nec etiã ex se venialiter, cum ludus nõ sit opus seruile.

Tertius ratione periculi mortis, aut notabilis detrimenti corporis; ut potest contingere in quibusdam torniamentis, & olim apud Romanos in ludis gladiatorijs. Huc pertinet tit. de Torniam. & sagit. l. Nam ludus. ff. ad legem Aquiliam. Secus dicendum esset, cum non intercederet notabile periculum.

Quartus, propter scandalum, qua ratione priuatim clerici, & Prælati possunt peccare mortaliter, cum in ludis sibi prohibitis uersantur: propter honestatem vitæ, & propter exemplum quod alijs prębere debẽt. Quare abstineant a torniamentis, a ludis histrionum, & saltationibus, & maxime publicis. Similiter posset mortaliter peccare, qui ludendo, ad peccatum mortale excitaret.

Quinctus, ratione effectus, qui ex ludo dimaneret: vt

ecce, si propter ludum non audiretur sacrum: si non possent suo tempore nomina, seu debita contracta solui: si quis ob ludi usum euaderet ineptus ad sua munera obeunda: si non aleret familiam eo modo quo deberet: & vniuerse, cum aliquid inde nasceretur, quod esset graue peccatum.

Sextus casus, ratione affectus & cupiditatis ludendi, cum quis totus in ludo esset occupatus, & nihil aliud dies noctesque ageret, & cogitaret, & propter ludum esset paratus ad grauiter peccandum.

Septimus, ratione modi ludendi, si cum fraude, dolo, & ui aliquis luderet, & animo lucrandi quacunque ratione: si ob impatientiam facile in blasphemias prorumperet, quod sæpe vsu venire solet De his lege Sylu. uer. ludus. §. 2. Caiet. in summa verbo eodem.

Vbi animaduerte, nos non affirmare ludum in omnibus numeratis casibus semper esse graue peccatum, sed quod in his potest quis ludendo grauiter peccare. Vt autem quę de ludi honestate uniuerse diximus adhuc melius explicentur, nunc quasdam dubitationes contra ea quæ diximus afferemus, ac diluemus.

Prima dubitatio, scripsit, & uere, ac sapienter M. Tullius in libro primo officiorum, nos non esse ita a natura generatos, vt ad ludũ & iocum facti esse videamur; sed ad seueritatem potius & ad quædam studia grauiora, & maiora: Quare, qui ludo delectantur, contra naturæ legem facere videntur.

Respondetur, idem Cicero eodem libro scriptum reliquit, ludo & ioco vti quidem licere, sed sicuti somno, & quietibus cęteris, tunc cum grauibus, serijsque rebus satisfecerimus. Damnat itaque Cicero, illa sententia eos, qui se totos ludis & iocis tradunt, qui vitam ociosam & ab honestis actionibus alienam traducunt: vt ille, de quo aliquando idem auctor scripsit, solem occidentem aut orientem vidisse nunquam.

Secunda dubitatio, viri sancti abstinuerunt a ludis & iocis, a quibus cum virtute se abstinuisse gloriabãtur:

quod profecto non fecissent, si ludus, & ioci aliquando essét honesti, & uirtutis actus, vt nos diximus. Quod sumptum fuit, patet exemplo Ieremiæ dicentis, non sedi cum consilio ludentium, c.15. & Tobiæ, c. 8. qui dixit, se nunquam cum ludentibus miscuisse.

Respondetur, dictum Ieremię intelligendum est secundum hominis statum; quem si quis spectet, vel ratione peccatorum commissorum, vel calamitatum in quibus homo reperitur, magis deberet in męrore, quam in delectatione versari: vnde magis dolor, quam delectatio quærendus esset: nec proinde sequitur, hominem debere omnino a delectatione abstinere, cum ad vitam tuendam, & conseruandam est necessaria. Tobias intelligendus est de ludis vanis & superfluis, & propterea, sequitur, Nec cum his, qui in uanitate sensus ambulāt; de quibus intelligeres illud, quod Dominus dixit, Vę uobis, qui ridetis, quia flebitis Luc. 6.

Tertia dubitatio, Ambrosius libro 1. officiorum, non solum profusos risus, sed etiam omnes iocos declinandos esse arbitratur: & Chrysostomus in Genes. scriptum reliquit; Deus non dat ludere, sed diabolus: & denique August. can. Donare, distinctione 86. dixit esse vitium immane dare res suas histrionibus: non licet ergo impensas in ludos facere, vt nos docuimus.

Respondetur, idem Ambrosius honestos & moderatos concedit iocos. Eos autem vult omnes iocos declinare, qui ad perfectionem tendunt, vt sunt personæ Ecclesiasticæ, quibus potius doctrinæ, quam ludis incumbendum est. Quod autem Chrysostomus ait, intellige de ludis, superfluis, inhonestis, & non in bonum finē relatis. Quod Aug. de ijs, quæ dantur histrionibus scribit, intellige cum immodice, cum sine ulla honesta caussa sua bona in histriones distribuuntur: quorum ars non est ex se mala, nisi aliunde uitietur: si cum delectāt, etiā prosunt, in quem finem inuenta est comœdia, & poetica, dum hominum mores, & vitæ rationes exprimunt. Atque de his dubitationibus hactenus: si quæ sunt alię,

sequenti disputatione explicabuntur, ubi de honestate ludi alearum, de quo est priuata difficultas, priuatim egetur.

An ludus, qui omnino, vel aliqua ex parte pendet a fortuna sit illicitus, & an per leges humanas prohiberi potuerit. Quæst. XXXVIII.



OLVMVS in hac disputatione priuatim examinare, an alearum ludus secundum naturæ legem sit prohibitus; ita ut nulla ratione liceat, ludendo aliquid fortunæ committere. Quod autem hoc ludi genus, tanquam malum, damnandum ac reiiciendum sit, his demonstratur rationibus.

Primo, grauissima Philosophi auctoritate, qui libro 4. Ethico, cap. 1. aleatores comparat latronibus; quæ comparatio, non esset rationi consentanea, si alearum ludus, ex se, non esset honestatis expers. Nec etiam Cato, vel q. fuit illius opusculi auctor dixisset, Aleas fuge.

Secundo, hic ludus, vel omnino, vel aliqua parte, cōmittitur sorti, & fortunæ, cui nihil, præsertim ab homine Christiano committendum est, can. sortes, & can. si quis Clericus, 26. quęst. 5. quibus in locis prohibetur, ne quis sortibus utatur: igitur alearum ludus erit ex se illicitus.

Tertio, res suas exponere fortunæ, videtur genus quoddam prodigalitatis, & ideo Aristoteles aleatores tanquam prodigos vituperat, quod res suas non ut deberent expendant: igitur, ut prodigi peccant, ita & aleatores peccabunt.

Quarto, hoc ludendi genus solum lucri caussa vsurpari solet, cum in eo non adsit, uel animi, vel corporis relaxatio, sed potius quidam perpetuus animi cruciatus, dum expectatur quid fortuna possit: quare, cum careat ludi fine, non uidetur honestus: ut hic omittam innumera quæ ex eo oriuntur incommoda.

In hac proposita quæstione duæ sunt auctorum sententiæ; prima quorundā qui existimant alearum ludū, eum nimirum, in quo est aliquid fortunæ, esse illicitū, in quibus fuit quidam Thomas Illiricus Franciscanus, de quo meminit Nauar. can. Negotium de pęnit. dist. 5. nume. 20. qui apud Tolosates persuasit artem faciendi chartas lusorias esse peccatum mortale; & Præsides vr bis, qui hos artifices permittunt peccare mortaliter do cuit: cuius oratio ita apud eos potuit, ut chartarum formas publice igni tradiderint.

Secunda sententia aliorū, qui existimarunt hunc ludum, ex se non esse malum; quæ est communis, & omnino retinenda. Quid in hac difficultate sentiendum sit, nos sequentibus explicabimus conclusionibus.

Prima conclusio, alearum ludus, qui ex fortuna, seu sorte pendet, non ęst, sua natura, malus: quæ conclusio his confirmatur rationibus.

Primo ex communi Doctorum sententia, ita Syluester, verbo ludus, §. 1. Medina, quæst. 20. cod. de reb. rest. Sotus lib. 4. de iust. & iure quæst. 5. art. 2. Didacus part. 2. §. 4. nume. 2. in sua relect. & alij multi, quos apud hunc auctorem citatos uidere poteris.

Secundo ratione ducta a simili; quoniam in alijs casibus solemus vti sorte: ut patet in rebus dubijs, idque docet, & probat ex diuo Augustino diuus Thomas 2. 2. quæst. 95. art. 8. & speciatim in contractu assecurationis, quem communiter omnes Doctores approbant: igitur.

Tertio, potest hic ludus delectationis gratia exerceri, & ad animi relaxationem, & qui lucrum haberet in ludendo propositum, modo illud uelit ad aliquem finē honestum referre, nihil peccaret, ut patet in omnibus artibus, quas homines non sine spe lucri exercēt, ut possint se suosque sustentare: igitur non est intrinsece malus: cum possit ex aliqua circumstantia fieri bonus. Ex quibus inferre licet, ex se, non esse peccatum aleæ ludum inspicere.

Secunda conclusio, quamuis alearum ludus non sit

sua natura malus: tamen, facile ex multis adiunctis uitiari potest, ac uitiatur. Quæ autem ex eo oriri soleant mala, videre poteris apud Ostien. tit. de exces. prælat. apud Paridem a Puteo, apud Franciscum Patritium loco supra citato, & apud Caccialupum. Hinc otium, temporis iactura, animi solicitudo, lucri cupiditas, blasphemiæ, execrationes, rixæ, inimicitiæ & sæpe familiarum ruinæ. Adde quod non solet afferre secum illam animi relaxationem, cuius caussa suscipitur ludus: ut omittam, quod qui hoc ludendi genere utuntur, solum lucrum spectare uidētur. Quo fit, vt merito per leges prohiberi potuerit, & possit.

Tertia conclusio scacchorum ludus, ex se, nō est malus. Est hæc conclusio contra quosdam Doctores, qui aliter existimarunt: & speciatim clericos & religiosos hoc ludi genere uti non posse putarunt. Nostram opinionem unica ratione, omissa multorū auctoritate, confirmo. Quoniam hęc ludendi ratio nihil habet sortis, & plurimum ingenij: igitur non potest damnari, eo modo, quo aleæ ludus. Illud tamen dixerim, & semper affirmauerim, hoc genus ludi non multum habere delectationis, sed plurimum laboris animi: ac proinde scholares, vt quidam scribunt, ab eo abstinere deberent: cum magis animus in eo defatigetur, quam si in rerum difficillimarum studio uersaretur. De quo Paris a Puteo num. 5. scriptum reliquit, esse perniciosum scholaribus ob temporis consumptionem.

Quarta conclusio, facere instrumenta, quibus aleæ ludus exercetur, ac ea vendere, ex se, non est malum: & ita hæ artes, & qui eas permittunt non sunt damnandi. Hoc dixerim contra opinionem superius citatam. Quare vendere taxillos, folia lusoria, & id genus alia, non est, ex se, malum. Ita Nauar. vt alios nunc mittam scriptores, loco supra citato: quæ doctrina his confirmatur rationibus.

Primo, quia ludus, ex se, non est malus, & his instrumentis possunt homines honeste uti, ac etiam utuntur: igitur

igitur qui ea faciunt non peccant. Huc accedat auctoritas Augustini epist. 154. ad Publicolam, quæ refertur, 23. quæst. 5. can. De occidēdis, ubi inter alia, hæc scribit Augustinus. Absit, vt ea quæ propter bonum ac licitum facimus, aut habemus, si aliquid per hæc præter nostrā voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur: alioqui nec ferramenta domestica, aut agrestia sunt habenda, ne quis ex eis, vel se, uel alterum interimat, nec arbores plantandę, ne quis se inde suspendat, &c.

Secundo, licet vendere & facere ornamenta, quibus se mulieres ornant: & tamen ijs solent sępe numero abuti: igitur licebit etiam facere folia lusoria, quamuis interdum homines illis abutantur: quod sumptum fuit priuatim docet Panor. c. Multa, ne cler. vel Mona. Ex qua doctrina infert Nauarrus non peccare Moniales, vel si peccant, solum venialiter offendere, dum muliebria ornamenta conficiunt.

Atque hæc de prima huius quæstionis parte breuiter dicta sufficiant, nunc de alia eadem breuitate dicamus. Quod autem lex humana non possit ludum prohibere, aut si prohibeat nullum esse in transgressione peccatū, his rationibus demonstro.

Primo, id prohiberi non potest, quod ex se, non est malum, huiusmodi est ludus, etiam alearum, ut est probatum, igitur prohiberi non potest. Quod si dicas, ideo prohiberi, quod inde multa oriantur mala, id nihil obstat; quia si hæc caussa urgeret, nihil esset, quod iure prohiberi nō deberet, cum ex omnibus, rebus mali male agendi occasionem sumant.

Secundo, esto prohiberi possit, & prohibitus sit, tamē leges ciuiles non obligant nisi eos, qui subiecti sunt Imperio: & cum sit materia leuis, solum possunt obligare ad venialem culpam, vel ad pęnam tantum, cum sint leges pęnales. De hac dubitatione, ita statuo.

Prima conclusio, lex humana non potest vniuerse prohibere omnem ludum. Doctrina est certissima, quoniam aliqui ludi pertinent ad uirtutis exercitationem:

alij

alij sunt omnino necessarij ad animi & corporis relaxationem instaurationemque.

Secunda conclusio, humana lex potest prohibere aliquos ludos, & iuste prohibet. Quoniam quidã ludi maxime Reip. obsunt; igitur per legem, quæ publicam vtilitatem habet propositam interdici possunt, ac debent.

Tertia conclusio, humana lex non solum potest prohibere certos ludos, sed etiã ne quis ludis intersit, & colludat, id est, in ludo suam pecuniam exponat. Patet a simili in alijs prohibitionibus, in quibus non modo qui faciunt, sed etiã qui intersunt, aut cõcurrunt ad aliquid faciendum, prohibẽtur. Ita factũ est in iure ciuili l. 1. ff. de aleę lusu & alear. & in Authẽ. de sãct. epis. §. interdicimus. & iure Canonico, c. Clerici, de vita & hones. cleric.

Quarta conclusio, eos ludos humanæ leges prohibẽt, in quibus magis fortuna, quam industria ualet, & vnde plura solent oriri mala & incommoda. Quo fit, vt magis prohibendus sit taxillorum ludus, quam chartarum; ij vero in quibus exercetur industria non censentur prohibiti: ut late scribit Caccialupus, quæst. 5. nu. 27. & Paris, num. 5. Nec desunt, qui dicant, eos qui taxillis ludunt, si sint Doctores, esse infames.

Quincta cõclusio, leges ciuiles prohibẽtes aliquẽ ludũ non solum obligant ad pęnam sed etiã ad aliquã culpam saltẽ venialem. Quoniam materia nõ est omnino leuis, & pęnæ quæ adijciuntur aliquã supponunt culpã.

Sexta conclusio, leges ciuiles Imperatoriæ non uidẽtur amplius habere uim quantum ad pęnam, quod repeti possit id, quod in ludo prohibito fuit amissum. Huius cõclusionis ea est ratio, quia uidentur obrogarę per non vsum: ad cuius confirmationem accedat Auctoritas diui Thomæ 2. 2. quæst. 32. art. 7. ad secundum, Caietani in eundem locum, Adriani in tract. de rest. Paridis, Alphonsi & Didaci qui ait hoc uerum esse, etiam quoad Clericos, quamuis Cardinal. Imol. Rocus Curtius & Panor. aliter senserit. Licet ergo per consuetudinem lusus inter clericos non possit fieri licitus; tamen obliga-

tio de restitutione fauenda a legibus, Auth. alearũ usus C. de relig. sump. funer. imposita, auferri potuit.

Septima conclusio, posita ueritate superioris conclusionis, quod leges illæ sint abrogatæ per non usum, ratione pęnæ, existimarẽ esse abrogatas etiã ratione culpę, quãuis Didacus, & quidã alij contra sentiant. Ratio huius doctrinę ea esse uidetur; quia tota ratio culpæ oritur ex prohibitione, & ideo actus est malus, quia prohibitus, quamuis re vera, ludendi actus, ex malis, quæ inde nascuntur, raro sit ab omni culpa immunis.

Octaua conclusio, leges Pontificiæ prohibentes clericis ludum, non sunt obolitę per non usum; & ita, qui contra eas faceret, grauiter peccaret. Quod hę leges personas Ecclesiasticas obligantes, non sint abolitę, patet, quia nunquam introductus est contrarius usus; Et Concilium Tridentinum ses. 24. cap. 1. de reformatione hac in parte iura antiqua seruari vult. Quod autem grauiter, hoc est mortaliter peccaret, qui contra faceret, his confirmatur rationibus.

Primo, ex communi scriptorum sententia, ita Hugo, Ostien. Astensis, Angelus, Adrian. Nauar. Ioannes Bachonus, in 4. sent. dist. 21. quęs. 1. art. 6. Caietanus, & denique est communis opinio.

Secundo, id euidenter demonstratur ex pęnis quę ludentibus imponuntur, can. Episcopus dist. 85. qui sumptus est ex Apostolorum Canonibus. Episcopus, aut presbiter, aut diaconus aleę, aut ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certe damnetur, vel, vt gręce legitur, deponatur. Subdiaconus autem & lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur, c. Inter dilectos, de excessib. Pręlat. sed qui contra faciũt, non incidunt statim in pęnam, vt ex ipso canone patet.

Nona cõclusio, clerici, qui modicũ luderent, & raro, & animi relaxandi caussa, non peccarent mortaliter.

Primo probatur ex verbo illo canonis citati, Deseruiens, quod Glossa ponderauit, & ait, deseruire, esse valde seruire; idem significant, uerbum in codice

græ-

greco, σχολάζων: si quis ergo raro, & modice alea luderet, non grauiter peccaret.

Secundo, quia canon non imponit pœnam nisi ijs, qui moniti noluerint desistere: quod non potest intelligi, nisi de ijs, qui nimium sunt ludo addicti: adde etiam, quod leges ciuiles modicum ludum concedunt, vt adnotauit Glo. c. Inter dilectos, citato. Et, vt arbitror, si qua honesta de caussa, remoto scandalo, aliquando clericus alea luderet, fortasse nihil peccaret. Atque hæc de proposita dubitatione dixisse sufficiat. Restat vt argumenta in vtraque dubitatione allata, dissoluamus: ad priora hoc pacto responderes.

Ad primum, comparat Aristoteles aleatores latronibus, quod ab amicis, quibus cum ludũt, pecunias, quas potius dare debuissent, ludendo accipiant, ut ipse eodẽ in loco docet. Possunt etiam comparari latronibus, vniuerse loquendo, ob multa damna, quæ in remp. inducunt, & ideo reip. hostes dicuntur, & pro infamibus habentur: & eorum receptores in propria domo impune offenduntur.

Ad secundum, committere aliquid sorti, non est ex se malum, vt supra docuimus: neque Christiani, dum aliquid sorti exponunt, fortunam, tanquam numẽ quoddam, vt olim Ethnici, venerantur. Et canones citati, damnant sortes, quę cum diuinatione, & maleficio sunt coniunctę.

Ad tertium, si quis immoderate in ludo suas pecunias exponat, poterit aliquo pacto inter prodigos numerari: neque est omnino prodigus, qui ita sua exponit, vt lucrari possit.

Quartum, solum concludit, hoc ludi genus habere in se turpitudinem ratione lucri, & nimij affectus, qui in ludendo ponitur verum & ad animi relaxationem assumere, & quod lucratur in honestũ finẽ referre licet. Posteriora autem argumenta ita dissolueres.

Ad primum, non solum quę mala sunt, sed etiam quę multorum malorum solent esse occasio, iure prohibentur;

tur; & id rursus, quod plura solet afferre in humana societatem incommoda: in quibus est aleæ ludus.

Ad secundum, concedimus nullum esse peccatum, si lex qua ludus prohibetur, non sit in vsu. Et esto multis in locis non obligent leges Imperatoriæ, extant tamen priuatæ leges, quæ non sunt mere pœnales; cum id prohibeant, quod raro sine peccato exercetur, & quod ad publicam vtilitatem maxime conducit.

De personis quibus ludere, aut ludum spectare liceat. Quæst. XXXIX.

HIS hunc in modum de natura & honestate ludi explicatis; nunc de personis quę possunt, aut non possunt ludere, agendum est; cum id sit omnino cognitu necessarium, ad intelligendum, quando de acquisitis ex ludo restitutio facienda sit. Et quoniam hic nulla occurrit dubitandi ratio, quibusdam conclusionibus, quæ dicenda sunt, breuiter complectemur.

Prima conclusio, existente ac uigente lege de ludo aliquo non exercendo, nemini in eo versari licet. Ratio est manifesta ex dictis, quia lex humana certos ludos iustis de caussis in publicam utilitatem prohibere potest. Posset autem aliquis, a grauiore saltem culpa, excusari, si modice, si raro, si delectationis solum caussa ludum exerceret prohibitum. Nec enim credendum est humanam legem velle quacumque ratione, ludum alias non malum, omnino vetare.

Secunda conclusio, non omnes leges, quæ in hac materia fiunt, aut extant, omnes ęquali ratione obligant. Nam interdum certas solum respiciunt personas, & certa tempora, atque loca: alij ludi sunt prohibiti secularibus: alij clericis, quibus plura ludorum genera, & sub grauiore culpa & pœna interdicta sunt. Vt ludi theatrales, histrionum, laruales, & alearum: & adhuc strictius prohibentur uiris religiosis, quam alijs. Quare,

ante-

antequam quis ratione ludi prohibiti obligetur ad culpam, persona, loca, tempora, & ludi genus spectandum erit.

Tertia conclusio, uiris religiosis non est omnis ludus interdictus. Hoc dixerim contra aliquos, qui aliter sentiunt. Nam, cum ludus sit animi gratia in humana uita necessarius, profecto non est negandus i js, qui vitam arctionem degunt. Quare scacchorum, tabularum, pilæ, & huius generis alios ludos non arbitror eis esse interdictos. Et quod attinet ad schachorum ludum, quidquid Ros. Angel. Gabriel, & quidam alij dixerint, placet, quod Sylu. verbo ludus docet, non esse personis ecclesiasticis interdictum: idemque de ludo tabularum censeo.

Quarta conclusio, ijs qui non habent facultatem alienandi, vt sunt omnes qui dominium, & rerum administrationem non habent, nullo ludorum genere in quo exponitur pecunia, ludere licet. Ratio est manifesta; quia non possunt transferre dominium eius, quod exponunt. Quare, filij familias, serui, minores, qui sunt sub tutela, coniugatæ, quę non habent bonorum communium administrationem, ludere non possunt exponendo id, cuius dominium transferre nequeunt. Idem dicas de religioso studente, uel negocia monasterij agente, & de scholari, cui data esset pecunia studij caussa.

Verum, si huiusmodi personę paruam quantitatem in ludo exponerent, de qua facile præsumeretur domi nos, & administratores consensuros, ludendo non peccarent. Quamuis de religiosis non facile id concesserim, cum non sit probabile, fore, ut Prælatus consentiat, vt bona ecclesię per ludum distrahantur.

Quincta conclusio, nemini licet sine peccato eum qui non potest aliquid alienare ad ludum etiam licitum inducere, uel eum qui alienare potest ad ludū prohibitum. Qua in re passim a multis peccari solet: an autem isti teneantur restituere postea dicetur. Ratio

huius

huius conclusionis est manifesta, quoniam sunt peccati participes: non secus ac si quis moueret quempiam ad furandum. Est hæc conclusio manifesta, quam tradit Paris in suo tractatu: & huc facit l. 1. ff. de aleat. ex quibus colligeres nemini licere ludere cum eo, qui alienare non potest.

Sexta conclusio, qui sunt ignari ludi, non possunt sine peccato in ludo versarij. Quoniam saltem peccant vitio prodigalitatis, cũ velint, sine vlla spe lucri, suas exponere pecunias. Pariter etiam peccant, qui ludi sunt periti, si cum his scienter ludant: an teneantur restituere postea dicetur.

Septima conclusio, nemini licet prębere locum, instrumenta, & ea quæ sunt necessaria ad aliquem ludum prohibitum exercendum, vt chartas, tabulas, luminaria, &c. Doctrina est communis, & qui hoc faciunt, publici hostes vocantur: & vt Bald. & Paris scribunt, id est maius peccatum, quam ludere. Huc facit doctrina Innocent. can. error. dist. 83. Negligere quippe, cum possis perturbare peruersos, nihil est aliquid, quam fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Idem confirmant omnes illius dist. canones, lectione omnino digni.

Ex his colligere licet, qui possint ludere, & cum quibus. Sequitur modo, vt aliquid dicamus de spectatoribus, quandoquidem leges feruntur etiam contra eos, qui ludentes inspiciunt.

Sunt autem spectatores in duplici differentia: aliqui sunt in magistratu, & officio constituti, ad quos pertinet operam dare, vt leges seruentur, & vt ludi prohibiti non exerceantur: alij homines priuati, quibus id non incumbit ex officio, sed solum ex caritate. Qui rursus sunt in duplici genere: alij, qui sua præsentia sunt caussa, vel vt ludus prohibitus exerceatur, vel vt prorogetur, & in eo perseueretur: alij vero non sunt ludendi caussa. His positis distinctionibus, de spectatoribus has subijcio conclusiones.

Octaua conclusio, publica persona, ad cuius officiũ pertinet ludos damnatos prohibere, assistendo & non prohibendo peccat; immo potest committere duplex peccatum, alterum contra caritatem, quia delectatur ab alterius peccatum: alterum contra iustitiam, cũ non det operam vt lex seruetur: & interdum potest etiam esse obligata ad restituendum damnum quod ex prohibito ludo nascitur. Casus posset incidere in quibusdam locis, in quibus exercentur ludi non sine aliquo notabili corporis detrimento: vt sunt ludi taurorum, & ludi in quibus aliqua pugna cum magno vitæ periculo & graui corporis offensione exercetur.

Nona conclusio, persona priuata, quæ assistendo est caussa cur ludus prohibitus exerceatur, & protrahatur, peccat: quia cooperatur ad peccandum; posset tamen excusari, si non animaduerteret, suam præsentiam esse ludi caussam.

Decima cõclusio, si priuata persona assistat ludo prohibito, & non sit caussa ludi, nihil peccat, modo assistere non sit lege vetatum.

Vndecima conclusio, assistentia in eo, qui est caussa ludi, & in eo qui prohibere debet, erit mortale vel veniale peccatum pro ratione, & natura ludi, & prohibitionis: aliorum vero simplex assistentia, vniuerse loquendo, esset tantum peccatum ueniale.

De clericis & monachis ludis prohibitis diu assistentibus, quidam, in quibus Nauarrus existimant peccare mortaliter.

Vndecima conclusio, si loquamur de delectatione uoluntaria, quæ ex ipso ludo percipitur, talis delectacio non est sine peccato. Ita docet Medina quęst. citata, contra Gabrielem, Baptistam, & Angelum: qui existimarunt eos, qui delectationem ex ludo prohibito capiunt, non peccare; cum sit solum humana lege prohibitus, & non delectentur de ludo, vt malus est. Verum, cum prohibitio humana, vt supra diximus, faciat actũ ludendi malum, qui ex hoc actu delectationem capit,

non secus peccabit, ac is, qui lætatur cum male fecerit? Vt ergo peccāti non licet de suo peccāto lætari, ita nec licebit inspicienti.

Posset tamen, inquit Medina, is qui intuetur eū qui ludendo peccat, aliquid in eo obseruare, vnde delectationem sine peccato perciperet: ut si delectaretur ob eius dexteritatem, seu patientiam in ludendo, cum non irascatur, nec mentiatur.

Ex quibus infertur quid dicendū sit de ijs, qui taurorū ludos instituunt, aut exercēt, aut spectāt; illi priores cauere debent, ne quid malij alijs, aut sibi accidat; hi posteriores, ne si quid mali, aut peccati committitur, de eo delectentur. Atque per has conclusiones perspicuum est, quid de personis ad ludum aliquo pacto pertinentibus, quod attinet ad peccatum, sentire oporteat.

His vnicum verbum adijciemus de quantitate pecuniæ, quæ potest ludo committi. Quantitas magna ratione eorum, qui alienare non possunt, facit peccatū mortale: parua, ueniale tantum. At uerò ratione eorum, qui eius quod ludo exponunt, dominium habent, maior quantitas, ex se, non facit nisi peccatum ueniale prodigalitatis, Ita Nauarrus, & patet ex diuo Thoma 2. 2. q. 183. art. 7, ubi docet prodigalitatis uitium non esse lethale peccatum. Dixi, ex se, quia aliunde potest esse graue peccatum, sua dilapidare bona ludendo. Sed de his hactenus.

De forma & legibus ludi. Quæst. XXXX.



CVM ludus sit contractus quidam, quo ludentes inter se quadam ratione conueniunt, ac leges quasdam qui honeste, seu iuste in ludo versantur seruandas esse statuant; de his etiam aliquid nobis scribendum est, ut quando ratione ludi restituendum sit, facilius cognoscatur.

Conditiones ergo ad honeste & iuste ludendum requisitæ, partim ex ipsa naturæ lege requiruntur, partim

uero ex quadam ludentium consuetudine, & statuto; quas ludi leges appellant: de quibus omnibus ea qua debemus breuitate, in præsenti disputatione agemus. Et quoniam sola opus est explicatione & determinatione, ad ipsas conclusiones accedo.

Prima conclusio, ut aliquis honeste ludat, posito quod ei ludere liceat, debet habere aliquem honestum finem, hoc est, nō debet sistere in sola delectatione, quæ non est per se, expetenda, sed alio referenda est: de qua re tamen ardua est apud philosophos morales disputatio; quam Arist. libro 10. ethico proposuit quidem, sed non explicuit: quam apud diuum Thomam in prima secundæ explicatam inuenies. Similiter nemo ludere debet tantum lucri caussa; quia qui solum lucrum in suis actionibus propositum habent, illiberales a Philosopho 4. Ethico nominantur; verum, ludus lucri caussa exercitatus, potius negociatio quędam, quam ludus uocari potest. Sed negociatio parum vtilis, cum pauci sint, aut nulli qui ludendo ditescant: qua qui delectantur de bonis stabilibus, deque sua arte, siquam habent, nihil curant, dum quæ habent, temere fortunæ committunt. Posset tamen quispiam ludo frequentius sine peccato vti, dum hoc negociationis genere, & sibi & suis se consulere ac prouidere posse uideret.

Secunda conclusio, & si lucrandi cupiditas, ni alio referatur, faciat ludum turpem: tamen, nunquam ex hoc capite ludus erit peccatum mortale, etiamsi quis magnam pecuniarum uim lucrari percuperet. Est hęc doctrina contra multos, qui aliter arbitrantur, inter quos Turrecremata in c. Episcopus, dis. 35. art. 1. ad secūdum. Quod nos docemus, docetur etiam a Nauarro cap. 20. num. 3. a Caietani in 2. 2. q. 168. art. 3. & in summa uerbo ludus, & ab alijs: & hac firma ratione confirmatur. Quoniam auaritia, ex genere suo, non est peccatū mortale: quod non debet cuipiam uideri paradoxum, quamuis in peccatis mortalibus numeretur, quæ non peccata mortalia, sed capitalia, id est fontes, & caussę aliorū

pecca-

peccatorum,dici deberent;cum nec auaritia,nec gula, ex se, sint peccata mortalia, & quod attinet ad auaritiam,id expresse docet Sanctus Doctor, in 2. 2. q. 18. art.4. Neque enim suum retinere, in quo sita est auaritiæ ratio, vllum aut caritatis, aut iustitiæ præceptum violat. Sed de hac re disputãdi latius non est hic locus.

Tertia conclusio, ut ludus honeste exerceatur, omnis debet abesse fraus. Quæ conditio in omni humano requiritur contractu. Quare, si quis falsis uteretur taxillis,& chartis supposititijs, aut notatis, qui se plura puncta habere diceret, quam habet, aut manum ad se pertinere falso affirmaret, uel alijs eiusdem generis fraudibus, quas ipsi ludentes norunt, uteretur, inhoneste, & iniuste luderet, & in re maioris momenti peccaret mortaliter.

Cæterum, hæc conditio declaranda est, eo modo quo Didacus in sua relect.par.2.§.4.nu.6.declarat. Eum nõ ludere fraudolenter, qui eas adhibet cautelas, quę secundum leges ludi adhiberi solent.

De fraude autem adhibita, uel non adhibita in ludo, iudicabit uir iustus,& in arte ludendi exercitatus. Quare, cum quis consuetis utetur cautelis, non dicetur dolose ludere; l.1.ff.de dolo.

Quarta conclusio, ludentes, ijs legibus in ludendo uti debent, quas uiri probi communiter in ludo seruandas esse censent: quarum non nullas sequentibus conclusionibus attingemus,& examinabimus.

Quincta conclusio, non utitur fraude, nec contra leges ludi facit is, qui habens meliores partes, ita ut non possit amittere sponsionem, urget colludentem, & ad sponsionem augendam prouocat, cum tamẽ certus omnino sit, se lucraturum. Ita Ioannes Medina q.22. in vltimo corollario, Decius consilio 115. Couarruuias loco citato, nu.5.& 6.

Quod si dicas ludi alearum iustitia fundatur super sorte,& casu incerto; at iste qui habet certam punctorũ quantitatem, & manum, scit se certo lucraturum, non

secus ac si quis deponeret cum aliquo, an aliquis esset mortuus, de quo ipse omnino certus esset: igitur iniuste ludit.

Deinde, idem confirmatur argumento ducto a simili de eo, qui certo sciret, cras ex Principis decreto frumentum uilius uendendum, & suum hodie uenderet; qui vt multi volunt, teneretur restituere. Ita Bart. l. quæro ff. de empt. & vendit. Gloss. l. contra legem ff. de legibus, Roman. singulari 289. Conrad. quæst. 61. de contract. Medin. quæst. 35. & M. Tullius libro tertio de Officijs scriptum reliquit, huic contractui fraudem subesse.

Verum, hę rationes non obstant: Nō prima, quia hac lege colludētes cōueniunt, vt qui meliorē sortē habet, possit spōsionē augere: & eadē sors potest cuiq; cōtingere. Adde etiā, quod collusor potest sponsionem non acceptare. Solet etiam qui peiores habet ludi partes, cum arte augere sponsionem, vt cogat alterum cedere, & lucrari expositam pecuniam, quam alias lucratus non esset, nisi auxisset.

Neque secunda, est enim falsa illa opinio, vt patet ex diuo Thoma, 2.2. quæst. 77. art. 3. lege Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 1. Dierum genial & ex communi meliorum scriptorum sententia, vt alio scribetur loco. Vt omittam quod non est par ratio; quia ludentes, hanc ludi legem non ignorant.

Sexta conclusio, non videtur pertinere ad ludi leges, vt quis non possit lucrari plura, quam collusor ab eo lucrari possit. In hac conclusione non omnes conueniunt. Etenim Sotus, & Alphonsus a Castro contra sentiunt: nostra tamen conclusio est ex mente Nauarri c. 20. nu. 12. quæ his probatur rationibus.

Primo, quia alias sequeretur mercatorem non posse ludere cum Rege, neque minus diuitem cum eo qui esset ditior, nisi pro ratione pecunię, quam minus diues habet, & tamen usus contrarium docet, & omnes, qui ludunt hoc præsupponunt. Et ratio etiam confirmat: quia, qui habet centum ducatos potest illos exponere, ut lu-

cretur

cretur solum quinquaginta, quos collusor habet.

Secundo, quia videtur absurdum quod aliquis habens ad manum solum quinquaginta ducatos, & tamē habeat administrationem omnium suorum bonorum, non possit lucrari ducentos.

Tertio, iste qui habet paucas pecunias potest cum diuersis ludendo, lucrari plura, quam habeat; ergo etiam cum vno. Verum tamen est, quod si fraus intercederet, id non liceret. Vt si iste, qui habet paucas pecunias interrogaretur a principio, an multas haberet, quas vellet ludo exponere, & mentiendo se habere diceret, vnde factum est, vt alius luserit, alias non lusurus, iste dolose luderet. Atqui, si alter sciebat eum paucas habere pecunias, & tamen ludere voluit, nulla inde nascitur iniuria. Et in hoc casu locum habere posset cōtraria opinio.

Septima conclusio, ad ludi honesti cōditionem pertinet, vt qui non potest ludendo alienare, non possit retinere, quæ ipse ab eo qui potest, lucratus fuerit. Ita Alphonsus a Castro loco citato, & Couar. par. 2. suæ relec. §. 4. num. 6. quæ doctrina his confirmatur rationibus.

Primo, argumento ducto a pari: quia alter, qui potest dominium transferre non potest retinere, si ipse lucretur: igitur nec is, quo cum ludit: sumptum est certum: consequentia uidetur manifesta, ex lege ludi, & omnium contractuum, quæ habet, vt partes vtrimque ligari possint: neque enim rationi est consentaneum, vt uno existente libero, alter obligetur.

Secūdo, qui per fraudem, & dolum aliquid lucratur, restituere tenetur: atqui in hoc casu intercedit fraus, quia si collusor sciuisset eum, quo cum ludit, non posse rem ludo expositam in alium transferre, non lusisset, & inuitus soluit; igitur.

Sed peteret hoc loco quispiam, an liceat facere sponsiones circa aliquem euentum, quas italice, scommissas vocant: ad quam dubitationem his quinque dictis respondeo.

Primum dictum, si ex altera parte unius sponsoris, res

sit aliquo modo certa, vel aliqua intercedat fraus & dolus, sponsio est illicita, & obligat ad restitutionem. Vt gratia exempli, sponsio fit super Pontificis morte, & alter certo scit, iã esse uita functum, ne se tamẽ nescire fingit, iste peccat, & quod accepit debet restituere.

Secundum dictum, si dolus absit, talis contractus nõ est ex se illicitus. Est communis doctrina: quam eã cõfirmat ratio, quia nulla intercedit iniustitia, & nulli legi est contrarius; immo, conformis, l. cum ad præcens tempus. ff. de rebus creditis, l. siquis ita stipulatus ff. de verb. obligat.

Quod si obijciàs, quod habetur in l. solent, & sequenti ff. de aleæ lusu, vbi damnantur sponsiones conditionales, quæ non fiunt virtutis exercendæ caussa.

Respondeo, Iureconsultum ibi damnare ludos, & certamina, quæ corpore fiunt, si non uirtutis & corporis exercendi caussa fiant, sed vel odij, uel contentionis gratia.

Tertium dictum, iste contractus ex se est rectus & iustus, etiamsi fiat pro re illicita. Ita Ang. & Iosephus, & patet à simili, in alijs contractibus, qui iuste fieri possunt, de re non bona; ut in promissione quæ fit pro fornicatione, & alijs similibus.

Quartum dictum, cũ in his sponsionibus nihil aliud spectetur, nisi lucrum, hinc fit, ut fere semper sint peccatum, saltem veniale: Quia est uirtuti liberalitatis cõtrarius. Ita Caietanus, Ioann. Maior, Adrianus, & Nauarrus.

Quinctum dictum, expediret Reip. vt huiusmodi spõsiones, præsertim super quibusdam rebus, prohiberentur: & quibusdam in locis prohibentur. Lege autem uigente, non exercerentur sine nouo peccato: pœna tamen apposita non esset in foro conscientiæ soluenda, ut alias non semel diximus.

An quæ acquisita sunt per ludum prohibitum in foro conscientiæ restituenda sint. Quæst. XLI.



QVOD autem per ludum a lege prohibitũ vt est speciatim alearum ludus, non transfetatur dominium, ac proinde in foro consciẽtiæ quod acquiritur restituendum sit; his probatur rationibus.

Primo, humanæ leges iuste possunt hunc contractum prohibere, & prohibent, ut patet ex legibus Imperatorijs, & priuatis constitutionibus multorum locorum: igitur quæ hac ratione acquiruntur, tuta conscientia retineri non possunt. Quod si dicas, Imperatorias leges, nõ omnes obligare, contra, & erit alia ratio.

Secundo, leges ciuiles, quæ legi naturali, & diuinæ non aduersantur confirmatæ & approbatæ sunt per sacros canones, dist. 10. can. de capitulis, & sequentibus; igitur omnes obligabunt; cum Ecclesiastici canones omnes obligent. Et cum ijdem ludi iure pontificio prohibeantur, profecto, ex hac parte omnibus fidelibus erit prohibita acquisitio per ludum: cum canones, qui ad mores pertinent, cunctos obligent fideles.

Quod si dicas, leges humanas per consuetudinem cõtrariam abrogatas esse, cum nullibi seruari soleant: cõtra, hominum consuetudo non potest tollere legem iustam, quã uitatur peccatum, vt colligitur cap. ex parte, de consuet. igitur.

Tertio, turpiter acquisitum, ex communi Doctorum sententia, retineri non potest: at quod per ludum prohibitum accipitur, est turpiter acquisitum, per opus nimirũ prohibitum: ergo tuta cõscientia retineri nequit.

Quarto, legislatoris intentio in ferenda lege contra ludentes ea est, vt prohibeat lucrum, quod experi per se non potest: ergo impedit rei dominium. Confirmatur, talis lex non est pœnalis, quia si esset huiusmodi, non daret ei qui perdit repetitionem, per quam haberet hoc

emo-

emolumentum,ut rem suam recuperaret,quam contra legé faciendo amiserat: ergo simpliciter dominij,translationem impedit: ac proinde dat repetitionem:Quare non ratione pęnæ,sed iustitiæ,quod ludo est acquisitum,restituendum est.

Adde,quod in l. alearum C. de religiosis, dicitur, si contra factum fuerit,nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur:igitur non transfertur dominium,ad quod tollendum condemnatione fuisset opus. Vt omittam,quod cum res sit dubia, tutior pars erit eligenda. In hac difficultate uariæ sunt Doctorum sentétiæ, quas breuiter attingam.

Prima quorundam, qui vniuerse loquentes, dicunt acquisita per ludum non virtutis caussa factum, restituenda esse; ex eo, quod per opus illicitum acquisita fuerint: & restitutionem faciendam esse pauperibus, ante iudicis sententiam, idque ex naturali lege. In quã sententiam citat nonnullos Caccialupus in suo Tract. num.73. Qui hanc sententiam tuentur, putant per consuetudinem non esse sublatam obligationem restituendi quæ ludo acquiruntur.

Secunda sententia aliorum,qui dicunt,faciendam esse restitutionem,cum ludus est a lege prohibitus,& lex non est per contrariam consuetudinem abrogata: Ita diuus Thomas, quem nonnulli alij sequuntur; qui tamen asserit leges ciuiles,esse usu abrogatas.

Tertia aliorum, qui affirmant tutius esse restituere, & quidem pauperibus, Ita Antonin. Imola, & quidam alij. Richardus est dubius,& in vtramque partem rem disputat.

Quarta sententia,communis & uera,nullam esse faciendam restitutionem, etiamsi leges vigeant, ita ut verę transferatur dominium. Ita Iurisperiti in leges sępecitatas,canonistæ,cap. Clerici,de vita & honest. cler. Scholastici dist.15.ibi Gabr.quæst.13. Adrian.uerbo, Quia in superioribus, in materia de rest. ex ludo. Castro,Couar.Nauar.locis ut,& Sylu.verb. Ludus.quæst.

13.apud

.13. apud quem videbis tres opiniones varie citatas: & re vera, varij sunt omnino in hac re dicendi modi, de quibus nihil est, vt sine maiore vtilitate, nimis simus soliciti.

Vt autem quid in hac dubitatione tenendum sit explicemus, nota, totam difficultatem in eo positam esse, an existente prohibitione ludi, & lege nô abrogata, ista restitutio fieri debeat: quia ui legis sublata, tollitur etiam restituendi obligatio.

Rursus, tria sunt de quibus hic speciatim dubitari potest. Primum, an consuetudo, seu lex possit efficere, vt liceat retinere acquisita per ludum, posito quod per leges alias transferri non posset: Alterum, an eadem consuetudo, vim habeat ad remouendam culpam, quæ reperitur in ludo: tertium, quid sit de re proposita dicendum, tum secundum legem naturæ, tum secundum humanam constitutionem. His ita notatis, has statuo conclusiones.

Prima conclusio, per ludum alias non honestum, & a lege prohibitum potest transferri rei dominium, nô modo ratione voluntatis ludétiũ, vel ex donatione, sed etiam ex rei natur. Quod possit transferri libera ludentium uoluntate, est ex se certissimum: quod etiam ex rei natura patebit ex iis, quæ postea dicturi sumus, cum agetur de restitutione eorum, quæ per aliquam turpem acquiruntur caussam. Adde etiam, quod est contractus & negociatio quædam; per quam, si absit iniustitia profecto transferetur dominium. Est ergo prima illa opinio omnino explodenda.

Secunda conclusio, secundum naturę legem acquisita per ludum alearum non sunt restituenda. Doctrina est certissima, atque communissima, & ex prima conclusione euidenter deducitur, & hac ratione confirmatur. Quoniam, si restituendum esset, maxime, quia actus lucrandi per aleam est malus at non est malus, igitur. siquidem, si malus esset, vel ratione obiecti, nimirum lucri, quod ex se non est intrinsece malum: uel ratione

finis,

finis, scilicet delectationis, & hoc non, quia delectatio, & animi relaxatio, non est ex se mala: vel ratione fortunæ, quæ admiscetur ludo, ex qua parte, vt supra diximus, non redditur malus, vt Doctores communiter docent, in quibus Lyranus, in illud Prou. 17. sortes mittuntur in sinum, & a Domino temperãtur: vel deniq; ratione aliarum circumstantiarũ, & hoc nõ, quia possunt apponi circumstantię bonæ. Nulla ergo est caussa, cur hic actus dicatur intrinsece malus.

Tertia conclusio, leges ciuiles dum vigebãt, & si quo in loco vigent, non impediunt translationem dominij factam per ludum: & ita acquisita per ludum non sunt in foro conscientiæ restituenda.

Primo confirmatur hæc conclusio ex communiore Doctorum sententia, a qua nullo modo est recedendũ, cum nulla sit ratio, quæ ad id faciendum nos cogat.

Secundo, leges istæ sunt pęnales; ergo nõ impediũt dominij translationem, ac proinde quod acceptũ fuerit, retineri poterit: antecedens patet, quia solũ dãt repetitionem, non irritãt contractũ; quod igitur, acceptũ est tuta conscientia ante iudicis sentẽtiã retineri potest.

Tertio, si restitutio est facienda, aut ijs a quibus acceptum fuit, & hoc non, ut etiam opinio contraria docet, & in pari casu turpitudinis, ait Adrianus melior est cõditio possidentis: aut pauperibus, ex lege naturæ, & hoc nõ, quia nemo ex tali lege debet pauperibus dare, quod suum non est, vt inferius in priuata disputatione dicetur; immo ex eo quod aliquis daret pauperibus non liberaretur a culpa, iuxta cap. ea te, in princ. de iuram. ubi dicitur, onus non remittitur, sed augetur, cum cuique improuide soluitur, quod alij ex debito est prẹstãdum.

Quare, si quo in loco leges Imperiales vigerẽt, quę tamẽ, vt cõmuniter docetur, nõ uigẽt, cũ sint per cõtrariã cõsuetudinẽ, ẽt in locis Imperio subiectis abrogatę, nõ obligarent ad restituẽdũ, nisi in iudicio fieret repetitio.

Quarta cõclusio, nemo tenetur ex iure canonico ad restituendum, quæ per ludum fuere acquisita. Quoniã

&

& si multis in locis damnetur ludus: tamen, nullibi fit mentio de acquisitis restituendis. Ex his colligere licet inutiles esse multas distinctiones, quas canonistæ & Iuristæ faciunt, ut est uidere apud Caccialupum num. 43.

Quincta conclusio, de lege naturæ in tribus casibus acquisita per ludum restituenda sunt.

Primo, quando intercessit fraus, & dolus. Vnde inferre licet, eum teneri ad restitutionē, qui cū eo ludit, qui nihil, aut fere nihil est ludi peritus; nā æquipollet fraudē cōmittere, & aduersariū multo inferiorem sua pecunia spoliare: Intellige quādo peritior scienter facit: & quādo ignarus nō cōdonaret, quod amisit: quod nō uidetur facere, ex eo tātū, qđ volēs lusit, nisi id exprimat.

Secūdo, quādo, quis lucratus fuit ab eo, qui nō potest alienare, cū nō habeat rerū dominiū, vel administrationē. Quare qui a fure, a filio familias, a minore, a seruo, a monacho, a maritata nō habēte rerū cōmuniū curam, aut aliquid ex proprio per ludū aliquid acquirit, restituere tenetur: & hę etiā ꝑsonę, cū acquirūt, ab ijs, q̄ alienare possūt; iuxta ea, q̄ proxima disputatione docuim⁹.

Tertio, quando aliquis tractus fuit, aut per metum, aut per violentiam, seu importunas omnino preces, & per contumeliam illatam, & opprobria, ita ut adsit violentia notabilis, & alias non fuisset vllo modo lusurus, ni tali fuisset contentione impulsus. Est cōmunior opinio, Canonistarum c. Clerici, de vita & honest. Cleric. idem docent Sylu. Caietanus, & Alphonsus loco citato. vbi ait diuum Thomam intelligendum esse eo modo, quo nos diximus: quem male intellexit Adrianus. Ratio huius doctrinæ ea est, quia quę per uiolentiā aliquam acquiruntur, iniuste acquiruntur, vt alio dicetur loco.

Sed quid dicendum est de eo, qui sic inductus fuit, si quicquam acquisiuit, an restituere teneatur? Quidam docent teneri, quia vt non potest amittere, ita non potest lucrari, alij contra, quia qui alium induxit, libens ad ludēdū accessit, & ideo trāslatio per ipsū factā valebit, sed prior opinio probabilior uidetur, quamuis

qui

qui ita induxit dignus esset hac, & maiori pœna.

Sexta conclusio, nemo est obligatus ad restitutionē eius quod acquisiuit in ludo, etiamsi ex cupiditatę lucri luserit, Hoc dubitanter asseuerauit Gabriel, quod si ne ulla hæsitatione affirmandum est; cum ex tali ludendi ratione nulla exoriatur iniquitas.

Septima cōclusio, in omnibus casibus, in quibus qui lucrantur tenentur restituere, in ijsdem qui ad id proxime iuuant, erunt ad restitutionem obligati. Ita Gabriel dubio 3. Nauar. & alij: & ea ratione confirmatur ista conclusio, quoniam isti caussam damni dant. Quare, qui domum commodant, qui inuitant, qui colludunt, restitutioni sunt obnoxij, quando sunt uera ludendi caussa.

Octaua conclusio, ista restitutio, quantum fieri potest, fieri debet ijs, a quibus pecunię acceptę fuerunt, non autem pauperibus. Quoniam qui lucrati sunt, non acquisiuerunt dominium, quod in alios transferre queant.

Ex quibus inferre licet, eos qui lucrantur ex ludo prohibito, vel lucri cupiditate ducti, non sint obligandi ad danda ea quæ acceperunt pauperibus: licet ad id faciendum moneri possint: sed docendum est eos non esse obligatos, cum multi de hac re conscientiam erroneam habeant, ut eorum consulatur saluti: quandoquidem magna cum difficultate homines ad restituendum inducuntur: suaderi tamen possunt, cum non raro contingat, ut quę ludo parantur, non sine aliqua iniquitatę parentur.

Nona conclusio, leges humanæ possent statuere, vt per ludum non transferretur dominium: quod si fieret, quę acquisita essent, nec accipi, nec retineri possent. Patet a simili de alienatione a minore facta, quam irritam fecerunt.

Decima conclusio, ex consuetudine & statuto fieri potest, ut lex pœnalis de restituendis ijs, quæ ludo acquiruntur, cessaret. Ita Caccialuppus, numero 76. & 80.

Paris

Paris a Puteo, num. 49. & 51. estque communis opinio: quę hoc confirmatur ratione: Quia ista lex est pure humana, ergo per aliam legem & consuetudinem humanam abrogari potest: nam, vt dist. 4. can. in istis, §. leges, dicitur, Lex, quæ utentium more non approbatur, non ligat. Quod si lex potest tolli quantum ad obligationē pœnæ, potest etiam remoueri, quantum ad obligationem culpæ, cum tota turpitudo ex legis prohibitione nascatur, vt etiam supra scripsimus. Quod si est verum, est contra multos, qui aliter existimant, in quibus Paris, num. 49.

Quod diximus de huius legis abrogatione per contrarium vsum, verum est, etiamsi lex irritam faceret acquisitionem per ludum, vt Adrianus scripsit. Atque de conclusionibus hactenus: nunc ad argumentorum solutionem accedamus.

Ad primum, iam patet ex dictis, quid humanæ leges in ludo prohibendo velint, id nimirum, vt qui lucratus fuit, in pœnam restituere debeat, si ab eo repetatur: licet statuere possint, vt dominium non transferatur, quod non statuunt.

Atqui diceres, qui amisit, nihil pœnæ ex hac lege reportat, sed potius vtilitatem; igitur non est ei pœnalis: immo maxime, quia ex ipsa repetitione quandam contrahit infamiam: quia homines eum pro infido habent, cum promissionem & fidem datam pro re minoris momenti publice violet.

Ad secundum, respondet, & optime Medina, legum humanarum confirmationem, non magis sese extendere, quam ipsæ leges, ex se. Quare, legis ciuilis confirmatio per Canones facta, non plures, nec magis obligat, quam ipsa lex alias obligasset. Quod si leges canonicæ eosdem ludus prohibent, nullibi tamen de restitutione facienda quicquam decernunt. Quod autem consuetudo non possit legem humanam abrogare, id falsum est, & prę sertim in nostro casu, cum non restituere, quod ludo acquisitum est, non sit contra mores.

Ad

Ad tertium, latius dicemus infra, cum agetur priuatim de restitutione facienda de ijs, quę ob turpem caussam acquiruntur: nunc breuiter dicimus, acquisita per turpem caussam retineri iuste posse, cum intercedit aliquis contractus non iniustus, ut in casu nostro accidit.

Ad quartum, in primis dicerem legislatoris intentionem non esse prohibere lucrum, sed ipsum ludum, vnde mala oriuntur. Deinde, esto lucri cupiditatem prohiberet; non tamen inde sequeretur eum contra iustitiam agere, qui ludendo lucrum haberet propositum: sicuti non quicunque capit alienum peccat, contra præceptum, non furaberis; vt is qui alienam rem caperet, non inuito domino. Vt omittam, quod ista ratio, si quicquam concluderet, militaret etiam contra omnem contractum, & negociationem lucri caussa factam.

Quod autem in l. alearum dicitur, non propterea, quod non est opus condemnatione, sequitur non esse translatum dominium, sed solum, quod ad simplicem repetitionem, qui lucratus fuit reddere compellatur.

Neque quod hęc quæstio quibusdam videtur dubia, ideo facienda est restitutio; cum communis sententia contrarium doceat: & is qui dubitat, vt sit tutus, dubitationem deponat. Quasdam dubitationes, quæ hic tractari potuissent, in sequentibus afferam.

An qui lusit sub credito, si quid ludendo amisit, restituere teneatur. Quæst. XXXXII.



TITVLVS huius quæstionis manifestus est sed quæstio ipsa non est omnino manifesta, de qua duę sunt præcipue inter se oppositæ Doctorum sententię, & vtraque sua habet fundamenta.

Primum itaque utramque sententiam suis cum fundamentis afferam: Deinde, quid probabilius uideatur, quibusdam conclusionibus definiam: postremo opinionis minus probabilis rationes diluam.

hA Fuit

Fuit ergo in hac difficultate prima sententia quorundam, qui existimarunt, eum qui sub credito ludit, non esse obligatum ad soluendum id, quod ludendo perdidit. Ita Adrianus in materia de rest. quæst. de hac re, Sotus lib. 4. de iust. & iure quæst. 5. art. 2. Didacus Couarruuias in sua relect. par. 2 §. 5. num. 8. in fine, Iosephus, & quidam alij; qui his nituntur rationibus.

Primo, leges concedunt perdenti ius repetendi pecuniam iam traditam: ergo per easdem leges poterit retinere non dum solutam, siquidem frustra petit, qui statim restituere debet, l. dolo ff. de doli except. Nam circulus iste, quod quis debeat prius soluere, & postea repetere est omnino inutilis, excepto casu, qui habetur, cap. debitores, extra de iuramento, ratione iuramenti. Quare, qui lucratur, non habet ius ad petendum, quod non habuit, vt qui perdidit ad repetendum, quod iã dedit: ac proinde iste non tenetur dare.

Quod si obijcias, leges istæ sunt pœnales, & non obligant ad restituendum nisi post iudicis sententiam: ergo ante sententiam, qui perdidit dare tenetur. Respondẽt, id non habere locũ, quando non est necessaria executio legis, vt accidit in hoc casu; in quo qui lucratus est, statim iure petẽdi priuatur: cum qui perdidit possit repetere si voluerit.

Secundo, ei cui datur actio, datur etiam exceptio, de reg. iuris lib. 6. & l. inuitus ff. de reg. iuris: sed qui promisit habet actionem repetendi: igitur, si non dum soluit, potest per exceptionem se tueri, & retinere, quod non dum dedit.

Tertio, iste de quo quæritur, per legis beneficiũ, aut concessionem, potest, si dedit, repetere: ergo poterit nõ soluere. Atque hæ sunt rationes, quæ potissimum hanc primam sententiam confirmant.

Secunda sententia, quę istum obligat in foro conscientiæ ad soluendum: quam defendit Medina, quæst. 22. in suo Cod. Alphonsus lib. 2. de lege pœn. cap. 2. corollario tertio. Addit tamen Castro hanc limitationẽ,

quando non extaret lex humana, quæ statueret, vt non liceret ludere pecunia credita. Quæ sententia, his nititur rationibus.

Primo, leges concedentes repetitionem, non propterea auferunt dominij acquisitionem, & ius in rem in ludo expositam, aut promissam; sed solum in pęnam cócedunt repetitionem; ergo non liberatur promittens a conuentione, promissione facta.

Secundo, non videtur bona consecutio illius argumẽti, quo contraria utitur sententia, perdens potest solutã pecuniam repetere, ergo potest non solutam, non tradere: nam promittens soluere vsuras, cum iuramento, tenetur eas soluere, cap. Debitores, de iuram. quamuis possit postea repetere: igitur etiam iste tenetur stare pactis, & simplici promissioni, qua se obligauit, cum pacta etiam nuda sint seruanda, tit. de pactis.

Tertio, si qui perdit non tenetur soluere: igitur qui in iusto ludo uincit non habet aliquod ius, aut dominiũ in illud, quod lucratus est; quod sane uidetur absurdũ: cum iuste lucratus fuerit: si uero ius aliquod habet, profecto qui perdidit soluere tenetur.

Quarto lucri restitutio in pęnam ludentium introducta, non habet locum nisi post iudicis sententiam; igitur, quod promissum fuerat dandum erit, antequam ista sententia intercedat.

Verum nonnulli huic dubitationi per hanc distinctionem satisfieri posse putarunt, dicentes perditam pecuniam soluendam esse, quando sub iuramento promissa fuit: quando uero ex simplici promissione debetur, nequaquam. Rursus, sunt qui dicant Adriani opinionem habere locum in Hispania, vbi Carolus v. prohibuit ludum sub credito, & annullauit omnes promissiones etiam in ludo licito factas: quamuis non desint, qui dicant, hanc legem apud Hispanos non obligare, cũ non sit usu recepta; & nobiles sub credito ludant, & quod est perditum requirant, & soluant: & tamen confessarij eos absoluunt. Nos quid vero similius videatur, se-

quentibus

quentibus conclusionibus aperiemus.

Prima conclusio, potest lex humana promissiones huiusmodi de soluenda pecunia sub credito in ludo amissa, irritare.

Primo patet hęc conclusio ex constitutione illa Caroli v. quam Doctores Hispani commendant, tanquam maxime Reip. vtilem, & re vera commendanda est, & digna, quæ ubique statueretur, & seruaretur.

Secundo, lex humana potest ipsum ludum prohibere: igitur etiam traditionem dominij eorum, quæ credito in ludo perduntur. Hinc fit, vt Adriani sententia locum & veritatem habeat apud Hispanos, ubi ista lex viget. Falsum est enim quod aliqui dicunt, non obligare, cum vere obliget, & passim in vsu sit. Quod si qui accipiunt pecuniam in ludo sub credito acquisitam, id ex eo est, quod qui perdiderunt, possunt huic iuri renũciare; quod nobiliores faciunt, vt ipsis alias fides habeatur; quamuis sciant promissiones illas esse irritas.

Secunda conclusio, quando promissio roborata fuit per iuramentum, est omnino seruanda. Est doctrina certissima & communis, quam speciatim Nauarrus, Sotus, & Couarruuias tradunt: & expresse demonstratur ex c. illo citato, Debitores, de iuram. vbi decernitur, eũ, qui iurauit, se vsuras soluturum, esse obligatum ad soluendum; quas tamen postea ei repetere licet. Idem efficeret, qui iurauit se pecunias promissas daturum. Potest etiam curare ut absoluatur a iuramento; ut postea legis beneficio vtatur, secundum sententiam eorum, qui tenent eum non esse ad soluendum obligatum, existente & uigente lege de repetitione facienda.

Tertia conclusio, nulla existente lege de facultate repetendi, quod ludo est amissum, qui promisit tenetur soluere. Quoniam standum est simplici promissioni, vt patet titulo de pactis: & ipsa naturæ lex hoc aperte docet.

Quarta conclusio, existente ac uigente lege quæ dat repetitionem, probabile est promissam & amissam pe-

cuniam soluendam esse: & eum qui soluit, non posse negare, sed solum datam recuperare, aut certe antequã soluat, coram iudice petere, sibi licere eam retinere, ita ut iudex soluendam pecuniam ei suã auctoritate adiudicet.

Primum, patet hęc conclusio ex argumentis superius factis, quæ tantam uim habent, vt eam satis probabilem faciant.

Secundo, quia a lege non habetur nisi beneficium restitutionis, & recuperationis per uiam iuris, ergo qui ex lege naturæ est obligatus, promissa facere tenetur.

Quincta conclusio, contraria sententia, quod scilicet non teneatur soluere probabilior esse uidetur. Primum ex rationibus ad eam confirmandam superius allatis. Deinde quia videtur communior: quam duo recentiores Doctores viri docti & illustres defendunt. Postremo quia id uidetur Reip. expedire, & est ualde rationi consentaneum; igitur censendum est legislatorem ita voluisse statuere, vt non modo repetere, sed etiam retinere liceat; ita ut retentio, sit quædam loco repetitionis compensatio. Quo loco animaduertit Sotus, istum qui beneficio legis uti vult, cauere debere, ne a principio legis beneficio renunciet.

Quod si quis teneret aliam sententiam, ob eam quã habet conscientiam, deberet soluere, sed postea posset repetere. Qui vero nostram sententiam sequeretur, argumenta contrariæ hunc in modum dilueret.

Ad primum, dum leges concedunt repetitionem, videntur etiam concedere retentionem: cum illa solutio, & circulus ille superfluus videatur.

Ad secundum, casus ille ad consequentiæ probationem allatus, non videtur ad rem; quia ibi non solum promissio, sed etiam iuramentum intercesserat. Et in foro exteriori etiam fur spoliatus restituitur in odium domini spoliantis, sed in foro conscientiæ non est restituendus.

Ad tertium, antequam res tradatur re vera nullũ habetur

betur in eam dominium; cum ipso facto, qui uicit priuetur iure petendi, in pœnam delicti.

Ad quartum, concedimus, quod argumentum concludit, si veniatur ad repetitionem eius, quod iam datum est: sed si non dum est datum; argumentum non concludit. Atque de hac dubitatione hæc dicta sufficiant.

Afferuntur ac soluuntur dubitationes quædam circa restitutionem caussa ludi faciendam.
Quæst. XLIII.


T tandem huic tractationi de ludo finem faciam, quasdam, quę supersunt dubitationes, nullo modo prætereundas, hac quæstione breuiter proponā, atque explicabo: ex quarum explicatione, nonnulla, de quibus diximus, multo certiora, & manifestatiora fient.

Prima dubitatio, diximus non esse obligatum ad restitutionem eum qui lucratur per ludum, sed contra: Qui dat alicui damnum sua culpa, tenetur restituere, vt habetur, cap. si culpa, de iniur. & damno dato; igitur: quod autem iste det damnum cum culpa, patet, quia ludendo colludenti damnum infert.

Huic dubitationi, respondet Gabriel 4. sent. dist. 15. quæst. 13. ar. 3. dub. 1. illud pronunciatum, siue regula illa, vt patet per Glo. in eum locum, multas patitur exceptiones, & inter alias est ista, quod qui nocet scienti & uolenti sibi inferri damnū, non facit contra iustitiam.

Secunda dubitatio, an qui lucratus est teneatur restituere, si repetitio fiat extra iudicium, an vero possit, quod accepit retinere vsque ad iudicis sententiam. Nā quod teneatur, ea suadet ratio; quia lex præcipit, ut restituatur, cum fuerit repetitum: igitur statim atque repetitur, restitui debet.

Verum cum Alphonso & Soto contrarium est dicendum: idque ex ipsa lege efficaciter demonstratur. Ne-

que enim dicitur simpliciter, vt repetitũ reddatur, sed vt actionibus competentibus repetatur. Actio autem cõpetens non est extra iudicium, l. 1. §. quibus, ff. quod cuiusque uniuersit, & ibi Accur. agere enim est in iudicio, fieri vero extra.

Tertia dubitatio, an facta repetitione in iudicio, statim qui lucratus fuit teneatur soluere. Quod autem teneatur, his probatur rationibus.

Primo, lex in hoc casu, nihil præcipit Iudici faciendum: satis igitur erit, si coram iudice fiat repetitio, ad hoc vt ille obligetur reddere.

Secundo, iudex non præciperet reddere, nisi ille teneretur, reddere, esset enim iniquum præceptum: ergo videtur obligatus restituere, etiamsi iudex nõ præcipiat: cum Iudicis mandatum iustam supponat restitutionis caussam.

Tertio, ille a quo repetuntur vsuræ in foro exteriori, statim tenetur reddere, ante condemnationem; ergo & iste de quo loquimur, cum par videatur esse vtriusque ratio.

Quarto, qui soluit cum conditione soluit, quia nollet soluere, si posset sine infamia a solutione liberari: sed hæc conditio impedit dominij translationem: igitur, ad simplicem petitionem, immo etiam sine vlla repetitione restituere debet.

In hac dubitatione duæ tanguntur difficultates: una, an facta repetitione statim restituendum sit, quæ specia tim primo & tertio argumento attingitur: altera, an teneatur ante repetitionem ipsam, quod alijs duobus argumentis probari videtur: sed vnica responsione utrique satisfiet.

Dicimus ergo una cum Castro, qui lucratus est in ludo, si detur repetitio, non tenetur restituere, nisi post iudicis condemnationem. Quoniam lex ista est pœnalis; igitur non obligat nisi post iudicis sententiam. Neque argumenta in contrarium allat[illegible] nicquam necessario probant.

Non

Non primum; quia licet nihil apertę præcipiatur id dici; tamen ex eo quod agenti datur competens actio; iubetur etiam iudex, ut lucrantem cogat reſtituere.

Non ſecundum, falſum eſt enim quod Iudex nō poſſit præcipere id, quod alius prętare non debet: ut patet in illis legibus per quas aliquid certæ perſonę applicatur: & dum id præcipit iuſte facit, cum id lex iubeat. Et iudex per legis auctoritatem poteſt transferre dominium.

Non tertium, quia eſt magnum diſcrimen inter uſurarium, & eum qui lucratus eſt per ludum: quia uſurarius non acquiſiuit dominium, cum ſit contractus lege naturæ prohibitus, vnde etiam ſine vlla repetitione uſurarius reſtituere tenetur: at vero, qui per ludum accepit, verum acquiſiuit dominium.

Non quartum, nam, licet in ſolutione qui perdidit voluntatem conditionatam habeat; tamen ex ui contractus ludi, in quem libere conſentit, verē & libere transfert dominium.

Quarta dubitatio, an qui perdit magnam pecuniam in ludo, quam poteſt per leges repetere, cum non poſſit alia via eam recuperare, cum præ nimio pudore non audeat in foro repetere, poſſit eam latenter furari, & hac ratione ſuum damnum reſarcire. Adrian. quæſt. citata in fine, tenet partem affirmantem. Quia doctores communiter tradunt poſſe quemqnam hac uia ſuum recuperare, cum non datur alia, 23 quæſt. 1. can. primo & ſecundo. & l. ait prætor, §. ſi debitorem, ff. de his, quæ in fraud. credit. Contra ſentit Sotus loc. cit. & Caſtro lib. 2. cap. 2. de lege pęnu. corollario 3. in fine, & eſt verior & communior ſententia, quæ his confirmatur rationibus.

Primo, ex ipſomet Adriano, iſte qui lucratus eſt, iuſte retinet, & non tenetur reſtituere antequam condemnetur, cum habeat verum dominium: ergo qui perdidit non poteſt eum ſpoliare, & compenſationem ſumere, pro eo quod ſibi non debetur.

Secundo, leges non reddunt inanem ludi contractū,

non existente, sim obligatus ad hęc bona restituenda. Ea auté de caussa simul quærimus de donatione ex conditione, & ex caussa, quod hæc sint inter se valde coniuncta, & quod de vna dicitur, de alia fere dicédum sit: Vnde hęc disputatio in duas erit distributa partes: in prima de donatione sub conditione, in altera de donatione ob caussam agemus. Quod autem conditione, vel caussa non subsistente, donatio teneat, & quod acceptũ fuit non sit restituendum, his rationibus confirmo.

Primo, contractus matrimonij factus sub conditione impossibili, & turpi, est validus, & talis conditio habetur pro non adiecta, cap. final. de conditionibus appositis, §. fina. idem de impossibili dicitur, §. Impossibilis, Inst. de hæredibus: ergo deficiente conditione, adhuc quod acceptum fuit retineri potest.

Secundo, qui ob honestam & possibilem conditioné donauit Ecclesiæ, tenet donatio, etiamsi conditio deficiat, cap. uerum, de condition. appositis. nec reuocatur donatio, nisi donator expresserit, nó existente conditione, reuocetur, vt ibidem dicitur: ergo. Idem apparet in legatis, si quis leget fęminæ centum, si non nupserit, & quinquaginta si nupserit; vel centum si nupserit, & quinquaginta si religioné ingressa fuerit: in quibus donationibus, nihil efficit conditio, vt leges statuunt, & Doctores tradunt: igitur.

Tertio, si quis donet, aut leget Petro cẽtum ducatos, ut hac pecunia fundum, vel domum sibi emat, etiamsi caussa, vel modus non impleatur, tenet donatio, nisi de repetendo cauerit, vt communiter Doctores tradunt; similiter, si quis ita leget, Lego Petro, quia mea negotia gessit: Petrus potest legatum retinere, etiamsi nunquã legantis negocia curauerit, ergo.

Quarto, si quis ex paupertate, aut sanctitate ficta eleemosynas accipiat, non tenetur restituere, ergo accepta ob aliquam caussam, etiamsi caussa non existat, nó sunt restitutioni obnoxia. Atque dubitandi caussa hæc argumenta attulisse sufficiat.

In hac

In hac quæstione, cum eam breuiter perstringere velim nullas citabo opiniones: sed quibusdam positis fundamentis, quod quæritur explicabo, & postea nonnullis conclusionibus quid tenendum sit decernam.

Primum fundamentum, Donatio, propriè ea dicitur, cum quis eo animo aliquid alicui dat, vt id statim accipiẽtis fieri, & ad se nullo casu reuerti velit, nisi id exprimat. Eius origo est liberalitatis, seu magnificentiæ virtus. Vnde hoc pacto Rubr. de Donationibus nu. 1. eã describit Gofredus, Donatio est mera liberalitas, quę nullo cogente conceditur.

Est autem donatio duplex, vna simplex, quę caussam non habet: altera ob caussam, quæ caussam habet. Item duplex, altera quæ dicitur inter viuos, quando rẽ, quã dono, malo illum habere cui dono, quam me, ac proinde comparatur contractibus. Altera dicitur caussa mortis, quando rem quam dono malo me habere, quam illum cui dono, & magis illum, quam meum hæredem: quæ comparatur testamento, quod sępe mutari potest. Rursus donatio in quattuor diuiditur species: Prima dicitur absoluta, cum aliquid simpliciter sine ulla conditione, aut modo donatur; vt si quis dicat, Hoc tibi dono. Secunda conditionalis, quando apponitur conditio, si: vt si quis dicat, hoc tibi dono, si literis incumbes. Tertia modalis, quando apponitur, dictio, vt, Quarta caussalis, cum apponitur, dictio, quia, vel alia similis, cum scilicet aliquid datur ob aliquam præcedentem caussam: sed hæc potius retributio, quam donatio dicenda est. Quid autem sit conditio, quid modus, & quid caussa explicat Gloss. cap. Verum de cond. appositis, & ibi Canonistæ: de quibus nos nihil, cum facile discernantur.

Ex multis autem conditionibus, quæ contractibus affigi solent, quattuor sunt, quæ a iure humano pro non adiectis habentur: nimirum, conditio impossibilis, turpis, ea quæ impedit matrimonium, & quæ maius bonũ: quæ speciatim in caussis pijs, & fauorabilibus pro non adie-

adiectis habentur; ut sunt legata, fideicommissa, donatio libertatis, matrimonium, ne cui imponatur necessitas perpetuę continentiæ, & religio, ne quis retrahatur a meliore bono. Harum conditionum, impossibilis, & turpis, simpliciter, reijciuntur, aliæ vero, & ob fauorē caussarum, & quia per eas non fuit animus donantis sufficiēter expressus, cum alteram partem suæ voluntatis, hoc est, conditione non expleta, quid faciendum sit nō explicuerit. Et quamuis conditio propriæ futurum spectet euentum: tamen hoc loco late a nobis sumitur, vt præteritum, & præsens, & impossibile etiam tempus includit.

Secundum fundamētum, de hac re dupliciter loqui possumus: uno modo secundum dispositionem iuris humani, altero vero secundum ius naturale, & diuinum. Nam secundum humanas leges quædam conditiones, vt impossibiles & inhonestæ reijciunt; quædam possibiles & honestę nihil efficiunt, cum contractus habeant vim suam, etiam illis deficientibus: de quibus aliter ex iure naturæ & diuino iudicandum esse uidetur.

Quo loco, dubitari potest, an in foro conscientiæ stā dum sit huiusmodi iuribus, tum ante latam, tum post latam iudicis sententiam: cum iura humana possint contractibus conditionem apponere, vel in pœnam contrahentium, vel in odium turpitudinis, aut in caussę fauorem. Et quod solum in foro externo teneant, ex eo probari potest: quia, si constaret de voluntate contrahentis sub cōditione, eum aliter voluisse, quam iura disponunt, iura non statuerent tales contractus ualere. Quare, dubium omnino videtur, cur conditio impossibilis in contractu matrimonij pro non adiecta habeatur, cum potius videatur dissensum contrahentium significare, quam consensum; & potius ioco, quam serio apposita uideri possit. Vbi etiam dubitare licet, an ius humanum, per suam determinationē faciat verum cō tractum sub tali conditione: aut solum declaret esse verum contractum; vt patet in exemplo de matrimonio.

Si

Si primo modo iura humana procederēt, statuerent huiusmodi contractus tales esse, ac si conditiones non essent adiectæ; & ita obligarent in foro conscientiæ: si vero altero modo, solum interpretarentur, quod contrahentes non sufficienter expresserunt, si conditio deficeret. Tunc enim iura in fauorem quarūdam caussarum, in meliorem partem verba contrahentium interpretantur, vt suum sortiantur effectum.

In contractibus ergo, in quibus conditio reijcitur, aut eius subsistentia non requiritur, ius humanum interpretatur verba conditionalia, non in sensu quem cō trahentes de facto habuerunt, aut quem uerba faciunt, sed in eum, quem rationabiliter habere debent: quando non habetur expressa contrahentis uoluntas, qua cognita, in foro conscientiæ, ex ea iudicandum est. Quare, cum adest conditio impossibilis, contractus habetur pro absoluto, cum ignoretur an ioco, an serio illa conditio sit adiecta, idque in fauorem caussę. Nihil ergo iura contra mentem contrahentium disponunt, sed eorū mentem, quam non plane explicarunt, in meliorē partem exponunt. Quo fit, ut, si qui contraxit matrimoniū cum conditione impossibili, & non consensit, in foro interiore matrimonium sit nullum. His ita notatis, has pono conclusiones.

Prima conclusio, Donatio solo animo facta, immo etiam si fiat, verbo & scriptura, si non adsit consensus alterius partis acceptantis, non inducit obligationem, & ita est nulla. Ratio est manifesta, quia donatio est quidā contractus; contractus autē non habet vim, nisi utriusque partis voluntas contrahatur, & uniatur: igitur. Ita Sotus lib. 1. de iust. & iure quęst. 5. art. 3.

Secunda cōclusio, quęuis absoluta donatio, suorum omnium bonorum, in foro consciētiæ tenet. Quoniam, vt ex communi habetur exiomate, nihil est tam naturale, quam ut dominia in alienos ex domini uoluntate transferantur, §. Per traditionem Inst. de rerum diuis, nisi in foro conscientiæ prohibeatur.

Tertia conclusio, donatio cum conditione facta, deficiente conditione, non tenet, & quod hac ratione acceptum fuit, restituendum erit: loquor nunc de conditione in communi. Ratio est manifesta, quia conditio suspendit contractum, si loquamur de cōditione proprie sumpta, ut est ea, quę pendet ex futuro euentu: igitur, nisi conditio existat, contractus suum non sortietur effectum. Adde, quod, vt communiter Theologi docent, cū contractus ex mera nascitur voluntate, eius obligatio non excedit metas uoluntatis contrahentis, vt patet in voto, & iuramento, vbi obligatio attenditur secundum intentionem uouentis & iurantis.

Quarta conclusio, donationes factæ illis quattuor cōditionibus supra numeratis, in foro externo, sunt certę, & conditiones habentur pro non adiectis: & ita contractus censetur absolutus, & uim habebit, etiam conditione non existente. Patet hęc doctrina ex cap. uerum, & c. final. de condition. appos.

Quincta conclusio, donatio facta sub his quattuor cōditionibus, conditione non existente, cum de uoluntate donantis constaret, quod nollet donationem uim habere, nisi existente tali conditione, in foro interno non valet; unde facienda est restitutio: nisi qui donauit voluerit, ut sua donatio secundum ius ciuile intelligatur. Quod autē hoc uoluerit nec ne, ex eo intelligi posset, si homo esset non ignarus rationis conficiendi testamenti, vel donationis. Ratio huius cōclusionis patet ex dictis, quia in hoc foro semper spectanda est contrahentis uoluntas.

Ex quibus colligitur, quod si is qui donat, est bene iuris conscius, etiamsi una ex illis quattuor conditionibus deficiat donatio ualebit. Quia iste visus est secundum iuris formam donare: quia tunc idem est, ac si absolute donasset.

Sexta conclusio, si hæres esset dubius de uolūtate legantis sub vna ex dictis conditionibus, non esset a confessario ad solutionem legati cogendus, antequam per

iudicem condemnaretur. Quia, ubi dubium est probabile, melior est condicio possidentis. Atque his positionibus primæ parti huius disputationis, satis sit factum.

Quod ergo ad alteram partem attinet, facile est ex dictis decernere quid sentiendum sit, de donatione modali, modo, seu caussa non subsistente: quæ caussa, vel est preterita, quæ potius ratio dicitur: uel presens, quæ proprie uocatur caussa: vel futura, quę modus nominatur. Rursus caussa ob quam aliquid datur, duplex est: altera mouens, seu impellens, ad dandum, qua dantis animus ad dandum mouetur, ut essent alicuius preces, & merita: altera finalis, quam qui donat propositam habet, & ut aliquid fiat, donat; & de caussa hoc modo sumpta est dubium.

Septima conclusio, caussa finali non existente, quod acceptum fuit, restituendum est.

Primum, hæc conclusio satis euidenter confirmatur ex ijs quæ supra dicta sunt; quia nemo debet præterire modum, legemve, quam quisque cum ratione rebus suis apposuit; si res illas retinere velit: & confirmatur a simili de legibus, quarum caussa cessante, etiam ipsę cessant.

Deinde, huc facit, quod Matthęi cap. 25. dicitur, de seruo, cui paterfamilias talentum ad lucrandum dederat: ut cum ueniret ab eo rationē requireret: & cum seruus ille nihil lucratus esset, iura optimo ab eo talentū repetiuit. Similiter in proposito nostro, cum quis quippiam accepit, clicuius rei faciendæ caussa, caussa non existente, id quod accepit retinere non poterit.

Sed hoc loco dubitaret quispiam, de eo casu, in quo testator reliquisset legatum puellæ, ut posset nubere, & antequam nubat, moritur: an hoc legatum sit soluendum. Huic dubitationi respondent Doctores & priuate Medina quæst. 24. cum distinctione, Aut testator in hoc legato uoluit habere rationem utilitatis puellæ, idque certum est, & tunc hæres est liber a soluendo: aut spectauit utilitatem animę suæ, idque certum est, & in hoc ca

ſu hæres, debet alteri puellę tradere, ut teſtatoris animus impleatur: ſi uero neutrum conſtat, ſtandum erit iuris præſumptioni, quod ſcilicet uoluerit in ſuę animæ utilitatem legare, & ita ſoluendum erit. Sic docet Panor.cap.Nos quidem, de teſtamentis. Quod uerum eſt, ut ait Medina, ſi legatum ſit conditionale: quia ſi ſit modale, & in ſolam puellæ utilitatem, non expirat legatum propter puellæ obitum, niſi id teſtator cauerit: & ita tenetur dare hæredibus puellæ: ſecus ſi fuit conditionale: quo caſu ſuſpenditur legatum uſque ad conditionis euentum: at uero quando eſt modale ſtatim debetur; unde mortuo legatario, eius hęredibus dandum eſt, ſi in utilitatem, legatarij legatum fuit.

Quod ſi in vtilitatem animę teſtatoris, alteri puellæ, vel tertiæ perſonæ ſoluendum eſſet. Quod ſi modus ille appoſitus fuit tanquam cauſſa principalis legandi, modo non completo, repeti legatum poſſet. Voluntas autẽ teſtatoris ex ipſius uerbis, quibus in legando uſus eſſet, colligenda foret. Idem dicas de caſu, in quo quis legauit Franciſco pecuniam, vt domum emeret: ubi uidendum eſt, an teſtator ſolam eius utilitatem, an etiam alterius ſpectauerit commodum.

Rurſus dubitares, an ſi facta donatione ob aliquam cauſſam, antequam cauſſa exiſteret, donantem pęniteret, quod fuit acceptum reſtituendum ſit. Reſpondetur affirmando: quia, ſicuti donatario licet modum non implere, & quod accepit reſtituere; ita congruum eſt, ut donans poſſit, cauſſa non impleta, repetere, ſi donatarius nolit, aut nõ poſſit modum implere; dummodo donatarium indennem reddat. Huc facit tex, in l.ſi pecuniam ff. de condict. cauſſa data, cauſſa non ſecuta, in principio.

Octaua concluſio, quando donatur aliquid ob cauſſam impulſiuam, cauſſa non ſecuta, adhuc donatio ualet. & quod eſt acceptum, non eſt reſtituendum. Declaratur hæc concluſio proponendo hanc facti ſpeciem: donat quis alicui familiari Principis pecuniã, ut ille hac

liberalitate

liberalitate motus, apud Principem aliquid in suum fa uorem obtineat: in quo casu dicimus, caussa non secuta, hoc est, etiamsi ille non præstiterit, quod in se erat, donatarius non tenetur restituere.

Quo loco, ut hæc doctrina planius exponatur, animaduertendum est, donationem modalem dupliciter fieri posse: vno modo cum obligatione ad aliquid faciendum, & tunc, caussa non existente, donatio non tenet: altero modo, sine obligatione, ita ut donans per donationem solum intēdat allicere ad aliquid agendum: si fiat priore modo, non existēte caussa, donatio est nulla: si secundo, maxime: quia tunc caussa est impulsiua, & non finalis.

Sed hoc loco rogaret quispiam, quid dicendum sit, cum in donatione intercedit error, an is cui per donationem donatur, restituere debeat.

Respondetur: si error sit in persona, ut si quis putans se donare Petro, & donasset Ioanni, restituendum est: similiter, si esset in re donata, ut si putasset se donasse rem suam, uel argentum, & dedisset alienam, uel aurū: at si error esset in qualitate, aliqui dicunt donationem esse firmam. Medina tamen respondet iuxta distinctionem datam, quia si qualitas est caussa finalis, uel sine qua non, error facit donationem nullam in foro conscientiæ, cum non adsit uoluntas, quæ est de substantia donationis: nihil enim magis voluntatem tollit, quam error: secus si qualitas in qua erratur, non sit principalis & finalis.

Ex dictis infert Medina, una cum Adriano, clericum qui sanctitatis simulatione beneficium accepit, non esse obligatum ad resignandum, modo sit idoneus: licet episcopus ob solam sanctitatem contulerit: quia alias ei ex iustitia distributiua debebatur: aliter tamen Alexander Alensis existimauit: de qua re nos alibi. Nunc tempus est, ut huic disputationi per argumentum solutionem finem imponamus.

Ad primum, conditio illa nihil efficit in foro exter-

no: in interno autem aliquam uim habere potest: sed cum de voluntate donantis non constet, ius humanum eam declarat, vt supra diximus.

Ad secundum, quid dicendum sit, claret ex dictis: sit enim honesta donantis interpretatio in fauorem caussæ piæ; cum ipse plane suam mentem non explicuerit: quæ tamen si constaret, attendenda esset.

Ad tertium, hoc argumentum facile soluitur ex dictis, in probatione & expositione septimæ & octauæ cõclusionis. Nam, si caussa illa falsa sit principaliter a donante intenta, sine qua non donasset, deque voluntate donantis constet, donatio non tenet; quia est donatio quædam conditionata: quod si caussa solum fuisset impulsiua, teneret. Vnde patet ad casum, si quis mihi per errorem restitueret centum, quod putaret se ista mihi debere, an ego possem retinere: quia, si nulla caussa appareat cur ille uoluerit ista mihi donare, teneor restituere, iuxta §. Is quoque, Inst. Quibus modis re contrahatur obligatio.

Ad quartum, si caussa simulata est principalis & finalis, non valet donatio, & quod est acceptum, restituendum est: quia fraude & dolo est acceptum, quod alias non fuisset datum: si autem fictio, & simulatio sint caussa minus principalis & impulsiua, donatio erit ualida. Vt si quis dando eleemosynam moueretur quidem ob fictam indigentiam, vel sanctitatem; sed tamen ob Dei amorem solum daret. Quare non placet Medinæ quod Angelus verb. rest. 1. § 2. dixit, legatum sanctitatis simulatione acceptum, quãdo sanctitas est præcipua caussa, posse retineri. Quod si cum Angelo dicas, id quod datur sanctitatem simulanti, dari principaliter propter Deum, & ideo valere, hoc nihil est: quia neque id esset restituendum quod ob simulatam paupertatem datur, quod est contra ipsum Quamuis ergo Deus in his donationibus sit causa finalis: tamen est finis ultimus, & remotus: proxima auté caussa est sanctitas vel paupertas.

Atq; hæc fere ex Med. qui ex hac doctrina intulit co

rollaria quædam, & præsertim illud, quod ea, quæ acquiruntur, seu habentur per contractum, seu testamentum minus solemne, posse tuta conscientia retineri, cũ de voluntate testatoris constet: & ea posse repeti in foro conscientiæ ab hærede, qui succederet ab intestato, qui in conscientia ea non posset retinere: de qua re magna est inter scriptores dubitatio quam sequenti disputatione examinabimus. Ex qua patebit, an vera omnino sint, quæ ex citati auctoris sententia hac quæstione scripsimus. Nanque, vt postea docebo, quando lex omnino irritat contractum, cui aliquid deest, quod lex ad eius substantiã requirit, aut approbat, etiamsi desit aliquid quod omnino non habet pro necessario, potest aliquis tuta conscientia se lege tueri, eamque sequi, vt ex sequẽti disputatione patebit.

An quæ accepta sunt per contractum minus solemnem restituenda sint. Quæstio XLV.

VT huius quæstionis status intelligatur; hanc propono facti speciem. Quidam testator cõdidit testamentum sine conditionibus, seu solemnitatibus, quas lex Imperatoria, seu municipalis requirit, per quod quosdam instituit hæredes, prætermittendo eos, qui successissent ab intestato: hoc testamentum in foro externo est nullum, cum sit contra l. Hac consultissima, C. de testamentis, quæ septem requirit testes, & ponamus factũ esse cum tribus: Quæritur modo, an hoc quod per hoc testamẽtum, aut per quemuis alium contractum, sine solemnitatibus requisitis factum, acquisitum fuit, possideri, vel ab eo, ad quem hæreditas peruenisset, repeti & tuta conscientia reteneri possit. Et quod talis contractus, siue testamentum sit ualidum his rationibus probares.

Primo, in hoc casu cessat caussa iuris humani, quæ est, vt in contractibus non intercedat dolus uel fraus; cũ per tres testes constet de voluntate testatoris: igitur debet

bet etiam lex ceſſare, cap. cum ceſſante, de appellat. adde can. ſi pars de pœnit. diſt. 7.

Secundo, cum lex procedit ex falſa præſumptione, non tenet in conſcientia: atqui in tali caſu intercedit falſa præſumptio; quia præſumit non adeſſe teſtatoris voluntatem, igitur.

Tertio, quod eſt contra æquitatem naturalem, nullius eſt valoris: ſed iſta contractus ſolemnitas eſt contra æquitatem naturæ, cum ex contractu minus ſolemni oriatur naturali iure vera obligatio: igitur. Et hinc eſt quod Alexander, in ca. cum eſſes, de teſtamentis, ait ex iure diuino duos, vel tres teſtes ſufficere: ubi leges ciuiles damnare uidetur, quod plures requirant teſtes.

In hac difficultate, quam breuiter hoc loco uolo perſtringere, quam alias in materia de dominio fuſius examinabo, hæ fuerunt auctorum ſententiæ.

Prima eorum, qui dicunt, (perſiſtendo in caſu propoſito) tale teſtamentum in conſcientia valere: & hæredem ab inteſtato non poſſe agere in foro exteriore ad hæreditatis repetitionem; & ſi repetat, eſſe obligatum reſtituere. Ita Innocentius cap. ſicut dignum, de electione, Panormitanus, Plinius libro 5. epiſt. ad Clauiſium, Iaſon. leg. ſi non forte, ff. de teſtam. Adrianus, Medina, quæſt. citata, Silueſter, Angelus, Tabiena, & Armilla.

Secunda ſententia, quæ tria dicit: Primum contractus iſte re ipſa, eſt validus: ſecundum, hæres ex teſtamento poteſt agere contra hæredem ab inteſtato, ſi forte hæreditas in eius eſt manu: Tertium, huiuſmodi contractus eſt irritandus per ſententiam iudicis in foro conſcientiæ; & ita poteſt peti annullatio, qua facta, tuta conſciẽtia hæreditas retineri poteſt. Ita Imol. l. Nemo poteſt, ff. de fid. commiſ. Calderin. Paulus de Caſtro, Sotus lib. 4. de Iuſt. & iur. quæſt. 5. art. 3. qui male putauit eſſe opinionem propriam. Quæ ſententia hoc habet incommodi, quod ſi contractus eſt irritandus, hæres ex teſtamento, non poſſet hæreditatem retinere, ſi ad ipſum perueniſſet, donec res in foro exteriore ſtatueretur.

Tertia sententia aliorum, qui dicunt, contractum sine his solemnitatibus esse nullum, etiam in foro conscientiæ. Ita Bal. in repet. l. primæ. C. de sacrosanct. eccl. col. 24. vers. super primo: qui tñ varius in hac re est de qua acute locutus fuit. Didacus Couar. in sua relect. in regulam Peccatum. par. 2 § 3. num. 8. & in epitome de testam. quem videre poteris in lib. 3. var. resol. cap. 6. nume. 5. Ledesma in 2. par. 4. quæst. 18 artic. 1. dub. 12. & quamuis omnes hę sententiæ probabiles sint: tamen tertia est longe probabilior. Sed ut aliquid certi in re admodum dubia habeamus, has statuo conclusiones.

Prima conclusio, testamentum, siue contractus sine conditione, seu solemnitate, quæ ex iure humano requiritur factus, nullus est, etiam in foro conscientiæ: quod nó modo probabile, sed etiam certissimum puto: idque ob nonnullas rationes, quas alijs ommissis, hic breuiter perstringam.

Primo, ius ciuile potest facere contractum nullum, cui desunt solemnitates, quas requirit, determinando iusta de caussa ius naturale, idque etiam in foro conscię̃tiæ, quod nulla ratione negari potest: atqui de facto cõtractus minus solemnes, & speciatim testamẽtum anullat: igitur in foro conscientiæ erit nullum: caussa hic adest iustissima, ne intercedat dolus, & fraus: quod si dicas, hic non intercedit, id nihil est, quia lex non respicit singulares contractus, sed vniuersos, & vniuerse statuit vt modo congruenti fiant, quem modum tu seruare debes: cum ad remp. pertineat, vt congruenter transferantur rerum dominia.

Confirmatur, contractus factus a minori, ut omnes docent, in conscientia non ualet; & tamen in particulari contingere potest, ut minor plus habeat prudentiæ, quam is, cui rerum ipsius, commissa est cura. Similiter lex quę prohibet arma ferre de nocte, est iusta; & ideo si quis cum armis reperiatur iuste punitur, etiamsi omnino constaret istum non malo animo arma secũ ferre.

Secũdo, lex quæ non procedit ex falsa pręsumptione,

& alias iusta sit, obligat in vtroq; foro, ut in materia de legibus Doctores communiter docent: sed lex ista Imperatoria non procedit ex falsa præsumptione; quia, licet legislator alias sciret testamentum factum cum tribus aut duobus testibus esse ualidum, tamen uoluit iustis de caussis irritum facere; & ita irritum fecit, ut etiã si testator diceret, se nolle septem testes, & hanc esse uoluntatem suam, ut cum tribus testibus de rebus suis uoluerit disponere, testamentum nullum sit: igitur hic nõ est falsa præsumptio.

Tertio, ex contraria sententia sequuntur hæc inconuenientia: Primum legem ciuilem non potuisse irritare contractum factum a pupillo, qui alias secundum legẽ naturæ esset validus: alterum, quoniam si hæres ab intestato esset aliquis pupillus cuius hæreditas deuenisset ad alios heredes ex testamento: tutor, si nomine pupilli peteret in foro exteriore hereditatem, per vos peccaret mortaliter: si non peteret, teneretur de suo restituere pupillo. Per cõtrariam igitur opinionem in has angustias redigeretur tutor, a quibus nos contrarium docendo, eum liberamus.

Postremo, ne pluribus in præsentia contrariam sentẽtiam vrgeam, quid dicerent, qui contra sentiunt, ad iustissimam & sapientissimam Concilij Tridentini constitutionem, de cõtractu matrimonij, quem irritum facit, solemnitatibus deficientibus, nimirum, si Parochi præsentia desit, & duo testes ad id specialiter non uocentur: cum matrimonium sine his conditionibus & solemnitatibus contractum, esset verum sacramentum.

Finge matrimonium contrahi in media platea, sed absit Parochus, vel si adest Parochus, duo testes specialiter non uocentur, erit ne matrimonium, cum tamen alias contrahatur in facie ecclesiæ? ni fallor non erit, quidquid aliquando scripserit Nauarrus. En igitur ut essentiales solemnitates possunt addi contractibus alias validis secundum naturæ legem; quibus deficientibus, etiam in foro conscientiæ, nulli erunt. Atque

de ista conclusione hactenus.

Secunda conclusio, heres ex testamento minus solemni non tenetur restituere hæreditatem donec ab ipso repetatur in foro externo. Doctrina est communis, quam tradit Bar.l.nemo potest, de leg.1.& Ancaran. in regula Possessor, lib.6. Et ratio est manifesta; quia solemnitas contractus aduenit iuri naturali, quod non reddit omnino irritum, sed dat actionem petendi: quare, ante repetitionem, ille iure naturæ, vel gentium tute hæreditatem possidet.

Tertia conclusio, hæres ab intestato, potest tuta conscientia hæreditatem retinere, si apud se habet, & si nõ habet, iure potest petere, & sine peccato retinere. Quod attinet ad primam partem, quod possit retinere, patet: quia si teneretur, maxime iure naturæ, vel diuino, sed ista sunt determinata iure humano, igitur: quod possit petere, & si acquirit, retinere, patet ex dictis.

Quarta conclusio, contractus minus solemnis, in caussis pijs, valet etiam in foro externo. Ita Panor.cap. indicante, de testam. Tabiena, Angel.& Armillla.

Ex his colligere licet, quã falsum sit, quod Sotus dixit, huiusmodi testamentum esse annullandum: contra quam sententiam alias plura. Nunc ad argumenta paucis respondeamus.

Ad primum, quando caussa cessat in vniuersum, lex quoque cessat; quod non accidit in casu nostrò.

Ad secundum, falsum est leges hoc in casu procedere ex falsa præsumptione: neque enim legislator annullat contractum, quia præsumit falsum, sed quia non vult cõtractus hac ratione fieri.

Ad tertium, talis constitutio non est contra æquitatẽ, sed secundum æquitatem: quia declaratur, & limitatur æquitas naturalis.

Ad auctoritatem Pontificis, uariæ sunt responsiones, quarum aliqua impugnari possent, sed nolo in hoc immorari.

Dico primò, Põtificem noluisse asserere, solùm duos,

vel

uel tres testes in humanis contractibus esse necessarios, esse omnino de iure diuino, quia male ius canonicum in multis caussis plures testes requireret.

Secundo, cum ius diuinum ait, omne uerbum, idest, omnem humanum contractum, & promissionem esse in ore duorum, uel trium, non prohibet, quin plures, ex caussa, adhiberi possint; sed docet, quid ut plurimum fieri soleat; & non debere quempiam unius tantum testimonio damnari, cap. vniuersis, de testibus: ut omittam hic esse hebraismum quendam; ita ut, in ore duorum, uel trium, idem sonet, quod paucorum: quare illis uerbis nõ uidetur definiri quidam certus numerus.

Tertio, non abrogauit leges ciuiles, cum re uera hae in parte, non sint contra ius naturale, uel diuinum, can. Ad uerum dist. 39. & can. duo.

Quarto, una cum Glos. eod. cap. dico illam constitutionem habere uim in locis subiectis ecclesiæ.

Quod autem ait illas constitutiones esse contrarias iuri diuino, id hoc pacto est accipiendum, non esse secundum id, quod speciatim dicitur in iure diuino: ni uelis dicere Pontificem in assignanda suæ constitutionis ratione, potuisse errare; in quo, ut uiri docti tradunt, errare potest. sed de his alias.

An ea, quæ accepta sunt per metum restituenda sint.
Quæstio. XLVI.

HAec etiam quæstio a nobis in præsentia breuiter attingetur; cum alibi fusius disputanda sit: ea igitur tantum dicemus, quę ad nostrũ institutum proxime conferunt Quod antẽ, quæ per metum accipiuntur non sint restituenda, uno uel altero argumento demonstro.

Primo, quæ ex uoluntate dantur, non sunt restituenda: sed quod ex metu datur, uoluntate datur: igitur. Minor propositio, patet ex doctrina Aristotelis libro tertio ethico, capite primo, ubi statuit, ea quæ metu fiunt

esse simpliciter uoluntaria; idem docent Gregorius Nyssenus, & Damascenus, ut multos alios auctores omittam.

Secundo, si quis ex metu uotum faceret, ut si ob timorem naufragij, aliquis uoueret religionem; uotum ex communi omnium sententia teneret: igitur donatio facta ex metu erit firma.

Postremo, cedere timori ad bonum faciendum est bonum, ut philosophi, qui mores tractant, docent: igitur si quid ex hoc timore fiat, ratum haberi debet: ut si quis cederet timori incusso ad eleemosynam faciendam.

De hac re legendi sunt philosophi morales super Arist. lib. 3. eth. cap. 1. ubi Buridanus & Gerardus Odo: Iuris periti C. de ijs quæ ui, metusue ca. fiunt. & ff. de eo, quod metus caussa: Canonistæ tit. de ijs quæ ui met. ca. fi. & cap. 1. de officio Iud. deleg. Decius de regul. iur. Regula 39. Menochius lib. 2. de quæst. arb iud. cent. 2. casu 135. & 136. Theol. in 4. sent. dist. 15. & 29. Nos missis opinionibus, quibusdam fundamentis & conclusionibus nostram aperiemus sententiam.

Primum fundamentum, quod fit per metum, non est idem cum eo, quod fit per uim: Tunc dicitur aliquid fieri per uim, quando agens non concurrit ad agendum, sed per uiolentiam extrinsecus illatam, aliquid efficit: ut si quis meo apprehenso brachio, me repugnante, & nullo modo iuuante, aliquem offenderet, ego per uim illum læsisse dicerer. Illud uero per metum fieri dicitur, quando adest consensus uoluntatis, qui tamen, metu remoto, non adesset.

Metus ab Vlpiano l. 1. ff. de eo quod met. caussa, sic describitur; Metus est instantis periculi, uel futuri caussa, mentis trepidatio. Vel cum Aristotele libr. 4. ethic. Metus est exspectatio mali.

Vis autem ex Paullo, ff. loc. cit. est maioris rei impetus, quam repelli possit. Metus pertinet ad uoluntatē, uis ad corpus. Glos. c. de ijs, quæ ui. Vis efficit actum sim-

simpliciter inuoluntarium, metus secundum quid.

Secundum fundamentum, in quo diuidendus est metus. Metus duplex est, alter qui dicitur intrinsecus, & is est, quem quis a seipso cócipit, ex eo quod sibi aliquid mali impendere uidet: ex malo nimirum, quod non infertur, ut aliquid faciat, uel saltem id ei non constat: ut cum ægrotus timet mortem, & mercator naufragium, & ex timore uotum religionis uouet. Alter extrinsecús, ut est ille, qui concipitur ex malo, quod in hunc finem infertur, ut aliquis timore perterritus, aliquid agat. Vt si latro minetur mortem uiatori, ni pecunias dederit. Hic duplex est, alter qui iuste infertur, ut cum Iudex ob timorem pœnæ a reo ueritatem extorquet: alter iniustus, ut ille, qui contra iustitiam infertur.

Rursus metus duplex est: alter, qui a Iurisperitis, iustus, a scholasticis, cadés in constantem uirum nominatur, quem non satis bene quidam describunt Iuristæ; tu sic describeres.

Metus cadens est ille, qué uiri constantia secum patitur, id est quem quis manens cóstans, admittere potest, & si admitat, non uituperabitur. Vt si quis ob timorem potius uellet soluere uiginti aureos, quam pati ut a latrone sibi abscinderetur manus. Seu metus cadens est, qui a magno periculo grauioris mali incutitur. Magna autem mala sunt, Mors, infamia, membri mutilatio, carcer perpetuus, & grauis uerberatio.

Alter est metus quem Iuristæ leuem, & non iustum, Theologi, non cadentem in constantem uirum, uocant: & est ille, ob quem, si quis aliquid faceret uituperaretur, & pro incóstanti haberetur: ut si quis ob grauem timorem contra honestatem ageret. Sunt enim quædam, contra quæ nulla est coactio, ut Aristoteles ait, libro 3. eth. cap. 1.

Tertium fundamentum, magnum malum non solum dicitur simpliciter de eo, quod uere est magnum in se, sed etiam comparate ratione minoris mali: similiter constantia nó est simpliciter spectanda, sed pro per

sona-

sonarum uarietate; quia maior requiritur in homine, quam in fœmina, & maior in adulto, quã in puero. quare constantia spectanda est ex persona, quæ malum incutit, ex persona cui incutitur, atque ex mali certitudine, & magnitudine. Verum, timor reuerentialis, qui oritur ex persona, quę est superior, non facit iustum metum: quare non placet, quod dixit Menochius, istarum personarum minas facere iustum metũ, nisi solitæ sint sæuire. quo fit, ut idem bene tradidit, iustum metum iudicandum esse Iudicis arbitrio, Glos. cap. penult. de ijs, quæ ui met. ue ca. fiunt.

Quartum fundamentum, aliter loquẽdum est de metu secundum ius naturale, & diuinum, aliter secundum ius humanum: multa enim sunt quæ ex metu facta tenent, si ius naturale, & diuinum spectes, quæ irrita sunt ex lege humana. Rursus aliter philosophi morales, aliter Iurisperiti de metu agunt. Nam illi ideo metum cõsiderant, ut uideant an sit laude, an uituperatione dignum quod metu fit: hi uero, ut doceant, an contractus ex metu facti uim habeant. Theologi uero utroque modo de metu agunt. His notatis, ad conclusiones accedamus.

Prima conclusio, quod ex metu etiam cadente fit, est simpliciter uoluntarium. Doctrina est communissima omnium philosophorum moralium, & speciatim Aristotelis loco citato: & confirmatur ex Augustini doctrina; can. merito, 15. quęst. 1. & can. Displicet, 24. q. 4. & can. Vides, quęst. 6. quam doctrinam omnes approbant Theoligi, & nos alibi latius probabimus, cum sit multorum casuum conscientiæ fundamentum.

Secunda conclusio, metus cadens non est censendus quicumque, sed ille, quem uir prudens iudicabit, iuxta ea quę supra adnotauimus.

Tertia conclusio, metus ab interno conceptus, & metus externus iuste illatus, etiamsi sit cadens, non tollit contractum, & obligationem ex tali metu factam. Vnde, si quis ex timore mortis uoueret, aut aliquid ali

cui

cui polliceretur, debet promiſſa facere: ſimiliter ſi reus, ex timore ab Iudice iuſte incuſſo, aliquam in uxo rem ducere promiſiſſet. Doctrina eſt communis, & certisſima.

Quarta concluſio, omnis contractus factus per metũ extrinſecum cadentem in conſtantem uirum, lege naturæ eſt obligatorius. Hæc concluſio ponitur a nobis tanquam probabilis, cum contraria ſua probabilitate non careat: quæ doctrina his rationibus nititur.

Primo, ex cap. Abbas, de ijs quę ui met. ue ca. fiunt, ubi decernitur, ut is, qui per metum amittendi patrimo nium ſuo beneficio renunciauit, illud repetere poſſit, quia, quæ metu, & ui fiunt, de iure debent in irritum re uocari: ex quo colligitur, quod metu factum fuit, uim habuiſſe: quia ſancitur, ut in irritum reuocetur. Huc ac cedat nonnullorum ſcriptorum auctoritas, quos uidere poteris citatis locis; ut Palud. 4. diſt. 15. quæſtio. 2. artic. quincto.

Secundo, ex communi Doctorum ſentẽtia, actus procedens ex tali timore, eſt ſimpliciter liber: igitur per eum uera contrahitur obligatio: confirmatur, per talẽ actum uerum contrahitur peccatum, igitur & uerus contractus.

Tertio, ſi iſte contractus eſt nullus, uel quia non eſt uoluntarius; & hoc non, quoniam obligatio nata ex ta li metu ab intrinſeco, uoluntaria eſt, ut omnes docent; uel quia intercedit iniuria, neque hoc obſtat, quia etiam in eo, quod fit ex metu leui, uel non cadente inter cedit iniuria, & tamen ibi oritur obligatio igitur.

Quarto, ex communi ſententia, ſi talis contractus eſſet iuramento firmatus, eſſet ſeruandus, cap. uerum, & cap. debitores de iureiurando, & cap. ad aures de ijs, quæ ui met. ue cauſ. ergo ex ſe obligat. ſi quidem iura mentum obligationi uim adiungit. Adde, quod ſacramenta, quæ characterem imprimunt, per hunc metum ſuſcepta, tenent, & idem diceres de uoto: igitur.

Quincta concluſio, donatio, ſiue contractus factus

ex metu cadente, in foro externo est nullus. Est communis doctrina iuris utriusque consultorum in legibus, & capitibus supra citatis: quare nihil est necesse, ut multos auctores citem. Cum Vlpianus aperte dicat, Quod per metum gestum erit, ratum non habeo: quae uerba, ut Menochius ait, sunt prope diuina: & exponitur de metu cadente, L. Metum, ff. de ijs quae ui.

Sed peteres, cur Iurisconsultus appellauit, cadentem in constantissimum uirum? Respondent Abbas, Decius, & alij, hic sumi superlatiuum, pro positiuo: uel melius, ut arbitror, hoc superlatiuo, designatur maior quidam metus, ut esse debet ille, qui casurus est in constantem uirum.

Sexta conclusio, metus leuis, & qui non cadit in uirum constantem, in foro externo, non impedit obligationem: unde quod per hunc metum acceptum fuit, per leges humanas retinere licet. Est communis doctrina, quam tradunt Nauarrus, & Didacus, in locis quos statim citabo, ut alios omittam, ijsdemque legibus confirmatur.

Septima conclusio, In foro conscientiae, quod per quemcunque timorem, acceptum fuit, si intercedat iniuria, restituendum est.

Primo, confirmatur haec conclusio ex communi sententia: Ita Adrianus in materia de restit. post primam quaest. §. ex quibus, Syluester uerbo metus, in fine, Nauarrus cap. 17. num. 14. Didacus in sua relect. par. 2 § 3. num. 7. Ostiens. & Ioan. And. in cap. cum uerum, de iuramen.

Secũdo, quia ubi intercedit iniuria, laeditur iustitia; ubi iustitia uiolatur, oritur restitutio; igitur, cum in hac facti specie intercedat iniuria restitutio facienda erit. Ex qua ratione non parum confirmatur eorum opinio, qui uolunt obligationem ex metu cadente factam, nullam esse.

Quod si hoc loco de me quaereres, cur ius ciuile non concedat actionem ad repetendum id quod datum est

per

per metũ leuem, cum in foro conſcientiæ, ut diximus, id reſtituendum ſit. Reſponderem, primum, quia ius ciuile præſumit in tali caſu fuiſſe liberam donationem, cum metus ſit leuis: deinde, ut tolleret occaſionem infinitarum controuerſiarum, cum per huiuſmodi metum multa paſſim fieri ſoleant; & leues timores facile fingi poſſint.

Octaua concluſio, falſum eſt per blanditias fieri contractũ, vel donationem inualidam: quod dixerim cõtra Caietanũ in ſumma verbo reſtit. § quia vero; cuius opinionem merito reprehendit Nauarrus in Enchlr. cap. 17. nu. 14.

Primò, quia blanditia, non minuunt voluntarium, vt dicit diuus Thomas prima 2. quæſt. 22. art. 6. ubi ait, paſſionem amoris non inducere inuoluntarium, vt paſſio timoris facit: & ipſemet ait, amorem cõſenſum augere, quam motus minuit.

Secundo, quia iſta doctrina eſt noua, & nullo iure fundata; immo eſt contra expreſſam legem ſi. C. ſi quis aliq. teſt. prohib. Idem dicas, ſi ſolum precibus, etiam importunis, aliquid obtineatur. Modo abſint minæ, quę poſſent iuſtum metum incutere.

Nona concluſio, metus cadens in conſtantem virum tollil omnem culpam quæ poteſt oriri ex tranſgreſſione legis humanæ: eam vero quæ ex tranſgreſſione præcepti diuini, minuit quidem, ſed non omnino tollit. Doctrina eſt ſatis manifeſta, & alio loco probanda.

Decima concluſio, cedere timori inducenti ad bonum, ſemper eſt laudabile, non cedere ſemper malum: contra dicas de eo timore qui inducit ad malum, non cedere laudabile, cedere vituperabile: at uero non cedere timori, inducenti ad id, quod eſt indifferens, eſt vituperabile, cedere vero laudabile. Sed de hinc re latius diſſerere pertinet ad Philoſophos morales, quos locis citatos apud Ariſtotelem uidere poteris.

Poſtrema concluſio, cõtractus, ſiue donatio facta per vim, nulla eſt, in quouis foro, & lege. Doctrina eſt certiſſima,

tissima, ex legibus supra citatis, & ex communi omniũ hominum sensu. Atque per has conclusiones proposi-tæ quæstioni satis erit factum, si argumenra in contrarium aliata, soluantur.

Ad primum, quamuis quod ex metu datur, voluntate detur: tamen, quia intercedit iniuria, propterea est re stituendum: adde etiam, quod non datur ex voluntate omnino libera, cuiusmodi esse debet ea voluntas, qua transferendum est dominium.

Ad secundum hoc argumentum procedit de metu ab intrinseco, qui, vt diximus, non tollit obligationem cõ tractus, seu promissionis, & nullam habet iniuriam an nexam.

Ad tertium, quamuis bonum sit cum modo & ratione aliquem ad bene agendum inducere: tamen id non debet fieri cum iniustitia, & iniuria: cùm non sint facienda mala, vt inde eueniant bona, ut Paulus nos docet.

Atque hæc breuiter de restitutione eorum, quæ per metum acquiruntur dixisse sufficiat. Nunc quoniam de ijs uniuerse egimus, quæ ob aliquam conditionem dan tur, consequitur, vt de eorum restitutione agamus, quæ ob aliquam caussam vel honestam, uel turpem, opusue iniustum acquiruntur, danturue: de quibus non leues, nec parum difficiles examinantur quæstiones.

De restitutione eorum, quæ accipiuntur ob aliquam turpem caussam. Quæstio XLVII.

Iam aggredimur nunc huius nostri tractatus partem, in qua de earum rerum restitutione agendum est, quæ ob aliquam caussam accipiuntur ab alio, eo non inuito. Potest autem caussa ob quam aliquid accipitur esse, uel honesta, ut si quis daret alicui pecunias, ut castitatem seruaret; uel turpis, ut si daretur pretium pro re signatione beneficii: quo loco auctores distinguunt

tria

tria genera traditionum ob turpem caussa.

Primum, cum traditio est turpis solum ex parte dantis, non autem ex parte accipientis: ut quando datur pretium meretrici, uel hystrioni ob turpem actum.

Secundum, cum turpitudo est ex parte accipientis: ut si iudex acciperet pretium pro iusta sententia ferenda, quã alias ferre deberet; uel si quis acciperet pecunias, ne hominem occideret.

Tertium, quando ex parte utriusque, dantis minimũ & accipientis esset turpis: ut cum datur aliquid pro cõtractu simoniaco, ubi & is qui dat, & is qui accipit turpiter agit.

Rursus caussa turpis, uel solam habet turpitudinem contra honestatem, ut patet in exemplo de meretrice, uel etiam cum turpitudine annexa est iniustitia, ut cũ accipitur pretium pro actu iniusto exercendo; ut si quis acciperet pecuniam ad occidendum hominem.

Item, aliqua acceptio dicitur turpis, uel ex sua natura, quando res ob quam accipitur, ex se, contra rationẽ pugnat: uel quia est per legem prohibita. In hac dispu tatione nos agemus de restitutione facienda ob caussam ex se turpem, non tamen iniustam, de qua erit spe cialis difficultas.

Vt autẽ intelligantur Doctorum sententię, animaduertendum est, hanc quæstionem posse dupliciter tractari; uno modo uniuerse, an scilicet pretium acceptum pro quauis actione criminosa, sit restituendum: altero uero speciatim, de hac uel illa actione: & tũc pręcipua, & ma xima difficultas est de lucro ex meretricio acquisito. In summa, ut ea de quibus disserendum est, breuiter ob oculos proponantur, hæc sunt capita eorum, quę a nobis explicanda sunt.

Primum, an pro aliquo actu non honesto liceat aliquid accipere, & retinere: Secundum, an pro peccato non faciendo: Tertium, an pro actu meritrcio: Quartũ, an pro actu, qui est contra iustitiam: Quinctum an pro opere iustitiæ, & alias debito: Sextum, an pro bono ope

ro

re uniuersæ. In hac quæstione duo prima capita breuiter expediemus. Quod autem pro malo opere pretium accipere non liceat, & acceptum restituendum sit, his rationibus probatur.

Primo, pro iusto opere, quod aliquis efficere debet, non licet aliquid recipere, vt patet ex ff. de conditione ob turpem caussam, ergo neque pro opere criminoso. Nam, vt habetur lege 5. titulo citato, si tibi dedero ut mihi rem depositam reddas, teneris acceptum restitue re, igitur.

Secundo, idem probari potest ex cap Nemo presbyterorum, de Simonia, ubi docemur, emolumentum receptum ab aliquo pro opere criminoso, aut pro omissione operis, quod alias tenemur facere, esse restituẽdũ quo loco fit mentio, de eo, qui pretium accepit, vt alterius peccatum celaret. Huc etiam pertinet cap. ad liberandam, de Iudæis, & Saracenis, vbi statuitur, ne absoluantur a peccato, nisi restituatur quidquid lucrati fuerint ij, qui arma & alia uetita uendunt Saracenis. Quare pro illa illicita negotiatione nihil accipere licet, & quod est accetpum, restituendum est.

Tertio, si pro opere criminoso aliquid accipere ac retinere liceret, pari etiam ratione promissio dandi aliquid pro peccato perpetrando esset valida, quod est falsum, cum stipulatio turpis pro inualida habeatur, l. generaliter, ff. de verborum obligatione.

Quarto, quoniam uidetur omnino esse contra rationem posse vendi actum, qui est contra legem, siue naturalem, siue diuinam, aut humanam, cuiusmodi est actus turpis, qui saltem vnam, vel alteram, vel omnes ex dictis legibus violat. Atque dubitandi caussa has rationes attulisse sufficiat.

In hac difficultate fuit prima opinio qnorũdam, qui existimarunt, uniuerse loquendo, pro actu illicito nihil posse accipi, & si quid acceptum est, restituendum esse. Ita Innocent. cap. quia plerique, de immunitate ecclesiarum; quem eodem loco sequitur Panormit. quæst. 10.

con-

conclus.3.& Ostiens.cap.Cum sit, de Iudæis. In quam sententiam etiam Paludanus quæst.2.art.2. inclinare uidetur,& q.3.art.5.

Secunda opinio Ioannis Medinæ,codic.de rebus restit.quæst.20.& quæst.28.in fine, qui tria dicit.Primum, pro caussa seu actu, qui ex se est peccatum,nihil potest accipi,& si accipiatur restituendum est.Secundum,si intercedat tacita vel expressa donatio dantis,posito quod donare possit, recipere & retinere licet.Tertium, quando caussa,vel opus propter quod acceptum est pretium, non est ex se malū,sed ex circunstantia,supposito,quod opus non sit de ijs, quæ gratis agenda sunt,aliquid accipere & retinere licet.

Tertia sententia aliorum, qui distinguunt de opere, quod est contra caritatem, & de eo quod est contra iustitiam: quod est accepū pro opere cōtra caritatem retinere lic et: non autem quod acceptum fuit pro opere, quod est contra iustitiam:alij vero existimant etiam retinere licere,quod pro opere iniusto accipitur.Qui autem sint auctores in utraque sententia, postea dicetur. Et quoniam hic nihil occurrit notandum præter ea,quæ iam exposuimus,ad conclusiones ipsas me confero.

Prima conclusio,pro actu criminoso, seu pro opere, quod habet annexum peccatum aliquod, pretium recipere vel dare,semper est peccatū contra caritaté.Est cōclusio manifesta, quoniam qui tale pretium accipit,vel peccat ipse,vel saltem concurrit,ad peccandum,consentitque peccato.Intelligenda est hęc conclusio uniuerse, quia ex aliqua circumstantia posset non esse peccatum: vt si quis daret pecuniam iudici noléti alias iustam sententiam dicere, ad quam pronunciandam esset obligatus.

Secunda conclusio, si pretium sit datum pro opere seu contractu aliquo,qui est malus ex aliqua circunstantia,potest iuste retineri.Doctrina est communis, & patebit ex subiectis exemplis. Quidam vendidit frumentum die festo,aut eo in loco,ubi erat prohibitum negotiatio-

nem exercere venditio illa, ex circunstantia fuit mala; sed tamen venditor non tenetur pretium restituere. Similiter, quidam negociatus est cum aliquo excommunicato, vel hæretico, seruata tamen in negociando iustitia, non propterea, quod peccauit commercium habendo cum eo, quo cum tractare non poterat, iustum pretium acceptum debet restituere.

Tertia conclusio, non implicat, ut pro aliquo actu seu opere aliquo quod ex se suaque natura peccatum est, aliquod pretium iuste recipiatur, & retineatur, etiamsi nulla intercedat donatio. Est conclusio contra primam & secundam sententiam: pro cuius declaratione nota.

In actu peccati duo nos posse considerare; unum est deformitas ipsa & ratio peccati, quæ in quadam negatione, seu priuatione consistit; & hęc cum nihil sit, vendi non potest: alterum est aliquid, vel commodi, vel vtilitatis, aut voluptatis, seu laboris, & periculi, quod in ipso actu percipitur, aut suscipitur propter quod vendibile est. Vniuerse itaque loquendo, non repugnat accipere aliquod pretium pro peccato, quod non sit restituendum.

Primo probatur hæc conclusio communi Doctorum sententia, de qua constabit ex ijs, quæ deinceps in alijs disputationibus dicemus: a qua nullo modo est recedendum, cum nulla sit ratio vrgens in contrarium, & præsertim in ipsa praxi.

Secũdo, multi sunt actus peccati, laboriosi, difficiles, qui possunt exerceri sine ulla iniustitia: ergo si quis pro his pretium accipiat, cum non intercedat iniuria nulla erit facienda restitutio. Et quoniam hæc conclusio, ex ijs, quæ duabus disputationibus sequentibus dicentur adhuc manifestior fiet, non est cur pluribus hoc loco confirmetur.

Quarta conclusio, si ab aliqua lege statutum esset, ne pro aliquo peccato pretium reciperetur, standum esset illi legi. Siquidem resp. facultatem habet dandi formam contractibus, & ad eos irritos faciendos, etiamsi

alias

alias sint liciti, ut patet de contractu matrimonij clam destine contracti, quem Concilium Tridentinum irritũ fecit: ergo multo magis contractum circa actum illicitum irritare potest.

In hac autem materia huiusmodi esse videtur legis communis dispositio; Quando caussa est turpis ex utraque parte, qui dedit, repetere non potest: sed lex non decernit, an qui accepit possit retinere: qui tamen alijs de caussis retinere non potest: ut si quis accepisset pretium pro falso testimonio dicẽdo: quod pretium etiam ab hæredibus esset repetendum, &, vel fisco, uel ei in cuius detrimentum pecunia fuit erogata dandum esset: quando turpitudo est tantum ex parte accipientis, qui dedit, repetere potest: at quando est parte dantis, qui dat nequit repetere.

Quincta conclusio, quædam sunt caussæ, seu stipulationes turpes in quibus quod accipitur nullo modo retineri potest. Ita accidit in simonia, quia res spirituales non sunt venditionis capaces: similiter in vsura, vbi semper intercedit iniustitia. Quod si pretium in his casibus daretur, ex liberalitate, vel gratitudine non esset restituendum.

Sexta conclusio, fieri potest, vt pro aliquo peccato vitando aliquid iuste accipiatur & retineatur. Exempli gratia, est aliqua mulier omnino parata ad peccãdum, cui ab aliquo datur pecunia ut a peccato abstineat; vt ille potest licite dare, ita ista potest licite accipere & retinere, etiamsi obligata erat ad peccatum vitandum. Est hæc conclusio contra glos. quam multi summistæ sequũtur, l. ut puta. ff. de cond. ob tur. caus. sed nostra doctrina est Soti lib. 4. de iust. & iure, quęst. 7. in responsione ad secundum, & Nauarri cap. 17. num. 39. quam hæc ratio confirmat. Quoniam, & si ista fœmina teneatur abstinere ab actu impudico: tamen, quia sibi uiolentiã infert, seque cum difficultate continet, vincendo carnis appetitum, talis actus capax est pretij. Adde etiã, quod eius causa abstinet, ac proinde si quid ei detur, potest

tute retinere. Sotus tamen ait hanc conclusionem intel ligendam esse, cum abstinet ab ijs vitijs, quæ non committuntur cum alterius iniuria, cuiusmodi est scortatio: quoniam in ijs, quæ iniuriam continent, retinere non posset; de qua re postea quid sentiendum sit, integra quęstione videbimus. Addit, etiam quod ei, qui dedisset tale pretium non daretur repetitio: sed contra videtur sentire Nauarrus, qui multis rationibus distinctionem Soti de peccato contra caritatem, & iustitiam, refellit. Sed hæc inferius accuratius. Nunc argumenta superius allata soluamus.

Ad primum hoc argumentum concludit, quando is qui accipit, ex iustitia tenetur aliquid agere: quando autem non teuetur, potest recipere, vt infra apertius dicetur.

Ad secundum, respondetur eodem modo, & capite illo citato agitur de simonia, pro qua, vt diximus, nihil accipere licet, cum res venditor, non sit venditionis capax. Illi uero, qui arma vendunt Saracenis aliquid restituere coguntur per modum pœnæ, ob legis transgressionem.

Ad tertium concedimus esse dandum, quod pro turpi actu promittitur; quod si leges stipulationes turpes non approbant, id est pœnale, dum repetitionem non concedunt.

Ad quartum, non est contra rationem iustitiæ, licet sit contra legem caritatis, vt id vendatur, quod cum lege pugnat: modo in sed aliquid habeat, quod pretio estimari possit.

An acquisita per meretricium restituenda sint.
Quæstio. XLVIII.



Vamuis ex proxima quæstione, quid in proposita difficultate tenendum sit, aliqua ratione appareat: tamen, quia hæc difficultas priuatim tractari solet, de qua etiam priuatæ sunt scriptorum sententiæ; propterea priuata opus est discu-

discussione. Quod autem meretrici pro turpi actu nihil recipere liceat, his posset rationibus suaderi.

Primo, ex iure diuino, Deuteron. capite vigesimo tertio, vbi prohibetur, ne offeratur merces prostibuli in domo Domini: quod si meretrix ius haberet in mercedem acceptam, eam proculdubio posset retinere & offerre, & sacerdos eam acceptare. Huc etiam facit, quod Ecclesiastici capite 34. dicitur, Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata: & dona iniquorum non probat Altissimus. Et addit Sapiens, Nec in multitudine sacrificiorum repropitiabitur peccatis eorum.

Secundo, auctoritate legum ciuilium: donatio facta meretrici a milite non tenet l. Affectionis. ff. de donationibus, vbi etiã militi datur repetitio; igitur. Huc quoque pertinet, quod statuitur in l. Lucius Titius, in fine. ff. de iure fisci, ex quo loco Doctores colligunt, meretricem non publicam esse obligatam in foro conscientiæ ad restituendum quod turpiter acquisiuit: ergo & meretrix publica, cum in ea sit maior turpitudo, saltem ratione scandali. Huc pertinent nonnullæ aliæ leges, quę habentur, ff. de condition. ob turpem caussam, quibus docetur, omnem promissionem ob turpem caussam esse illicitam.

Tertio diui Augustini auctoritate, qui ad hanc eandem rem probandam vtitur locis diuinæ scripturæ supe rius citatis, quæ auctoritas habetur apud Gratianum 14. quæst. 5. in principio: ubi damnatur omne pretium iniquitatis, cuiusmodi est meretricis pretium, ex iniquitate, hoc est, ex peccato acquisitum.

Quarto, non minus iniquum est fœminam corpus suum alieno viro pro pretio tradere, quam suo marito, a quo, si pretium acciperet, illud restituere deberet: ergo multo magis, si ab alieno accipiat: quoniam, si corpus non est venale ratione mariti, nec etiam vendi poterit ratione alterius hominis.

Cõfirmatur hoc argumẽtũ, mulier vsum sui corporis gratis suo uiro debet; ergo non potest aliquo pretio al-

teri tradere: sicuti nec bona fortunæ: quæ sunt sui uiri: habet hoc argumentum priuatam difficultatem de adultera.

Postremo, meretrix non est domina sui corporis, ergo neque etiã vsus corporis illiciti: ergo nó poterit suũ corpus alteri exhibere: antecedens patet ex l. liber homo, ff. ad lege Aquiliam, & c. contingit, de sententia excommunicat.

Confirmatur, vsus illicitus corporis, cum sit peccatũ, non potest pretio æstimari; ergo quidquid datum erit pretij, restituere oportebit, cum non seruetur ęqualitas. Atque his rationibus persuaderi posset altera huius quæstionis pars, de qua hæ sunt Doctorum sententiæ.

Prima, quorundam qui existimant meretricem in foro exteriori non posse petere mercedem sibi promissam ob vsum sui corporis. Ita Glossa, l. 4. §. sed quod meretrici, ff. de condict. ob tur. caus. & in l. 2. C. de condict. ob tur. cau. Baldus, Paul. & Iason in dicto §. sed quod meretrici, & quidam alij. ex qua sententia colligitur, eam non posse aliquod pretium accipere: quod autem petere & retinere possit, est communis opinio, vt Ias. & Zasius, in leg. generaliter. ff. de verborum obligatione testantur.

Secunda sententia Medinæ, locis proxima quæstione citatis: qui de hac re speciatim loquens, ait, meretricem per modum pretij nihil posse recipere, & si recipit, tenetur restituere: quod si detur per modum donationis, retinere potest. Idem videtur sentire Adrianus in quęst. de hac re.

Tertia sententia Antonij de Butrio, Abbatis ca. quia plerique, de immunit. eccles. Cyni & Ang. in l. 2. C. de condit. ob turpem caussam. Quæ sententia duo dicit: primum, públicas meretrices posse aliquid accipere: & retinere: alterum eas quæ non profitentur publice meretricium retinere non posse, si quid acceperint.

Hæc opinio, habet fundamentum in lege 2. ff. de condict. ob turpem caussam: quoniam leges videntur ali-

quid

quid concedere meretricibus publicis; alias uero potius puniunt,& præsertim adulteras,ca. primo,& sexto, de adulterijs.

Quarta opinio Nauarri in Enchiridio, ca.17. nu.36. qui hæc dicit.Primum,parem esse rationem de meretricio,& de alijs criminibus: secundum meretricem posse pretium acceptum retinere:quia quod voluntarie ab alio est acceptum:ita vt ab vtraque parte committatur turpitudo, nulli de præcepto est restituendum: tertium §. sed quod meretrici leg. 4. ff. de condit. ob turpem caussam,meretricem turpiter facere, non tamen turpiter accipere,cum sit meretrix,esse intelligendum secundum ius humanum,quod permittit eam meretricem esse:quod est speciale in meritricio,& propterea, lex ait, Noua ratione.Postremo,ait non solum turpe esse meretricari, sed etiam pretium accipere: in quo accipiendo non secus peccat,ac is peccaret,qui pro opere gladiatorio,& pro iniusto bello gerendo stipendium acciperet. Quare non solum peccat,qui dat, sed etiam meretrix quæ accepit.

Fundamentum eius est, quia datur & accipitur pro eo,quod est peccatum.

Quinta sententia aliorum,qui existimant meretrices posse aliquid iuste recipere,non solum in foro exteriori,sed etiam in interiori,non solum ratione donationis,& ex libera voluntate dantis,sed etiam ratione rei, quatenus intercedit uenditio quædam usus corporis: qui est pecunia æstimabilis.Ita diuus Thomas. 2.2.quæstio.32.art.7.ad secundum: Ibidem Dominus Caietanus:Anton.2.part.tit.2.ca.5.Sylu verb. rest.Monal. ver. rest.Sotus,lib.2.de iust.& iur.quæst.7.art. 1. in respons. ad primum.Couar.in sua relect.part.2. §.2. nume.4. & denique Ledesma,& quidam Canonistæ cap.peruenit, de Adulter.Nos quid hac in re sentiendum sit,his conclusionibus statuimus.

Prima conclusio, in foro exteriori meretrix non tenetur restituere acceptum pretium pro turpi actu: imo

ius humanum dat ei actionem ad petendum, quod est promissum, quam actionem negat ei, qui dedit, ad repetendum. Doctrina est communissima: & patet ex l. & §. supra citato, ff. de condit. ob turpem caussam: & confirmatur ex eo, quod publice permittuntur, & aliquando ab humana lege taxatur pretium.

Secunda conclusio, idem dicendum est de omnibus alijs mulieribus, quæ a legibus non puniūtur, si per fornicationem aliquid fuerint lucratæ: quare, si vidua ob turpem caussam aliquid acciperet, non tenetur restituere. Quoniam eo ipso quod hæ non puniuntur, permittuntur; & ideo possunt aliquid accipere. Ita præter alios loco citato docet Couarruuias.

Tertia conclusio, quando leges prohibent, ac puniūt aliquod genus concubitus, non licet in foro exteriori promissam mercedem petere. Quare adultera, monialis, monachus, & clericus in exteriori foro, non posset aliquid pro turpi concubitu petere: cum hi omnes a legibus ob tale crimen puniantur, tit. ad l. Iuliam de adulterijs, & l. vnica. C. de raptu virg. & cap. 1. & 2. de adulter. & 17. quæstio. 2. per totam. Et ratio est, quia repugnat, vt possit in foro exteriori aliquid petere pro eo opere, pro quo ibi puniri debet.

Quarta conclusio, in foro conscientiæ meretrices, quod acceperunt ob turpem actum, retinere possunt. Hanc conclusionem, omissa legum humanarum auctoritate, quas aliquis posset dicere procedere secundum opinionem Ethnicorum, qui existimabant fornicationem non esse peccatum, alijs confirmo rationibus.

Primo, ex communi sententia iuris vtriusque peritorum, locis citatis, & Theologorum: Ita diuus Thomas, Caietanus, Antoninus, Syluester, Adrianus, Medina, Sotus, Nauarrus & alij multi, quos nominatim recē sere nihil est necesse.

Secundo, quoniā intercedit libera voluntas eius qui dat, saltē per donationem: per quam potest aliquis pro quacunque caussa rem suam alienare; quare, cum nul-

la intercedat iniuria, quod acceptum est, non erit restitutioni obnoxium. Quæ ratio non solum locum habet in meretricio, sed ēt in quocunq; malo opere. Falsa est ergo Dyni, & eorum qui eum sequuntur opinio, qui contra sentiunt. Hæc communis doctrina quam sequenti conclusione adhuc magis confirmabo, duas recipit moderationes.

Prima, quam tradit Innocent. cap. quia plerique, de immunit. eccle. meretrix obligata esset ad restituendū, quando aliquid per fraudem, qua non raro uti solent, accepit: ut si quæ fingeret se esse intactam, aut semel tactam, & hanc ob caussam maius pretium acciperet: similiter, si ui aliquid pecuniarū extorsisset. Ita diuus Thomas. 2. 2. quæst. 62. artic. 5. Palud. distinct. 15. quæst. 3. artic. 5. conc. 4. Sotus & Caiet. & nonnulli alij: & ratio est in promptu, quoniam intercederet iniustitia, quæ est restitutionis fundamentum. At vero si falso diceret, se vehementer quempiam amare, se vehementer eius consortio delectari, vt hac arte pecunias extorqueret, non teneretur restituere: cum nemo ignoret has esse earum illecebras.

Secunda, quando reciperet pretium ab eo, qui non esset dominus pretij: idque ei constaret. Vt si rem haberet cum filio familias, vel cum Monacho: sed ratione paruæ quantitatis excusari posset: quia præsumeretur de uoluntate habentis dominium.

Quincta conclusio, meretrix, non solum ratione donationis, vel voluntariæ traditionis potest iuste datum pretium retinere, sed etiam, ex rei natura, & ex ui operis seu ipsius actus. Hæc conclusio est contra opinionem eorum, qui caussam iustæ retentionis, solam donationem, vel liberam traditionem assignāt: nostra sententia his rationibus confirmatur.

Primo, mulier est domina vsus sui corporis, ratione concubitus, sicuti & aliorum actuum: ergo potest cum aliquo pacisci, de hoc actu, sicuti de alijs: quare quemadmodum retinere potest, quod accepit pro alio vsu

sui

sui corporis, poterit etiam retinere, ratione iustitiæ, quod ex actu meretricio accepit. Confirmatur talis actus non est malus in genere iustitiæ, igitur pretium per eum acquisitum sua natura & ui iustitiæ retineri poterit.

Secundo, talis actus est pecunia æstimabilis; potest igitur pro eo de pretio pactum fieri, ac id iure retineri, quod solutum fuerit: quod autẽ sub æstimationẽ cadat, patet ex diui Thomæ & Caietani doctrina: ut omittam communem hominum consensum, qui arbitrantur meretricem ob talem actum aliquid mereri, & quod meretur certo pretio persolui posse, ac debere.

Tertio ex facto Iudæ, quod Genesis capite 38. narratur, qui quam promiserat Thamar meretrici mercedem, eam persoluit, ac dixit, Si noluerit accipere, non poterit me arguere. Ex quibus uerbis colligitur, non ex liberalitate & donatione, sed ex iustitia mercedem illam soluere uoluisse.

Quarto, huc facit, quod Sapiens Prouerb. 6. ait, Pretium Scorti vix est unius panis. His accedat communis, etiam rudium hominum opinio; qui existimant vere ex iustitia meretricibus aliquid dari.

Adde etiam, si placet, argumentum ductum ab etymologia; meretrix enim ideo sic nominatur, quod id mereatur, quod usum sui corporis præbendo accipit: at qui si meretur, non ex donatione, sed ex iustitia accipit ac proinde retinere potest.

Sexta conclusio, acceptio & traditio pretij pro actu meretricio, ex se, suaque natura non est mala: quamuis aliunde uitiari possit. Est hæc conclusio contra opinionem Medinæ & Nauarri, pro sententia diui Thomæ, & Theologorum. Vt autem nostræ opinionis probationẽ percipias, animaduertendum est cum Domino Caietano, traditionem pecuniæ pro turpi actu, dupliciter considerari posse: primo modo, ut imperata a luxuria, & hoc modo potest esse peccatum, cum sit ex mala radi-

ce: altero modo ut imperatur a iustitia, quatenus fornicator uult satisfacere ei, quæ uendidit, quod erat vendibile, & sub hac consideratione non est peccatum; hac supposita declaratione, his rationibus allata probatur doctrina.

Primo, quando pretij traditio, seu solutio est de re, seu obiecto iusto & licito, ipsa quoq; est licita; sed ita se habet in casu nostro: quia remoto actu peccati, solutio versatur circa promissionem, & æqualitatem, quæ retinenda est, ut omittam leges humanas, quæ ad solutiotionem obligant; igitur.

Secundo, idem confirmatur ex differentia, quæ est inter contractus sua natura illicitos, & iniquos, ut sunt contractus simoniacus, & vsurarius, in quibus pretij traditio ex ipsa promissione, est illicita: at vero in casu nostro, post ipsum turpem actum, remanet obligatio ad soluendum: implicat igitur talem solutionem esse faciendam, & esse peccatum.

Tertio, idem confirmatur argumento ducto a simili de eo, qui exercet uenditionem prohibitam, ut si quis emeret aliquid, quod est lege prohibitum; ubi quamuis emptio esset iniqua: tamen pretij traditio, & receptio licita esset; atque idem dicas de eo, qui emit, mercedis pacto intercedente, vsum corporis meretricis: qui pretium dando non peccat, sicuti nec meretrix illud recipiendo.

Ex his quæ dicta sunt nonnulla colligere licet.

Primum eum qui meretricem cognouit, esse obligatum ad soluendum pretium promissum, modo terminũ uel a lege taxatum, aut consuetudine approbatum non excedat: nisi tacite, vel expresse meretrix sui corporis gratis vsum præbere uoluerit.

Alterum, meretrices esse uere dominas eius, quod per meretricium acquirunt.

Tertium, non esse verum, quod ait Medina, meretrices nihil recipere posse per modum pretij, sed solum per modum donationis. Quoniam si esset simplex dona

ctio, non possent per leges pretium non solutum repetere, nec pariter leges dicerent, eas iuste accipere.

Quartum, contra eundem, actum maretricandi esse pecunia æstimabilem ratione voluptatis, & vsus corporis, ratione filiorum suscipiendorum & denique ratione incolumitatis corporis, si hac de causa, quis rem habere vellet..

Septima conclusio, non solum meretrices publicæ, sed etiam occultæ possunt pretium accipere & retinere. Quoniam eadem est ratio, de publicis & non publicis: immo ratione maioris honestatis, quodam maiore iure eis aliquid debetur. Adde etiam, quod lex loquitur de meretrice, & non distinguit de publica, aut occulta; quæ licet non sit publice exposita; tamen re uera exposita est. Accedat etiam, quod est cōmunior opinio. Ita Antoninus, Syluester, Sotus, Nauarrus, Caietanus, Couarruuias, & alij.

Octaua conclusio, maritata, & virgo, & monialis possunt recipere, & retinere pretium datum pro turpi actu; & quod eis promissum fuit, soluendum est. Patet ijsdem rationibus, & eadem doctorum citatorum auctoritate. Nam, licet flagitia ab huiusmodi personis cōmissa a legibus puniantur, & actio petendæ mercedis negetur: tamen, si ius naturæ spectemus, cum traditio, & receptio non sit iniqua, nulla erit hic restituendi necessitas. Vnde non placet, quod ait Couar. vt adnotauit Nauar. nume. 35. ideo meretrices posse accipere, quia leges permittendo faciunt earum operam iustā, non autem alias aliarum operas: quia, ipsemet docet etiam eas, quæ non sunt meretrices quod datum est, retinere posse, & tamen a lege non permittuntur.

Nona conclusio, nec maritata marito, nec filia patri tenetur dare mercedem ex turpi concubitu acquisitam; sed possunt illam in proprium vsum conuertere. Ita Sotus, Couar. & Syluester, Limitat Sotus, nisi maritata amplam supellectilem acquisiuisset, quę idcirco in vsum mariti venire deberet.

Decima

Decima conclusio, non solum fœminæ, seu etiam mares possunt aliquam mercedem pro tali actu recipere. Patet hæc conclusio, primum ex communiore sententia: deinde quia eadem est ratio, quæ de fœmina, quæ potest dare viro pretium, vt ex eo voluptatem aut filios suscipiat: & Amazones pretio conducebat uiros, ex quibus filios susciperent. Verum tamen est, quod fœminæ iustiore quadam ratione mercedem accipiunt, ob maiorem quam contrahunt infamiæ notam.

Vndecima conclusio, quod dictum est de actu meretricio, idem dicendum est de quocunque actu turpi, ex quo lucrum, ex pacto operis locati capitur; ut patet de Parasytis, Mimis, Histrionibus, & alijs similibus artificibus. Ita Alexander Alens. Caietanus, Medina, Didacus, & est communis opinio, & res est per se satis manifesta. Nam huiusmodi artes, si ad hominum delectationem, sine aliorum offensione exerceantur, licitæ sunt: ut patet ex diuo Thoma, 2.2.quæst.168.art.2.& syl.uer. ars.quæs.7.& ex Canonist.ca. 1.de vit.& honest.cleric.lib.6.Adde quod etiamsi actus essent turpes adhuc sunt pecunia æstimabiles, sicuti & vsus corporis meretricis. Atque de his conclusionibus hactenus, nunc ad argumenta dicamus.

Ad primum, auctoritas ex Deuter.sumpta non probat mercedem meretricis fuisse iniuste acceptam, sed solum in detestationem huius peccati, Deus renuit oblationem rei acquisitæ ex turpi lucro. Illa vero ex Ecclesiastico sumpta, loquitur de oblatione facta ex iniquo, idest ex re cum iniustitia accepta; ut esset oblatio facta ex furto: vel si intelligere uis de quacũque iniquitate, dicam, non probari, ad detestationem peccati, quo id quod offertur acquisitum fuit.

Ad secundum, primum leges humanę fauent nostræ sententiæ, vt patet ex dictis: deinde, quod attinet ad donationem illam a milite factam meretrici, id procedit secundum dispositionem iuris, in fauorem militiæ

ne

ne distrahant stipendia, & bona quibus ad pugnãdum indigent. Est itaque hoc speciale in militibus, ut etiam in minoribus, qui alienare nõ possunt. Lex illa, Lucius, loquitur de adultera, quæ venenum marito propinaue rat, quę non tam pro adulterio, quam pro homicidio damnata fuit, & propterea, quæ ex adulterio acceperat, applicatum est Fisco: sed tamen ante condemnationem, secundum naturæ legem, erat vere domina eius quod adulterio acquisiuerat. Cur autem sit diuersa de publicis, & occultis meretricibus dispositio, ea est caussa, quod ex coucubitu occultarum magis turbatur, & maiora damna capit resp. propter rixas, maiores expensas, aliasque nonnullas rationes.

Ad tertium, quod attinet ad Diui Augustini auctoritatem, explicanda est eo modo quo, explicuimus auctoritates diuinæ scripturæ: vocat enim pretium iniquitatis, hoc est, peccati; non quod acceptũ sit contra æquitatem.

Ad quartum, non est par ratio de marito, & de alio homine, quia uxor ex debito iustitiæ tenetur suo viro sui corporis potestatem facere: quæ & si habeat corpus suum obligatum marito: non tamen quocunque modo & tẽpore nec est parratio de alijs bonis fortunæ, in quę vir plenum dominium habet: ex quibus patet etiam ad confirmationem.

Ad quinctum, esto fœminam non esse dominã sui corporis: est tamen domina usus, & usus fructus: sicuti emphyteuta eorum quæ iure emphyteotico possidet.

Neque confirmatio quicquam concludit, ut patet ex dictis: non enim venditur peccatum, ut peccatum est, sed corporis vsus, licet sit malus.

An quæ iniusta caussa acquiruntur, restituenda sint.
Quæstio XLIX.



Xplicata difficultate de rebus acquisitis ob turpem caussam, cum turpitudo est contra honestatem, maior restat dubitatio de ijs, quæ acquiruntur ob caussam turpem, quæ est contra iustitiam: ut si quis accepisset mercedem pro homicidio, pro sententia iniusta ferenda, & denique, uniuerse loquendo, cum caussa continet iniustitiam & maleficium. Quod autem pretium pro hoc genere caussarum acceptum retineri non possit, his rationibus probatur.

Primo, ex iure canonico, cap. Cum sit, de Iudæis & Saracenis, ubi statuitur, ut officialis Iudæus alicui officio præpositus ab homine Christiano, restituat quidquid occasione officij fuerit adeptus: ob eam nimirum caussam, quod iniuste accepisset. Similiter cap. De hoc, de Simonia, decernitur, ut acquisita per Simoniam restituantur ecclesiæ, quoniam, quæ hoc pacto acquiruntur, contra iustitiam parantur.

Secundo, auctoritate legum ciuilium, leges ciuiles irritos faciunt omnes contractus, qui iniustitiam continent: igitur quidquid per maleficium fuerit acquisitum restituendum erit: sumptum patet ex legibus ciuilibus quæ citãtur 1. quæst. 1. can. Iubemus, & sequent. & l. iuris gentium, §. si ob maleficium, ff. de pactis. l. generaliter. ff. de verbor. obligatio. quibus in locis habetur, titulum quo aliquid datur ob maleficium, ipso iure esse nullum: igitur.

Tertio, ex grauissima diui Augustini auctoritate in epistola ad Macedonium, quæ habetur 14. quæstio. 5. cap. Non sane, vbi docet iudicia & testimonia, etiam vera, vendenda non esse, & iustum iudicium non esse uenale: igitur.

Con-

Confirmatur hoc argumentum ex facto Iudæ proditoris, qui cum Christum dominum inique vendidisset, restituit precium sanguinis iusti.

Quarto, dare, seu soluere pretium pertinet ad uirtutem iustitiæ: implicat igitur quod detur pro actu iniustitiæ, & si datum fuerit, quod retineri possit.

Confirmatur, adhuc, huiusmodi factus, exempli gratia, hominis occiso, non est venditionis capax; igitur nō potest pro ea precium accipi. Adde etiam, quod bona pars eorum Doctorum, qui concedunt pro turpi actu contra caritatem aliquid accipi posse, pro maleficio & actu iniusto nihil accipi posse affirmant.

Quod ad opiniones attinet, duæ sunt in hac difficultate sententiæ, prima, quæ uidetur communior Thomistarum, qui affirmant pro turpi actu, qui iniustitiam & turpitudinem ex vtraque parte continet, nec dari, nec accipi quicquam posse, & eum qui accipit esse obligatum ad restituendum. Ita dominus Caietanus, & Sotus lib. 4. quęst. 7. art. 1. in respons. ad primum: cuius fundamentum est, quia leges faciunt inhabilem ad recipiēdum, in odium delicti, quod est contra iustitiam; & ita nullum acquiritur dominiū. Idem sentiunt Canonistæ nonnulli.

Secunda sententia Nauarri in enchir. cap. 17. nume. 30. qui citat Antoninum, par. 2. cap. 5. in princ. Monald. verbo, restitutio. 2. Angelum in verbo restit. & Syluest. verbo rest. 2. quæst. 1. & verbo eleemos. quæst. 4. & Didaci in relect. in regulam, Peccatum, numero 7. par. 2. qui qui doctores, quos alij recentiores sequuntur, parem faciunt rationem, in casu superioris, & in casu præsentis quæstionis: hoc est, siue accipitur pro turpi tantum caussa, siue etiam pro iniusta.

Inter eos autem, qui sequuntur priorem sententiam, est dubitatio, cui nam facienda sit restitutio.

Nam, aliqui dicunt in foro conscientiæ faciendam esse pauperibus: in exteriori uero, ei, cui uoluerit Iudex

dex. Ita Innocent. cap. quia pleriqúe de immunitat. eccleſ. Paludanus lib. 4. ſent. diſtin. 15. quæſt. 3. art. 5. conclu. 4. idque probant ex duobus capitibus ſupra citatis, in primo argumento.

Adrianus autem in materia de reſtit. in quæſtione particulari de hac re, quæ incipit, Reſtat inquirere, in fine, ait eſſe liberum reſtituere, uel pauperibus, uel ei, qui dedit.

At vero Medina, quæſt. 2. in ſuo codice de reſt. in cauſa ſecunda, duo dicit: primum, ſi ſecutus eſt effectus, vel cauſſa ob quam pretium datur, reſtitutio eſt facienda pauperibus: alterum, ſi non eſt conſecuta cauſſa, reſtituendum eſt ei, qui dedit.

Sotus denique ait, ante condemnationem reſtituendum eſſe ei, qui dedit; poſt condemnationem fiſco. Nos quid hac in re ſentiendum ſit his concluſionibus ſtatuimus.

Prima concluſio, pretium acceptum ob perpetratum maleficium, ideſt ob peccatum cum alterius iniuria, iure naturæ non eſt reſtituendum. Concluſio eſt certiſſima, & nemo eam negaret, ſi animaduerteret poſſe quẽque ob quamcunque cauſſam ſua bona alteri tradere, etiamſi cauſſa ob quam datur, alterius contineat iniuriam. Ita ſpeciatim tradunt, Sotus & Ledeſma quæſt. 18. Nam, vt bene ait Sotus, ſi actus homicidij conſideretur ſine prohibitione humana, eſt pecunia æſtimabilis.

Secũda concluſio, ſemotis humanis legibus, idẽ iudicium faciẽdũ eſt de maleficijs, ac de alijs peccatis, quę maleficium, ſeu iniuſtitiam non continent.

Hæc concluſio ſequitur neceſſario ex prima: quæ in primis confirmatur auctoritate eorum doctorum, quos citauimus.

Deinde, huc etiam facit, quod in vtroque caſu, cauſſa eſt turpis: nam, vt homicidium eſt peccatum, ita & fornicatio: quod ſi illud continet iniuſtitiam cõtra proximum & non hoc, id nihil obſtat, quoniam ex hoc ſo-

lum conficitur homicidam, vel eum qui maleficiũ perpetrat, esse obligatum ad restituendum ei, quem læsit, nisi restituat is qui dedit pecuniam, ut maleficium cõmitteretur; sed nulla intercedit iniustitia inter eum qui dat, & eum qui accipit pretium pro maleficio. Patebit etiam hęc doctrina ex ijs, quæ in conclusione tertia dicemus.

Tertia conclusio, probabile est, pro aliquo maleficio posse recipi aliquid per modum pretij & conuentionis, ita ut possit intercedere obligatio, quæ in conscientia seruanda sit.

Primo probabilem reddit hanc doctrinam id, quod dictum est in secunda conclusione: quia si in utroque casu est par ratio, ut expresse fatetur Nauarrus, qui re bene examinata, ut ipse scribit, hanc doctrinam tradidit, cum prius cõtra sensisset: profecto, si in turpi causa licet pacisci, vt supra est probatum, licebit quoque in hac.

Secundo, actus quo quis homicidũ perpetrat, est pecunia æstimabilis ratione laboris, periculique suscepti: quare de eo potest aliquis pacisci, sicuti de actu meritricio: quod si in hoc casu non liceret pacto de mercede conuenire, proculdubio non satis uideo, cur liceat in alijs in quibus non peccatur contra iustitiam: quandoquidem, ut paulo ante dicebam, non intercedit iniustitia inter dantem, & accipientem mercedem, & non venditur actus iniustus, sed labor, & susceptum periculum, si persistamus in exemplo de homicidio.

Tertio, finge aliquem operarium ductum fuisse in alterius agrum ad cædẽdas arbores contra iniustitiam, sed eo inscio; peto, an iste possit mercedẽ retinere, quod ut puto negaret nemo; quod si iste potest, poterit etiã, qui scienter de actu iniusto exercendo paciscitur: cum scientia solum excuset a peccato, & non a restitutione, re cognita.

Quarta conclusio, non solũ iure naturali, sed etiã ciuili

uili iſta merces pro maleficio eſt firma : ita ut leges ciuiles ſolum dent repetitionem ei qui dedit, & negent actionem ei, cui merces fuit promiſſa: & ita non præcipiunt reſtituendum eſſe cuipiam. Doctrina eſt Nauar. ca. citato, num. 30. dicto ſecundo, Didaci Couarruuias, §. ſecundo, numero ſeptimo. Quare in foro conſcientiæ, qui accipit non tenetur reſtituere, & qui promiſit tenetur dare.

Primo, quia nulla eſt ratio, cur affirmare debeamus eas leges irritare huiuſmodi conuentiones : ſicuti lex Iulia non irritat donationem, ſed ſolum prohibet repetitionem, ita & iſtæ, quæ de maleficio loqnuntur.

Secundo, ex quodam abſurdo, quod inde deduceretur: nam, ſi miles ſtipendio conduceretur ad bellum iniuſtum, teneretur ad reſtituenda omnia ſtipendia accepta, quod a ratione alienũ eſſe videtur: Similiter omnes operarij qui aggeres & arces extruerent pro defenſione iniuſti belli: idem dicas de omnibus alijs, qui mercede conducti. proxime hoc genus belli operam ſuam accommodarent.

Tertio, huc facit quædam communis regula communiter recepta, quod quando reſtitutio non eſt facienda alicui certæ perſonæ, ſed pauperibus, non debetur ex præcepto, ſed ſolum ex conſilio; quod bene limitat Syluester, ut procedat in eo, quod nunquam alicui perſonæ, vel collegio fuit debitum : at in hoc caſu communiter dicitur, reſtitutionem faciẽdam eſse pauperibus, non igitur neceſſario eſt facienda, ſed ex conſilio. Regulam illam approbãt, Antoninus, Ange. Syluef. & alij. ex quibus inferre licet, non eſse uerum, quod Sotus ait, huiuſmodi leges hoſce irritare contractus, ſeu promiſſiones.

Quincta concluſio, quando res ob quam pretium datur non eſset uendibilis, tunc nec dare, nec recipere liceret, & quod eſset aeceptum reſtitui deberet: ut accidit in ſimonia, & quando donatio eſt omnino a lege

prohibita & hoc pacto est intelligendus diuus Thomas & alij antiquiores scriptores. Quare, quando leges omnino aliquam conuentionem & contractum damnassent, ita vt & repetitionem, & actionem negarent, tunc nec dare, nec recipere, nec retinere liceret. Vt si ob defectum alicuius solemnitatis vel consensus paciscentis, aliquem contractum reprobassent; quod in praesentia minime contingit, vt docte Didacus adnotauit. His ita probatis, restat argumentorum solutio.

Ad primum, caput citatum, est pœnale; in pœnam scilicet accepti officij, quod accipere nõ debeat & ideo ad restitutionem obligatur. Aliud caput, nõ est ad rem, cum non sit par ratio de nostro casu, & de Simonia.

Ad secundum, patet ex dictis: leges enim ciuiles solum negant repetitionem: & esto damnent huiusmodi conuentiones: tamen pœna, si quam apponunt, nõ est soluenda nisi post condemnationem.

Ad tertium, Augustinus solum ait non debere vendi iudicium & testimonium, sed nõ dicit restituendũ esse, si vendantur, quia non fit iniuria, cum uendantur sub ea ratione, sub qua uendi possunt; & cum alias nõ sunt debita.

Ad confirmationem, ideo Iudas pretium reddidit, quia illa venditio fuit iniusta: deinde diceres, ideo restituisse, ut rescinderetur contractus.

Ad quartum, pretium non datur pro actu iniustitiæ, ut malus est, sed ob alias caussas, nimirum ob laborem, & susceptum periculum. Vnde patet etiam ad confirmationem. Quod si aliqui aliter in hoc casu sentiũt, eorum opinio non est probanda, vel intelligendi sunt, cum leges omnino irritãt contractum: & de hac caussa hæc dixisse sufficiat.

An sit restituendum id quod ob aliquam iustam & honestam caussam accipitur. Quæstio L.

QVoniam hactenus demonstratum est, an aliquid accipere liceat pro actu turpi, & pro maleficio, restat vt videamus, an pro actu bono, seu pro caussa honesta. Vt gratia exẽpli, an liceat iudici aliquid accipere pro iusta sententia dicenda, an testi pro testimonio dando.

Vt autem intelligas argumenta & auctorum sententias, animaduertendum est, opera bona esse in duplici genere: alia sunt quæ pertinent ad legem caritatis, erga Deum, vt proximum corrigere, caste viuere: alia pertinent ad virtutẽ iustitiæ, in quibus agitur de proximi utilitate, aut detrimento; vt patet in exemplis paullo ante allatis, de iudicio, & testimonio ferendo: atqui præcipua difficultas est de operibus iustitiæ: & quod pro his nihil accipere liceat, his rationibus probari potest.

Primo auctoritate diui Augustini 14. quæstio. 5. can. Non sane, ubi expresse docet, iustum iudicium uendi non posse; sicuti nec iustum testimonium: quare si hæc vendi non possunt, cum sint iustitiæ opera, pro nullo huius generis opere quicquam accipere licebit.

Secundo, idem probatur apertissima Aristotelis auctoritate, qui in ethicis docet actus uirtutis uendi non posse: igitur, uniuerse loquendo, pro nullo bono opere licebit aliquid pretij accipere.

Tertio, operationes honestę sunt bona quædam spiritualia, quæ proficiscuntur a diuina gratia: at huiusmodi bona non sunt venditionis capacia; igitur, si quod pro eis accipiatur pretium, illud restituendum erit.

Huc pertinet can. Quam pio, 1. quæst. 2. ex quo ratio allata confirmari potest.

In hac difficultate, si loquamur vniuersè de eo, quod datur ob caussam honestam, vel ad aliquod peccatum vitandum, vel ad aliquod bonum faciendum, communiter Doctores, prȩsertim Iurisperiti, duo dicere uidentur: alterum in foro exteriori dari repetitionem ei, qui pretium dedit: ut si daretur furi aliquid, ut socium indicaret, vel mulieri, ut a meretricio abstineret: alterum, in foro conscientiæ restituendum esse ei, qui pretium dedit. Quare, cum in hoc proposito, qui accipit turpiter accipiat, secundum quorundam opinionem, cum male accipiat, restituere debebit.

Sotus autem, libro 4. de iust. & iure, quæst. 7. art. 1. in solutione secundi argumenti, respondet, ut supra etiã diximus, distinguendo: si peccatum a quo aliquis ob acceptum pretium abstinet, est perniciosum alteri, ut si quis acciperet a me pecuniam ne faceret homicidiũ, aut vt abstineret a furto, mihi ex lege competit repetitio; sed si ego non repeto, ille restituere non tenetur: quia cum mea caussa id faciat, potest lege naturæ, quod accepit iuste retinere; quare lex non impedit trãslationem dominij, sed repetitionem concedit; idque in odium illius criminis: ne homines pretio vendant iniurias, quas alijs struunt. Quod si vitium non esset contra iustitiam, ut si quis daret pecunias alicui ne scortaretur, iste potest iuste accipere, & retinere, nec ei qui dedisset competeret repetitio.

At uero Nauarrus in enchir. numero 33. cap. 17. ita hac de re sentit: primum multis rationibus refellit distinctionem Soti, de duplici genere vitij, & parem fuit rationem in utroque genere, est enim Soti distinctio noua; & nulla lex distinguit, de eo, quod datur ob turpem caussam, uel ob opus contra iustitiam, seu pro sententia iusta.

Deinde, ait moderationem Soti, solum habere locum in ijs, quæ sunt debita debito morali & honestatis, non autem debito legali.

Postea consentit cum Soto, in eo, quod is, qui accipit

pit pretium, ne quid mali committat, non teneatur ad restitutionem in foro conscientiæ donec qui dedit repetat illud: quia lex non impedit translationem dominij, ne fiat maleficium, sed solum dat condictionem, quæ est actio personalis.

Postremo, ait eos esse obligatos ad restituendum, qui turpiter accipiunt, per acceptionem iniustam, vbi non est turpitudo ex parte dantis. In quo numero sunt Iudices Notarij, & omnes, qui ratione officij publici accipiunt, quod eis non debetur.

At vero Medina quæstione 27. in suo codic. in solutione quarti argumenti, hac de re ita sentire uidetur.

Primum, non approbat opinionem quorundam Iuristarum super cap. Dilectus, de simonia, dicentium posse offerri pecuniam alicui, ut ea agat quæ sunt de necessitate salutis; nō autem ut agat ea quæ sunt de consilio, ut est religionis ingressus.

Deinde, ait posse aliquid offerri dupliciter: primo per modum dispositionis ad opus quod ab offerente prætenditur; quo etiam modo Deus ad bene agendum homines allicit: & matres muneribus & promissis excitant filios ad religionem, & deuotionem: & quod sic datur, non est operis agendi pretium: altero modo per uiam caussæ finalis, ita ut opus fiat ob pretiū acceptū, & per viam contractus innominati.

Postea distinguit de operibus: nam alia sunt, quæ gratis fieri debent: ut mutuare, spiritualia dare & accipere, iustitiam facere, veritatem deponere, & neminem lædere: alia; quæ non tenetur homo gratis agere, siue sint ad salutem necessaria, siue non: si opus sit primi generis, deprauatur, si propter pecuniam fiat, & affectus operantis in pecunia sistat: si vero secundi generis, si propter pecuniam fiat, non erit illicitum, nisi pecuniæ appetitus sit immoderatus. Itaque pretiū per modum dispositionis, pro quocunque opere detur, & dari & accipi potest: at vero per modum caussę finalis, si opus gratis fieri debet, nec dari, nec accipi potest: secus si da-

retur pro opere, quod quis non tenetur gratis exhibere.

Ex quibus infert, quando oriatur obligatio ad restituendum: tunc nimirum quando accipitur per modum pretij & caussæ finalis pro opere, quod quis gratis præstare debet. Nos ad hanc difficultatem quibusdam præmissis distinctionibus per varias respõdebimus conclusiones.

Prima distinctio, aut pro opere, seu actu iustitiæ, (de quo fere est tota difficultas) quem aliquis exercere debet, est taxatum pretium a lege, seu a rep. & id, vel conuenienter, & cum ratione, vel non conuenienter, aut non est taxatúm; & tunc, uel quod accipitur, cũ modo accipitur, aut extra modum.

Secunda distinctio, cum aliquod pretium iuste datur; aut datur pro abstinentia a malo, uel pro aliquo bono perficiendo; quod, uel est debitum, ut sunt omnia, quæ sunt de præcepto, uel non debitum, ut ea, quæ sunt de consilio.

Tertia, uel opus bonum pro quo aliquid datur, est opus iustitiæ, uel est opus alterius uirtutis, quod lege caritatis debitum est.

Quarta, opus iustitiæ, uel est debitum ei, cuius caussa exhibetur, uel non est debitum: ut si Iudex deberet ferre sententiam pro suis subditis, aut pro aliquo extraneo.

Quincta, si opus iustitiæ, ut est sententiæ dictio, est debitum, uel est utile ei, pro quo fit, uel non est utile.

Sexta, actus alterius uirtutis a iustitia, aut est exhibendus in extrema necessitate, uel extra necessitatem extremam: de quo etiam distinguere oportet, an sit utilis nec ne.

Septima, actus qui non pertinet ad uirtutem iustitię, aut est debitus ex aliquo officio, uel non est debitus.

Octaua, & ultima distinctio, pecunia quæ datur ei, cui alias est constituta merces pro suo opere, duobus modis dari potest: primo, ut sumatur aliquid ultra con

stitutam

ſtitutā mercedē, & non ob aliā cauſſam altero:ut accipiatur,ob aliquam aliam rationem,ut gratia exempli, pro maiori labore, uel per modum gratitudinis. His notatis diſtinctionibus,has ſtatuo concluſiones.

Prima concluſio,pro abſtinentia ab aliquo peccato, quodcunque illud ſit, poteſt aliquid accipi,ac retineri, ſaltem ratione doni gratuiti.Patet hęc concluſio ex ijs, quæ ſupra quæſtione 46. diximus.

Secunda concluſio,pro opere cuiuſcunque uirtutis, quando pretium eſt taxatum a lege, uel a conſuetudine,ſi quid ultra terminum ſtatutum per modum pretij accipiatur,id reſtituendum eſt;concluſio eſt per ſe clara,quæ tamen his confirmatur rationibus.

Primo auctoritate ſcripturæ, Lucæ cap. 3. ubi Ioannes interrogatus a militibus,quid facere deberent, reſpondit, Neminem concutiatis,neque calumniam faciatis, ſed eſtote, contenti ſtipendijs ueſtris: non igitur licet aliquid amplius ultra ſtipendium accipere.

Secundo ex doctrina diui Auguſtini,tract. 19. de uerbis Domini,quæ habetur 23.quęſt.1.can.Militare: ubi tractans citatum ſcripturæ locum, ita ſcribit, Quicunque ſibi ſtipendia publice decreta conſequitur, ſi amplius quęrit,tanquam calumniator & concuſſor,Ioannis ſententia,condemnatur.

Tertio,a ſimili in mercibus, quæ tanti uendi debent, quanti a rep. uel a conſuetudine taxatę ſunt:quare pro quouis,etiam uirtutis opere,eadem ratione,ſi ultra taxatum pretium aliquid accipiatur,reſtituendum erit.

Tertia concluſio,ultra mercedem taxatam,licet aliquid amplius accipere per modum gratitudinis, non autem per modum pretij,ut eſt dictum. Quoniam nemini fit iniuria;& quilibet poteſt de rebus ſuis pro ſua uoluntate diſponere.

Quarta concluſio,quando mercedis taxatio non eſſet iuſta,ita,ut qui operam ſuam pręſtant, onus cum tali mercede ſuſtinere nequirent,liceret aliquid amplius accipere,ſi reſp.ſeu Princeps id uideret,& taceret : ſed

tuti us

tutius esset curare, ut pretium honestum constitueretur.

Quincta cóclusio, pro opere iustitiæ, alias debito, uniuerse loquẽdo, si quid accipiatur, id restituendũ erit. Vt ecce, si iudex pro sentẽtia, quã alias pronũtiare tenebatur, quicquã acciperet, id esset restitutioni obnoxiũ; idẽ dicas de alijs publicis ministris, qui mercede publica essent conducti. Quoniam isti nihil habent quod uendant, cum iam ipsorum opus sit debitum: ac proinde aliquid accipiendo, iniuste agunt.

Sexta conclusio, quando actus iustitiæ est debitus, sed tamen est utilis ei, qui pro eo exigendo dat pretiũ, probabile est iudicem, & iustitiæ ministrum, posse pro illo actu aliquid accipere, si quid præstet cum maiore labore, & incommodo, & citius, quam deberet. Tunc enim uenderet laborem & industriam, pro ratione utilitatis, quam inde caperet is, qui pecuniam soluit. Patet hæc conclusio, ex dictis, quia si potest uendi actus iniustitiæ, ut est dictum, ratione utilitatis, & laboris; poterit etiam uendi, etiam si alias sit debitus, quando adest maior ementis utilitas; cum non sit cum tanto labore, aut cura & industria debitus. Verum contraria sententia sua probabilitate non caret, quod scilicet in tali casu nihil accipere liceat.

Septima conclusio, si actus iustitiæ sit debitus, sed non magis utilis, iustitiæ minister nihil recipere potest. Appello actum iustitiæ utilem, quando, ex eo quod iudex aliquid amplius præstat, ad quod præstandum uia ordinaria & ex officio non tenetur, qui iustitiam petit, utilitatem capit: inutilem uero, quando nulla maior perciperetur utilitas. Ratio huius conclusionis ea est, quoniam in tali casu non est aliquid, quod uendatur: atqui per modum gratitudinis & dispositionis aliquid accipi posset.

Octaua conclusio, pro actu uirtutis in extrema necessitate, non licet aliquid accipere, & si quid accipiatur, restituendum erit. Quoniam in extrema necessita-

te

te quisque tenetur gratis proximo auxiliari : ergo non potest quicquam accipi : alias enim uenderetur id, quod debetur, quod non licet.

Nona conclusio, extra necessitatem extremam, si qui est in necessitate positus, alias haberet, unde solueret, posset aliquid accipi. Quoniam, susceptus labor, & utilitas, quæ ex hoc actu capiuntur, sunt pecunia æstimabilia: quare, cum non sint alias debita, iusto pretio uendi poterunt.

Decima conclusio, quando opus uirtutis non esset alteri utile, uendi non posset. Verbi gratia, actus ieiunij non est uendibilis: quia ex hoc actu nulla prouenit utilitas ementi. Posset tamen qui ieiunandi opus susciperet, aliquid pecuniæ accidere, ut supra diximus ob eam rationem, quod alienæ uoluntati ieiunando obsequitur, & per modum doni.

Vndecima conclusio, quando actus uirtutis esset utilis, sed alias debitus ex officio, nemo potest pro tali actu aliquid accipere, sed tenetur gratis exhibere. In hoc genere sunt, secretarij, famuli, & domestici Principum, qui ex officio debent pro ijs qui accedunt, certa officia præstare, pro quibus nihil per modum pretij possunt accipere. Quoniam, si ex officio ad suum munus exercendum sunt obligati; igitur ex iustitia; igitur si quid accipiunt, iustitiam uiolant, ac proinde restitute debent. Quare sapienter & iuste se gessit Alexander Seuerus, qui cum audisset, quendam ex suis sibi Familiarissimis munera, seu officia, quæ ipse præstabat, tanquam auarum & ambitiosum uendere, fumo eum perire uoluit, ut in eius uita Lampridius refert.

Duodecima conclusio, si hi homines, non sint obligati ad aliquod munus præstandum, uel plus laboris, & industrię, quam debent, in aliquo negocio ponant, possunt ex pacto aliquid accipere. Exempli gratia, au licus in curia episcopali tenetur ex officio introducere eos, qui beneficia petunt, aut ad episcopum, id deferre: quod si pro digniore ad beneficij consecutionem labo

ret,

ret,& aliquid suæ gratiæ impéderet,poterit aliquid pro hac sua industria,tuta conscientia,recipere. Quoniam se habet in hoc casu, tanquam procurator, & actor; quod si actori aliquid pro suo labore accipere licet, igitur & isti licebit: sed, ut iusta soluatur merces circumstantiæ perpendendæ sunt,pro quarum ratione poterit,magis,uel minus accipere: ut si ita apud episcopum egisset, ut gratiæ iacturam fecerit, &cęt. Verum, pro opere spirituali,nihil accipere liceret. Sed hac de re, qui plura uidere cupit, legat Nauarri commentarium,de datis & acceptis,in Bullam Gregorij XIII.

Decimatertia conclusio, par est ratio in turpri acceptione de quocumque actu, siue sit iustitiæ, siue alterius uirtutis, ubi nō est obligatio ad restituēdū ante repetitionē.Leges enim non prohibēt, ne dentur aliquid pro actu iustitiæ, sed solam concedunt repetitionem, ut docet Bart.quo fit,ut ipsa datio uim habeat, si conceditur repetitio.Punitur tamen grauiter iudex, & qui dat litem perdit,sed nullibi ponitur obligatio ad restitutionem.

Decimaquarta conclusio, quando traditio ipsa est prohibita, ut patet in simonia,& qui dat, & qui accipit peccat,& est obligatio ad restituendum in foro conscientiæ.idem dicas, cum pro aliquo actu aliquid accipitur,ubi nō est quod uēdatur,ut patet ex dictis. Ex ijs quæ hactenus demonstrata sunt,inferre possumus, non esse peccatum, immo licere per modum dispositionis mouere & excitare aliquem ad opus alias gratis præstandum,aliquid dando, etiamsi sit opus spirituale; ut ad suscipiendum baptismum: ut si quis diceret, do tibi centum, ut baptismum suscipias,non tamen, ut pro munere suscipias. Ad quam doctrinam confirmandam facit August.auctoritas, can.penul. 23. quęst. 4. & can. caue.28. quæstio. 5. & Gregorij 23.quæstio. 6. can.iam uero.

Rursus inferre licet, non esse simoniam,si quid detur per modum dispositionis Pręlato, ut moueatur ad

con-

conferendum beneficium: similiter ut spiritualia ministrentur; dummodo animus ministrantis non moueatur à munere tanquam a caussa. cap. si quæstiones de simonia. Similiter, ut aliquis ingrediatur religionem; ut si eius soluerentur debita à monasterio si ei daretur pecunia, ut posset studere, & postea ingredi, non tamen ex pacto, ita ut si ille postea mutaret sententiam, id deberet restituere, quod accepisset.

Similiter ex dictis colligitur, licere facere legata, ad opus bonum faciendum, ut aliquis continenter uiuat: religiosus fiat, &cet.

Quod si obijcias cān. quam pio, supra citatum, ubi Bonifacius damnare uidetur eos, qui aliquid dant, ut quempiam ad bene agendum, & conuersionem inducant.

Respondetur, Pontificem non damnare absolute hoc genus donationis, quo quis ad bene agendum prouocatur: sed docet ne fiat, intercedente pactione. Quod si dicas, legatarium non impleta conditione, esse obligatum ad restituendum, cum fiat per modum caussæ finalis; id nihil est, quia hoc fit inutilitatem legatarij, vt decentius, & securius in bono statu viuat. Neque est proprie emptionis & venditionis pactum, quando datur pretium vt quis rem spiritualem suscipiat, cum nihil ab eo qui pretium dat recipiatur, quod est emptionis proprium.

Atequā autem huic disputationi finem impono duas breues dubitationes explicabo.

Prima, an liceat pretio redimere iudicis uexationē; hoc est, si iudex ob improbitatem nollent mihi ius dicere, aut si contra me iniustam sententiam uellet ferre, possum ne pecunijs cum ad iustitiam exercendam inducere?

Respondetur, ex sua natura id esse licitum; quia cui que licet ius suum tueri: verum practice multa possent inde oriri incommoda: quoniā facillime homines sibi persuadent habere ius suum certum: & ita uterque liti

gantium

gantiũ facile ad ius suum redimendum moueretur: & ideo leges talem redemptionem non approbant. Sotus in sua persistens opinione dicit non licere.

Secunda dubitatio, quid dicendum est de ijs, quæ acquisita sunt ex ficta sanctitate, & paupertate. Alexan. Alen. par. 4. quæst. 86. mem. 3. art. 1. Panor. & Innocent. cap. quia plerique de immunit. eccles. dicunt esse obligatos ad restitutionem faciendam, non danti, sed pauperibus. Quod hac ratione confirmat Pano. quando datur aliquid ratione alicuius caussę principalis immediate debet cedere in utilitatem illius caussę: cum ergo eleemosyna sit propter paupertatem in honorem Dei, pauperibus restituenda erit.

Caiet. verbo rest. cap. decimo, limitat hanc doctrinam, ut sit vera, quando pauper ideo fingit ut accipiat, ita ut sanctitas ficta sit dandi caussa: alias enim si ideo fingeret, ut moueret ad dandum ratione paupertatis, non teneretur restituere.

Rursus Armil. uer. rest. §. 6. adhuc limitat, quod si uere est pauper, quacunque ratione fingat, adhuc posset retinere. De hoc dubio non nihil supra diximus. Sed iam ad argumentorum solutionem accedamus.

Ad primum, ut planam habeas huius argumenti explicationem, quattuor in illa auctoritate docet Aug.

Primum, iudex qui pro sententia, & testis qui pro testimonio aliquid accipiunt, peccant: & multo grauius, pro sententia uel testimonio iniusto accipiant.

Secundũ, qui pro uera sententia, vel testimonio mercede dedit, eam repetere solet: qui uero pro falso, repetere timet.

Tertium, isti quamuis male acceperint, tamen bene eleemosynam faciunt, quia sua largiuntur: quamuis etiam ijs a quibus acceperunt, tanquam aliena restituant.

Quartum, eos qui rapinis & calumnijs acquirunt ijs a quibus acceperũt restituere debere. Hæc ex Aug. qui cum ait testimonium, & iudicium non esse uenden-


da,

da, intelligendus est, quando gratis ista prǽstanda sunt, ratione officij & cum quis habet mercedem constitutam: & ut actus uirtutis sunt; sed non negat posse accipi aliquid ratione laborum, & expensarum.

Ad secundum, patet ex eo, quod nunc dicebamus, virtutis opus uendi posse ratione laborum, expensarũ, & utilitatis, quam inde emptor percipit.

Ad tertium, eodem respondetur modo: non enim venditur opus, ut est a gratia Dei, pro quo etiam aliquod accipi potest, per modum donationis, & dispositionis.

De restitutione eorum, quæ iniuste acquiruntur ab omnibus personis, quæ in iudicijs versantur.
Quæstio LI.



ET si ex ijs, quæ proxima quæstione diximus satis aperte intelligi licet, quando ad restitutionem sint obligati ij, qui in iudicijs iustitiæ exercendę & conseruandæ caussa uersantur: tamen, cum isti uarijs modis non raro contra iustitiam peccare soleant, de singulis seorsim breuiter, pro nostro instituto, in præsentia aliquid scribendum duximus: nec enim nunc uolumus integrum de iudicijs conficere tractatum. Ea igitur tantum attingemus, quæ proxime ad rem nostram faciunt: quibus multo melius explicabuntur, quæ supra uniuerse tradidimus. Sunt autem personæ quæ in iudicijs uersantur, istæ, Iudex, accusator, siuę actor, reus, testes, aduocatus & procurator: de quibus Alex. Alen. 3. Par. Quæst. 40. Gab. 4. sen. d. 15. quęst. 6. Quod ad primam personam attinet, statuo hæc dicta.

Primum dictum, in iudice, ut iuste suum exerceat munus, quattuor requiruntur: potestas, ueritas, forma, & executionis facultas: quæ omnia sequentibus dictis seorsim explicabimus.

Secundum dictum, auctoritas est quadruplex: ordinaria,

ria, delegata, ut quæ a superiore cuius est propria cuipiam conceditur, arbitraria, quæ datur ab arbitris, & accessoria, quæ habetur super eo, qui est alterius iurisdictionis, ratione criminis aliquo in loco perpetrati; ad iuste iudicandum una ex his requiritur potestatibus.

Tertium dictum, qui se iudicem constituit absque legitima potestate, uel si habet, non in tali iudicio, uel super tali persona, peccat mortaliter, & illatum damnum restituere tenetur. Vt si iudex secularis iudicaret clericum, in quem tamen ex triplici capite potest iudicium exercere. Primo, cum degradatus traditur brachio seculari: secundo, cum Episcopus dat facultatem, & hoc in caussa ciuili tantum: postremo, cum clericus citat secularem coram iudice seculari, qui coram eodem reconuenirj potest, non tamen criminaliter c. 1. & 2. de mutuis petitione.

Quartum dictum, quod attinet ad ueritatem, iudex non tenetur semper iudicare ex ueritate ut est in re; quia sæpe est occulta, & inueniri non potest, sed secundum ueritatem existimatam, & probatam. Quare, licet ut priuatus homo sciret aliquod esse falsum: tamen si iuridice contrarium probetur, secundum hanc scientiam iudicare tenetur: & ita cum nullum esset remediũ, eum posset condemnare, quem ipse nosceret innocentem, si tamen probatus sit nocens. Ita docet Diuus Thomas, Alexander Alens. tertia par. quæst. 42. mem. 6. art. 2. & Bart. l. illicitas. ff. de officio præsidis. Nec tenetur officium dimittere, ut aliqui volunt; sed ad diligentius ueritatem inquirendam, & ad dandam appellationem, quando est locus.

Quinctum dictum, debet seruare formam iuris, idest iudicare secũdum leges: si ignorat, adsciscat assessorem & si ex ignorantia erret, restituere tenetur: in qualitate & quantitate sententiæ, non debet modum iuris excedere, hoc est, maiorem pœnam quam iura statuunt, de reo sumere: in præparatorijs, debet terminos iuris concedere,

cedere, & non ad libitum negare, aut concedere: nec sine accusatore quemquam damnare, aut in iudicium vocare, nisi in quibusdam casibus.

Primo, cum crimen est notorium, ut habetur, in tit. de accusatore.

Secundo, cum adest confessio propria delinquentis spontanea, & iuridicialis: dico iuridicialem, quia ex confessione extra iudicium non licet procedere ad sententiam, nisi in iudicio rata habeatur. Debet esse spontanea, quia confessio ui & timore extorta, non sufficit, nisi postea sine tortura ratificetur.

Tertio, cum est infamia, aut semiplena probatio: quia tunc, licet non possit procedere ad sententiam ferendam, potest tamen procedere ad maiorem inquisitionem, vt maior & sufficiens habeatur probatio.

Quarto, cum intercedit iudicialis denuntiatio; ex qua denuntiatione potest procedere ad inquirendum.

Quincto, cum præcessit fraterna denuntiatio apud Prælatum: tunc, si denuntiatus uocetur a Prælato, & nolit obedire, absque alio accusatore, iudex potest etiam ad sententiam procedere.

Sextum dictum, in iudice requiritur uis coactiua, vt possit sententiam latam mandare executioni.

Vbi nota, quod si iudex aliquem agnoscat superiorẽ iudicem, tenetur sententiam secundum ius exequi, etiã si accusator ab accusando desistat: potest tamen appellationem concedere. Si vero sit supremus index, cum accusator accusationẽ non remittit, rarissime potest in sententia ferenda a legibus discedere: quod quidem liceret, cum reus esset maxime utilis reip. vel maximum ob legis executionem oriretur scandalum. Tunc enim princeps posset accusatorem compellere ad aliã satisfactionem recipiendam. Ita Sotus lib. 5. de iust. & iur. quæst. 4. art. 4. Quando uero accusator desisteret, posset huiusmodi iudex dispensare in pœna iuris. Verum semper animaduertendum est bonum publicum; ac proinde non sunt facile cõdonanda crimina, quæ illud

valde perturbant. Et hæc de Iudice: de accusatore hæc statuo dicta.

Primum dictum, accusator, & delator criminis inter se differunt: denuntiat qui crimen ad iudicem defert, vt ratione boni publici ad emendationem procedat, nec tenetur crimen probare. Accusat autem, qui crimen vindictæ caussa, etiam in publicam vtilitatem defert: & crimen probare tenetur. Est etiam quædam denuntiatio fraterna, qua apud Prælatum aliquis defertur, in utilitatem priuatam denuntiantis.

Secundum dictum, peccata quæ denuntiantur, alia sunt contra bonum commune primo & per se: ut coniuratio, monetarum corruptio hæresis, & cæt. alia contra priuatam personam, ut homicidium: vel contra ipsummet delinquentem, vt concubinatus. Rursus alia sunt iam facta, & emēdata; alia vero, vel fiunt, uel mox futura sunt.

Tertium dictum, peccata iam facta, & quæ iam actu non sunt, nemo accusare, aut denuntiare tenetur; etiam si fuerint contra bonum commune: vt si quis parasset insidias Regi, sed iam cessasset. Teneretur tamen qui hæc nouit, ea manifestare, si ab Iudice in foro iudiciali iuridice de eis interrogaretur.

Quartum dictum, si crimen sit contra bonum commune, & sit in fieri, vel in procinctu, quisque tenetur, si potest, ad accusandum, aut ad deferendum; præmissa tamen admonitione fraterna: exceptis his casibus.

Primo, cum reus præsumitur incorrigibilis, & hoc maxime in hæresi cum pertinacia.

Secundo, cum non est spes fore ut correctio proficiat: sed id debet esse multum probabile, ad hoc, vt liceat admonitionem prætermittere; alias enim tentanda est.

Tertio, cum timetur magnum damnum; quia tunc denuntiatio fieri potest, admonitione prætermissa.

Postremo, cum non adest tempus, & periculum instat.

Quar-

Quartum dictum, si peccatum sit contra tertiam personam cui imminet graue damnum, idem est, & eodem modo faciendum. Vt, si scires cuipiam ab alio parari mortem. Ei autẽ cui imminet periculum, non licet reuelaret personam, quæ vult nocere, sed solum uniuerse monere, ut sibi caueat: intellige quæ diximus, cum ista sciuntur extra confessionem.

Quinctum dictum, cum peccatum est contra ipsum delinquentem, solum est obligatio ad corrigendum, iuxta præceptum decorrectione fraterna. Corrigendus ergo est, si speratur vtilitas: vel denunciandus apud Prælatum fraterne: maxime, cum Prælatus præciperet, ut improbi denunciarentur, modo non sint omnino occulti; quare, tunc licebit, cum aliqua infamia præcesserit.

Vbi nota, clericis non licere accusare in caussa mortis, sed solum iuridice denunciare, protestatione præmissa, se ob boni publici, vel alterius caussa id facere.

Sextum dictum, ut accusator honeste, & iuste hoc munere utatur, hæc sunt necessaria.

Primo veritas, ut affirmet, id quod uerum esse existimat: unde si in ciuili, uel in criminali caussa cõtra ueritatem accuset, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur: ita Gabr. loco citato, conclusi. 5. ut alios omittam. Quod si a principio putabat se de uero crimine accusare, & in progressu animaduertit rem aliter habere, tenetur desistere: si post latam sententiam, tenetur restituere id, quod per talem acquisiuit sententiam.

Secũdo, in accusando, & iure suo petendo iustus modus seruandus est. Vnde ad uerum probandum non debet uti falsis testibus; tunc enim peccaret mortaliter, quamuis non teneretur restituere.

Tertio, bonam habeat intentionem, hoc est, ut iustum petat, non animo nocendi, sed ut iustitia seruetur, & cær.

Postremo, debet in accusatione progredi usque ad

executionem: nam desistere in media caussa, aut probationes imminuere, peccatum est: illud præuaricatio, hoc tergiuersatio uocatur, 2. quæst. 3. can. siquem pœnituerit. Non tamen semper est peccatum, nisi cum accusatio erat de crimine contra bonum commune, aut tertiam personam, modo possit probare: quando vero agitur de re propria, unde non oritur alterius damnũ, non est peccatum, modo mendacium non intercedat. In summa, accusator calumniando, præuaricando, cum parti suffragatur contrariæ, quam impugnare debet, & tergiuersando a caussa desistendo, errare potest. Vide Alexan. Alens. 3. par. q. 42 Quod diximus de accusatore intellige etiam de Fisco, qui reip. nomine accusat, si tacite reum defendat, aut tergiuersetur. Quod attinet ad personam rei, de quo Gabr. conclus. sexta, statuo hæc dicta.

Primum dictum, in reo spectatur obligatio ad ueritatem dicendam: de qua re non nihil, quod attinet ad restitutionem, superius scripsimus. Vt autem veritatẽ fateri teneatur, hæc sunt necessaria.

Primo, ut interrogetur a proprio iudice.

Secundo ut seruetur forma iuris, hoc est, ut non interrogetur de crimine, de quo non præcessit infamia, aut indicia, aut semiplena probatio, idest testis omni exceptione maior: quando ista non concurrunt, non tenetur respondere, etiam proprio iudici, etiamsi excommunicationem fulminet.

Postremo, ut ista iuris forma sit prius probata in processu, & reo indicata, ut cognoscat se iuridice interrogari; alias in re graui, nec tenetur, nec debet respondere. His concurrentibus, est ad respondendum obligatus, etiamsi certo sciat inde mortem uenturam: quod ni faciat, peccat mortaliter non respondendo, aut uerum negando, etiamsi non intercedat iuramentum, cũ res est maioris momenti. Caueant igitur confessarij ne absoluant reos, qui nolunt ueritatem fateri, cũ iuridice interrogantur: nec eos cogãt, cũ non recte interrogãtur.

Neque

Neque reus tenetur omnia manifestare, quæ commi sit crimina, sed solum ea, de quibus iuridice interrogari potest. Vnde male faciunt iudices, qui uno crimine cognito, etiam occulta peccata inquirunt: verum tamē est, cum crimen iam notum, est indicium sufficiens alterius, de eo etiam inquirere eis licere.

Nec etiam tenetur reuelare complices, nisi cum illorum aliqua præcessit infamia, & cum seruantur illa tria prædicta. In quo etiam est maximus abusus iudicū, qui nulla seruata forma, de complice inquirunt: cum contra illos non possint licite procedere, sicuti nec contra reum propria crimina manifestantem, nisi iuridice inquiratur.

Secundum dictum, cum reus non interrogatur iuridice, potest appellare, potest non respondere, potest uti æquiuocatione, potest etiam sine peccato negare, modo neget iuxta suam intentionem; scilicet, se non fecisse id, de quo iudex inquirere possit. Vide Adrian. in 4. sent. in materia de sigillo, & Caiet. opus 16. quæstio. 5. de qua re nonnihil supra diximus.

Tertium dictum, reus debet esse iudici & ministris iustitiæ obediens, ita ut nullam uim eis faciat: posset tamen ui se defendere, remoto scandalo, cum iniuste dānaretur: quod si iuste sit damnatus, omni remota ui, e carcere ei fugere liceret: sed si quid damni fecisset, carcerem frangendo, tenetur restituere: non est tamen obligatus ad sarciendum damnum, quod inde custodes passi essent; vel eo, quod alij fugerint. Ita Caiet. Sot. & Nauar. licet Henricus quod lib. 25. aliter senserit. Non tamen licet alijs dare instrumenta, quibus possit carcerem frangere, quod male cōcessit Caietanus, & qui eum sequitur Iosephus. Multa enim cuipiam per se facere licet, quæ non alijs: liceret tamen dare consilium vt fugiat: sed non illis, ad quos iustitiæ conseruatio pertinet. Pœnæ autem, quæ a lege imponuntur fugientibus, non obligant ad culpam, vt Soto placet.

Quando autem carcer daretur in pęnam, teneretur

sub peccato ibi manere. Qui uero ex carcere pro custodia dato, fugerit, non est ad redeundum obligatus. Atque hæc de reo: nunc de teste, de quo Gabr. conclus. septima.

Primum dictum, in teste consideratur primum obligatio ad testificandum: quando autem sit obligatus his regulis cognosci potest.

Prima regula, cum crimen est in fieri, aut instat, & vergit in damnum notabile reip. uel proximi, tenetur testificari, etiamsi non interrogetur iuridice: quia in his casibus quisque debet accusare, aut denunciare, ut supra diximus.

Secunda, cum crimen est iam commissum, vel etiam emendatum, nemo debet illud manifestare, nisi in iudicio, si interrogetur iuridice.

Tertia, quando aliquis patitur detrimentum iniuste, qui scit ueritatem, siue caussa sit criminalis, siue ciuilis, veritatem, etiam non requisitus, manifestare tenetur; modo tamen speret se profuturum, & inde sibi notabile detrimentum non timeat. Quæ obligatio nascitur ex caritate, & ita restituendi necessitatem non inducit. At uero, qui iuridice interrogatur si veritatem non fateatur, damna inde nascentia resarcire debet: quia violat iustitiam.

Secundum dictum, in teste consideratur repulsa. Leges enim quasdam in teste requirunt conditiones, quibus deficientibus, infirmum redditur testimonium; ut si esset infidelis, excommunicatus, infamis, &cæt. Quo fit, vt contrariæ partis procuratores & actores, cum testes adhibentur, eos infringere soleant, defectus in eis notando, & hæc dicitur repulsa: quæ, etiamsi quis occultos testium defectus manifestet, licita est; modo hæ adsint conditiones.

Prima, vt veri objiciantur defectus.

Secunda, ut solum illi manifestentur, qui pertinent ad testimonium infringendum, non alij.

Tertia, vt inde non obueniat multo maius detrimen

tum testi, quam patitur is, contra quem testimonium adducitur: dixi multo maius, quia etiamsi aliquid maius damnum testis inde capiat, licet testi defectum obijcere, ad sui defensionem; quod intelligendũ est, quando caussa est iusta. Nam ei qui legitime accusatur, non liceret occulta crimina testi obijcere, vnde detrimentum pateretur, maxime cum iuridice interrogatur, & testis non se ad testificaudum sponte obtulit.

Tertium dictum, testis tenetur verum aperire, id nimirum, quod ipse existimat verum: & dubium non debet affirmare pro certo, nec certum pro dubio; qui contra facit, ex genere suo peccat mortaliter, & damnum, quod ex tali testimonio nascitur, tenetur restituere.

Quod si post testimonium latum cognoscat esse falsum, quod dixit, debet iterum apud iudicem veritatem fateri, si absque detrimento suo id efficere potest, & se profuturum sperat; & si iam lata est sententia, ei in cuius fauorem testificatus est, rem aperiat, ut ipse restituat.

Quod si falso testificatus esset, tenetur canere palinodiam, si is in quem testimonium falsum dixit, est in aliquo graui periculo, vel mortis, vel infamiæ, etiamsi inde mortem sibi timeret.

Quartum dictum, testis qui accipit pecunias pro falso testimonio, non tenetur, ei restituere, qui dedit; debet tamen sarcire damnum alteri illatum: nec etiam si pro uero testimonio accipiat, iuxta ea quæ supra de ijs quæ accipiuntur ex iusta caussa diximus. Sequitur aduocatus, de quo vide Caietanum in summa, verbo aduocatus, Gabr. loco citato conclusione octaua: de qua persona nos hæc dicta breuiter ponimus.

Primum dictum, aduocatus tenetur patrocinari, etiã gratis, in caussa pauperis, idque sub peccato mortali, in eo casu, in quo aliquis sub eadem culpa esset obligatus eleemosynam facere; ut est grauis, aut extrema necessitas; cum scilicet pauper graue patitur detrimentũ, & non est, aut difficile inueuitur, qui ei patrocinetur:

de hac re vide Gabr. loco cit. dubio quarto.

Secundum dictum, aduocato licet sine peccato patrocinari in ea caussa, quam ipse iustam existimat, etiã si re vera iusta non sit. Communis est doctrina, & ex se manifesta.

Tertium dictum, patrocinari in caussa quæ videtur iniusta, est peccatum mortale, & si re vera est iniusta, & victoriam aduocatus retulit, tenetur damna aduersæ parti illata restituere, si cliens non restituat. Tenetur etiam ad restituendum clienti expensas, cum cognouit caussam esse iniustam, etiamsi victoriam non consequatur; nisi eum prius de caussæ iniustitia admonuerit; qua cognita, adhuc ille prosequi uoluit.

Quartum dictum, si caussa sit vtrinque dubia, potest aduocatus, salua religione, patrocinari; sed si postea cognoscat iniustiam, etiam lite iam contestata, desistere debet; non tamen est obligatus ad manifestandam parti contrariæ iniustitiæ caussam. Doctrina est diui Thomæ, & Soti, qui bene hanc adhibet limitationem, Quãdo notabile detrimentum pars contraria inde caperet, deberet iniustitiam manifestare: quo casu testificari, etiam non requisitus, posset: sed, vt dixi, non nisi in graui casu.

Quinctum dictum, quando caussæ iustitia magis ex una parte inclinat, & altera quoque pars iusta uidetur, tunc, si defenditur is, qui magnum patitur detrimentũ, licet minus iustam caussam defendere; cum uero id nõ intercedit, sed potius contraria pars magnum damnum patitur, in minus iusta patrocinari non licet: uerum in re non multum graui liceret; modo cliens moneatur, si forte uellet a litigando desistere. Vbi nota, eam caussam posse defendi, quæ iusta uidetur, licet cum aliquo dubio: non tamen eam, quæ apparet iniusta.

Sextum dictum, in aduocato requiritur scientia sufficiens ad suum officium exercẽdum. Quare, si ex ignorantia caussam perdat, peccat, & restituere tenetur. Et quo magis pro docto habetur, eo magis scire tenetur.

Ita

Ita Palud.4.sent.dist.15.quæst.2.art. 3. In eodem requiritur diligentia, debet enim caussæ inuigilare, ac studere cum difficultatem videt: & si ex culpabili negligentia caussam perderet, esset ad restituendum obligatus.

Septimum dictum, in aduocato requitur patrocinãdi modus, hoc est, ut sit fidelis, ut non trahat leges in sensus aperte falsos: non citet falsum pro uero: potest tamen sequi opiniones probabiles. Quod si hunc modum non seruaret, teneretur resarcire damnum, quod inde nasceretur.

Octauum dictum, aduocatus pro suo patrocinio debet esse contentus iusto pretio, quod, vel a lege esset statutum, uel boni uiri arbitrio definitum: in quo statuendo, caussæ grauitas, labores, aduocati sciẽtia, & dignitas spectanda essent; si quidem plus meretur celebris aduocatus, quam obscurus. Consuetudo etiam potest esse iusti pretij regula.

Nonum dictum, non licet aduocato pacisci cum cliente de aliqua parte caussæ; ut, exempli gratia, quod tertiam partem eius quod ex caussæ uictoria consequitur, sibi acquirat; hoc inquam, non licet: non quod ex se malum sit, sed quia est prohibitum, l.sumptus, ff.de pactis: idque ob eam rationem, ne dum rem suam agit, modum in patrocinando excedat. De notario, hæc statuo dicta.

Primum dictum, in notario, vt suo recte & iuste fungatur munere, requiritur in primis scientia, iuncta cum diligentia. Vnde, si ex ignorantia, uel negligentia aliquid in scriptura omittit, vnde alius detrimentum patitur, restituere tenetur, nec excusatio admittitur. Vt si omitteret necessarium testium numerum, diem, annum, & quæ sunt de substantia scripturæ: si fecit testamentum cum testator non erat iudicij campos, & cæt.

Secundum dictum, in notario requiritur fidelitas, ita vt nihil ex malitia in scriptura conficienda peccet; quæ fidelitas in multis sita est.

Primo, ut non conficiat instrumentum falsum, fingendo,

gendo, ea, quæ non sunt: quod est graue peccatum ad restitutionem obligans, & a legibus grauiter punitur.

Secundo, cum instrumentum de re uera conficit, utatur uerbis sinceris, puris, ut inde non possit nasci cõtrouersia, aut damnum alicui: & speciatim in caussa criminali, ubi multum refert, quod aliquid his uel illis uerbis scribatur: alias ad damna sarcienda esset obligatus.

Tertio, instrumẽtum uerum & sincerum debet apud se fideliter seruare, & nemini dare, nisi transumptum. Vnde, si ex eo quod instrumentum non seruasset, alicui damnum obueniret, restituere deberet.

Quarto, instrumentum factum seruari debet descriptum in registro: neque.n. satis est seruare in protocollo, hoc est, in illa charta, seu schedula, in qua summatim instrumentum confici solet, quæ nullius est auctoritatis, sed in scriptura extensa & dilatata secundum formam iuris: alias enim inde magnum alicui posset creari damnum.

Quincto, non debet occultare instrumenta, sed ijs dare, qui iuste ea ad suum ius obtinendum petunt: quare si precio corruptus occultet, restituere tenetur pro damno petenti illato.

Postremo, tenetur notarius, etiam nemine requirente, manifestare instrumenta, uel testamenta in quibus continentur legata non dum impleta: primum quidem ijs, qui debent illa adimplere; quod si non faciant, postea manifestet ijs, quibus facta sunt legata. In quo solet esse notariorum abusus, dum manifestant ijs, qui executioni mandare debent, ut aliquid accipiant, ne postea eis, quibus debentur, manifestent.

Tertium dictum, in notario requiritur iustitia, quę in duobus consistit; nimirum, ut non faciat instrumentum contra iustitiam, & ut iusto sit contentus pretio. Instrumenti iustitia consistit in duobus.

Primo, ut non sit de re illicita, ut de usura: quo casu, si faciat instrumentum aperte usurarium, peccat qui-

dem,

dem, sed non tenetur restituere: quia in huiusmodi instrumentum nullam uim habet ad recuperandas usuras: quando uero instrumento palliaret usuram, teneretur etiam restituere: quia per huiusmodi scripturam, qui accepit mutuas pecunias posset in foro exteriori cogi ad soluendas usuras. Quod si fieret in fauorem accipientis ad usuram, qui uulla alia ratione posset habere pecunias, peccaret quidem mortaliter, sed ad nullam esset restitutionem obligatus.

Secũdo, in eo consistit instrumẽti iustitia, ut non fiãt instrumenta prohibita; ut esset instrumentum, ut solués usuras non posset eas repetere in iudicio; uel ut qui acceperunt ad usuram cogantur eam soluere: peccaret enim mortaliter, & esset excommunicatus, ut in Clement. de usur. habetur. Sunt etiam prohibita instrumenta quę fiunt contra libertatem ecclesiæ, & qui ea facit, est excommunicatus.

Quod attinet ad iustitiam pretij, primum non debet pretium accipere pro re, quæ nullum habet pretium. In concilio Triedentino sess. 21. cap. 1. pro negotio ordinum suscipiendorum, pro demissorijs, aut testimonialibus literis, nihil potest notarius accipere, si habeat ab Episcopo salarium: si non habet, pro his solum decimam aurei partem licet accipere.

Deinde, non debet excedere pretium iustum, quod est frequenter a lege taxatum. Verum tamen est, quod in quibusdã locis pretia sunt minima, iuxta antiquam taxationem, quando officia minoris uendebantur, & proinde posset notarius aliquid amplius accipere: nisi id obstaret, quod in principio sui officij iurant se mercedem eam exacturos, quæ est taxata, & proinde peccant. Vnde recte facerent Principes, si temporum & locorum, officiorumque ratione habita, certa statuerent, pretia, aut talem iurandi consuetudinem auferrent. Et hæc de notario, restat ut de procuratore dicamus.

Primum dictum, in procuratore requiritur primo scientia ad suum officium bene exercendum necessaria:

ria: quare, si ex ignorantia litem perderet, ad restituendum, nulla suffragante excusatione, esset obligatus.

Secundum dictum, requiritur deinde in agendo diligentia, in petendis terminis, dilationibus, appellationibus, in probationibus, respōsionibus, alijsque ad caussæ expeditionē necessarijs: & ex culpabili negligentia restituere tenetur.

Tertium dictum, requiritur præterea ueritas: qua uera afferat, incerta & falsa uitet. In quo grauiter solent peccare, dum nomine suorum clientum ea respondent, quæ ignorant, etiam adhibito iuramento: quin etiam clientes ad mentiendum inducunt, & per iocum dicunt, Præstare esse martyrem, quam confessorem.

Quartum dictum, procurator iustam debet caussam defendere: qua in re idem dicendum est, quod supra de aduocato diximus, quantum ad caussam iustam.

Iusto etiam debet esse contentus pretio: in quo multi grauiter solent errare, dum plus iusto exigunt: & dū pro aduocato & notario pretia postulant, & sibi omnia usurpant. Solent. n. efficere quæ aduocatorū & notariorum sunt, quos ad subscribendum inducunt, & aliquid modicum eis largiuntur: & cum non raro cum damno clientis id faciant, restituere tenentur.

In eo etiam requiritur horum iustitia, ut eam caussam prius expediant, quam prius tractandam susceperunt. Solent enim plures suscipere, & unam uel alteram prosequi, alijs omissis: cum non possint plura patrocinia suscipere, quam quæ commode, & absque clientū detrimento prosequi ualent. Quod si posterius suscepta caussa, ob moram magnum detrimentum pateretur, prius uero suscepta, non ita, possent posteriori incumbere.

Rursus, iuste se gerere debet procurator in petendis terminis, ita ut non petat terminos impertinentes, qui non faciunt ad iustitiam caussæ, sed ad solum dilationem, ut cogat aduersarium ad cedendum, uel ad aliquam conuentionem faciendam, uel etiā ut ei noceat.

Poſtremo requiritur iuſtitia, ne poſt uictoriam, ultra debitum pretium petat euangelia, uulgo, mancia: cum iſta a clientibus non dentur niſi coacte, licet ſe libenter, & gratis dare dicant. Nauarrus cap. 25. num. 3. ait poſſe accipi, ſi ſint modica: ſed melius eſt dicere, nō poſſe. Et quod clientes inuiti ea dent, uel ex eo eſt manifeſtum, quod lite peracta, uocant procuratores, latrones, iniquos, & inſatiabiles: quibus ſane uerbis ſatis aperte demonſtrant, ſe non libenti animo dare, quæ ultra iuſtum pretium petere ſolent, & ſi non dantur, conqueruntur. Atque de his omnibus perſonis, hęc ſummatim dixiſſe uolui.

Poſt hęc de earum rerum reſtitutione agemus, quæ per contractus uenditionis, mutuationis, uſuræ, cambiorum, cenſuum, & ſimoniæ, iniuſtoque bello acquiruntur.

De reſtitutione eorum, quæ ex iniuſta negociatione, ſiue ratione emptionis & uenditionis iniuſte acquiruntur. Quæſtio LII.

CVM non ſit inſtituti noſtri integrum de negociatione, contractu ue emptionis & uenditionis cōficere tractatū, ſed ſolū ea breuiter perſtringere, ex quibus in emēdis uendendiſq; rebus obligatio ad reſtituendum oriri poteſt; ideo unica tantum diſputatione, quæ nobis dicenda ſunt, ſine ullis argumentis, & opinionibus hoc ordine, complectar.

Primum nonnulla dicta afferam, quibus uniuerſe demonſtrabo quodnam ſit iuſtum rerum pretium, cum ex hac parte ſæpe naſcatur reſtituendi neceſſitas.

Deinde, quibuſdam concluſionibus uniuerſe ſtatuā quando ex contractu emptionis, & uenditionis facienda ſit reſtitutio. Quod ergo ad primum attinet, hæc pono dicta.

Primum dictum, pretium duplex eſt, alterum naturale,

rale, seu arbitrarium, quod ex rerum natura, & communi usu statuitur, de quo fit mentio l. pretia. ff. ad legem Falcidiam: alterum legitimum, a lege terminatum hoc, est immobile, & indiuisibile; illud uero contra, & propterea in tria diuidi solet. In pretium medium, quo res aliqua communiter uendi solet: in summum, supra quod rem uendere non licet: & in infimum, infra quod res aliqua non uenditur. Vt gratia exempli, si frumentum medio pretio uenderetur decem, summo undecim, infimo nouem: summo, uenditur res optima in illo genere: infimo res deterior in eodem genere: medio res mediocris. Variatur autem pretium ex copia, & inopia rerum, & emptorum, ac uenditorum, atque ex modo uendendi; ut si res minutatim, uel integre uenderetur.

Rerum autem, quæ uenditioni subijciuntur, aliæ sunt necessariæ ad humanum uictum, aliæ non necessariæ, sed ad uoluptatem, splendoremque pertinent; quarum pretia non sunt ita certa. Quo fit, ut resp. non queat omnibus in rebus pretia statuere; expediret autē, ut quantum fieri posset, statuerentur.

Secundum dictum: regula iusti pretij, non est ualor naturalis rei uendendæ: quia non attenditur rei dignitas, seu præstantia, sed usus. Exempli gratia, licet homo maioris sit dignitatis, quam equus; tamen pluris sæpe uenditur equus, quam homo. Quod dictum, tanquam regula quædam, est uniuerse accipiendum: ut, & non nulla alia, quæ deinceps afferam.

Tertium dictum, Regula iusti pretij, non est, ut quis tanti rem uendat, quanti ipse emit; uel ut laboris & suscepti periculi ratio requirit. Quoniam, quod quis pluris emerit, aut laborauerit, oriri potuit ex eius incuria, & negligentia.

Quartum dictum, regula iusti pretij, non est ementis uel uendentis commoditas; hoc est, non propterea possum rem pluris uendere, quam ualet, quia ementi est ualde commoda, uel minoris emere, quia uendenti

est

est ualde commodum uendere: Quoniam ista per accidens se habent ad iustum pretium.

Quinctum dictum, iustum pretium non est attendendum penes tempus præteritum, aut futurum, sed secundum præsens: hoc est, res tanti uendenda est, quanti uenditur eo tempore, quo uenditur, si tunc uendenda erat: secus, si in aliud tempus erat differenda.

Sextum dictum, iusti pretij regula, est reip. moderator, q in constituẽdis, pretijs hęc animaduertere debet, necessitatẽ & utilitatẽ mercium: copiã, & inopiã: labores & impensas in mercibus factas: earundem mercium qualitatem, si sint meliores, uel deteriores, ratione loci temporis, industriæ, & opinionis seu usus humani.

Septimum dictum, si iustum pretium non sit a lege statutum, eius regula erit communis mercatorum usus: quo deficiente, boni uiri, & in re illa periti iudicium, qui in pretio constituendo ea considerabit, quæ diximus. Variatur autem huiusmodi pretium, ut dixi, ex modo uendendi, ex copia & inopia rerum & emptorũ, modo absit mercatorum fraus, quæ speciatim fit monopolio, & fictione caritatis rerum, & cum impediuntur rerum uectores.

Octauum dictum, in rebus quæ faciunt ad splendorẽ & luxum, nisi appareat aliquis communis ualor, ut in lapillorum & statuarum uenditione, iustum pretium est illud, quod reperiri potest, remota fraude. Et in hoc rerum geuenete uerum est illud, Tanti res ualet, quanti uendi potest. Atque his dictis, sit uniuerse exposita doctrina de iusto rerum pretio: nunc quod attinet ad secũdum has statuo conclusiones.

Prima conclusio, qui rem plus iusto pretio, uel legitimo, uel naturali uendit, peccat mortaliter, & quod amplius accepit restituere tenetur. Quoniam accipit & retinet aliquid inuito domino: estque hæc doctrina apud omnes Doctores certissima: & intelligenda est priuatim in ijs rebus, quæ ad uitæ necessitatem, utilitatemque pertinent.

Secunda

Secunda conclusio, potest emptor ex liberalitate & honestate, aliquid amplius iusto pretio offerre, & uenditor recipere: sed quod offertur, non potest deduci in pactum, quidquid dicat Ioan. Maior. Quia, id si liceret, aperiretur uia infinitis usuris; præter quam quod implicat, dare ex liberalitate, & deducere in pactum.

Tertia conclusio, potest uenditor pacisci, de graui damno, quod ex rei uenditione patitur; hoc est, si quis, ut emptori satisfaciat, rem suam uendit, & inde percipit damnum, potest ratione huius damni carius uendere, sed emptorem monere debet, an cũ hoc onere emere uelit: alias enim non liceret: & si emptor acquiescat, potest de hoc maiore pretio pacisci. At uero emptori id non liceret, id est, non quia ipse cum suo detrimento emit, ideo minus dare debet. Quod ergo diximus de uẽditore, eum non posse plus iusto pretio uendere, intellige etiam de emptore, qui non potest minus emere. Vnde, si œconomus rogatus ab operarijs ut eos conduceret, non propterea, quod inde aliquod detrimentum caperet, deberet ex hac parte eis minorem mercedem dare, quidquid dicat Syluester, uerb. empt. quæst. septima, sed ex eo, quod tunc censeretur esse operariorum copiam.

Quarta conclusio, qui excedit iustum pretium, etiam si sistat intra medietatem iusti pretij, peccat mortaliter, & restituere tenetur. Hæc conclusio, de qua est magna controuersia, hic a nobis breuiter primum explicabitur, postea probabitur.

Nota igitur, rem aliquam duobus modis uendi posse: uno modo supra iustum, & medietatem iusti pretij: ut si iusto pretio ualeret decem, & uenderetur sexdecim, ubi exceditur medietas, decem, quę sunt, quinque: altero, cum exceditur iustum, sed non ultram medietatem, ut si uenderetur quattuordecim. Et idem dicas de emptione, si minus, quam iustum, uel quam medietas iusti pretij emeretur. Leges ciuiles, cum statur intra medietatem iusti pretij, non dant actionem ad repetendum:

tendum: at uero cum non ſtatur, repetitionem conce dunt. Quare, leges Imperatoriæ permittunt, ut emptores & uenditores ſe decipiant, intra medietatem iuſti pretij. l. In cauſſæ. ff. de minor. §. Idem Pompon. leg. in pretio. ff. de legatis.

Quidam cenſent talem deceptionem, & uenditionē eſſe licitam, ut Durandus ordinis minorum, quem citat Conradus, Andreas Siculus, & nonnulli alij. Quidam putant eſſe licitam, modo abſit fraus. At vero Ioan. Gerſon tractatu de contractibus, ait eſſe peccatum, ſed non eſſe neceſſarium reſtituere. Alij denique, & eſt communis opinio, docēt id, quod nos hac concluſione aſſerimus.

Primo, itaque noſtra concluſio ex communi probatur ſententia. Ita enim docet Diuus Thomas, Henricus Gandauenſ. Gabriel, Conradus, Panormitanus, Dionyſius Carthuſianus in opuſculo de mercatoribus, Ioan. Maior, Medina, Sotus, Tiraquellus l. nona connubiali, numero ſeptimo, & multi alij, quorum loca alibi citabo.

Secundo, quia iuſtum pretium eſt de lege naturę, cui non derogatur per leges humanas; quæ ideo non dant actionem ad repetendum in quocunque caſu, ſi iuſtū excedatur pretium, ne innumeris litibus occaſionem præbeant. Neque enim uerū eſt illud, quod Mimus quidam interrogatus, quid omnes homines naturaliter expeterent, & uellēt, reſpondit, Caro vendere, & uili emere, cum recta ratio doceat, ut omnes iuſto pretio contēti eſſe uelint. de quo Auguſtinus lib. 13. de Trin. capit. 3. & 6.

Tertio, quia in contractibus ſeruanda eſt æqualitas, & nihil accipiendum eſt inuito domino: at in illa venditione æqualitas nō ſeruatur, & Dominus dat aliquid inuitus, igitur. Et ut illud ſpeciatim contra Gerſonem dixerim, implicat affirmare, eſſe peccatum, cum res vēdatur plus iuſto, & non eſſe reſtituendum. Idem dicendum eſt, in dicto caſu, ſi quis emat, aut vēdat plus iuſto

Precio bona fide: quia re cognita restituẽdum erit. Qui vero cum dubio de iusto pretio emeret, uel uenderet, peccaret etiam mortaliter.

Quincta conclusio, in contractu de retrouendendo, licet rem minus emere, quam valeat, seruato tamen iusto precio. Explico, Petrus uendit mihi agrum, qui ualet centum, sed cum pacto, ut possit recuperare, tempore quodam certo, uel incerto: ego propter hanc obligationem retrouẽdendi do aliquid minus; dico id licere, & eum qui sic emit, non obligari ad restitutionem. Quod iste contractus sit ex se licitus, hic suppono tanquam certissimum, ex communi doctrina, de qua re lege Didacum Couar. lib. 3. variarum resolut. capitulo 8. numero quarto, Conradum quæst. 83. & Tiraq. lib. 2. de utroque retractu. Vt autem iuste fiat hæ requiruntur conditiones.

Prima, iustum pretium: quod autem sit iustum pretium, non constat inter Doctores: communiter tamen docetur, emi posse, tertia parte minus; uel circiter, si non sit terminatum tempus: si uero terminatum, soluitur aliquid amplius pro ratione maioris, uel minoris temporis.

Secuuda, cum res vendita redimitur, illud idem pretium restituendum est. Quod si uenderetur iusto pretio a principio, posset pacisci, de illa tertia parte postea restituenda, cum res redimeretur.

Tertia, ne sit palliata usura, hoc est, sit uera uenditio non sit animus lucrandi aliquid sub mutuo. Licet autẽ his contractibus apponere conditionem, ut tempore transfacto non possit redimere, in hunc finem, ut uenditor curet de redemptione; sed tunc dandum esset, quod defuit de iusto pretio: similiter addi potest conditio, ne intra certum tempus redimat: quo casu aliquid amplius pro iusto pretio dandum esset, quam si talis conditio non apponaretur. Licet etiam addere cautelam, ne reddimat ante ullam fructuum perceptionem. Denique, huic contractui potest superaddi contractus

loca-

locationis, iusta soluta pensione. Lege Didacum lib. 3. Var. resol. capit. 8.9. & 10. & Nauar. in Enchir. capit. 17. numero 247.

Sexta conclusio, uitium in rei substantia, quantitate notabili, in pondere, & mensura approbata, & in qualitate maioris momenti, reddit uenditionem iniustam, & ita oritur obligatio ad restituendum, si scienter fiat, & post scientiam, si ignoranter factum fuit. Doctrina est certissima, & communissima, ac proinde nulla eget probatione.

Septima conclusio, celare uitium notabile rei uendendæ, in tribus casibus obligat ad restitutionem.

Primo, si defectus cedat in damnum emptoris, ut si uenderetur uinum non omnino sincerum, ei qui uellet conseruare.

Secundo, si res esset inutilis, ad id, cuius gratia emitur; etiamsi iusto uenderetur pretio: ut si militi uenderetur equus, altero oculo cęcus.

Tertio, cum quis emeret, ut reuenderet; & cum tali uitio minus reuenderetur: quibus in casibus, nec uitium tacere licet. Extra hos casus posset uitium celari, & taceri, seruato iusto pretio. Quoniam nulla fieret iniustitia, seu inæqualitas. Vt si caupo uenderet uinum dilutum ei, qui bonum uinum petit, cum aliud non habeat. Peccaret tamen, si ille alias non esset empturus: non tamen teneretur restituere; cum non fiat iniustitia in re, sed in modo uendendi. Quod si alias empturus esset, non peccaret. Neque etiam peccaret, si emptor emisset quidem, sed non tanto pretio, licet Medina contra sentiat: quia qui emit debet soluere iustum pretium.

Octaua conclusio, qui uendit hodie rem currenti pretio, sciens cras ob superuenturam copiam, minus ualituram, ex se, non peccat, nec restituere tenetur, modo absit fraus. Doctrina est Diui Thomę, Syluestri, Maioris, Soti, & communiter recepta, licet Conradus, & Bartolus cõtra senserint; nec est minuẽdum pretium, quod contra Medinam dixerim. Adde huic communi senten

tiæ rationem, quia hic nulla intercedit fraus, nulla inęqualitas: quam, si scientia induceret, etiã qui ignorã ter uenderet, teneretur restituere; quia ignorantia solum excusat a peccato, non ab inæqualitate: & ei qui præuideret inopiam futuram, non liceret, mutare pretium præsens, quod est falsum. Posset tamen id esse contra caritatem, si inde magnum detrimentum emptor caperet.

Nona conclusio, absolute loquendo, nulla ratione licet plus iusto pretio uendere, ob expectatam pecuniam, & qui facit, restituere tenetur. Doctrina est communis, & ex eo probatur, quia iustum pretium, ut supra diximus, est pretium præsens. Licet tamen ratione expectatę pecuniæ, intra latitudinem iusti pretij, aliquid amplius uendere, quam si numerata uenderetur. Quod si quis libens, & non inuitatus expectata pecunia uenderet, iustum pretium non posset excedere: at si rogatus uendat, liceret ratione lucri cessantis, consentiente emptore, aliquid amplius recipere, iuxta lucri certitudinem, & quantitatem, si uere cessaret lucrum, ut cessat mercatoribus, qui quotidie suas merces uendunt.

Decima conclusio, quando esset aliquod probabile periculum, de pretio amittendo, uel de expensis facien dis pro eo exigendo, posset uenditor cum emptore pacisci de maiori pretio soluendo; quia & periculum, & expensæ, quibus se subijcit, sunt pecunia ęstimabiles. Id autem solui deberet, etiamsi nullæ fierent expensæ; & tantum dari oporteret, quantum pacto conuentum est, etiamsi fierent maiores. Ceterum longe securius est, ut pactum de expensis, cum hac conditione fiat, ut non soluantur, ni factę fuerint. Qui autem modo dicto uenderet, non diceretur uendere plus iusto pretio: quia in hoc contractu, iustum pretium, maius est, quã si prę senti pretio uenderetur.

Vndecima conclusio, licet rem uilius emere, anticipata solutione, quã in præsentia uẽdatur, si probaliter cre-

creditur, tempore quo tradenda est, plus minusue ualituram. Patet hæc conclusio ex cap. Nauiganti de usuris: & ratio est manifesta; quia res emuntur ad usum: qui cum non habeatur in presentia, possunt æstimari pretio non præsenti.

Duodecima conclusio, qui non est nunc uenditurus, si rogatus uendat, potest petere maius pretium, quãtum nimirum soluetur eo tempore, quo uenderet, modo pretium uariari possit. Patet hæc conclusio ex eodem cap. Nauiganti, & ex communi sententia: & ea ratione, quia si uenderet præsenti pretio, pateretur damnum: sed si re uera nunc esset uenditurus, non liceret. Quod si res nũc traderetur, & pretium solueretur, deberet aliquid de pretio minui, ratione expensarum, laborum, & periculorum a quibus uenditor liberatur non retinendo rem apud se. Pretium autem definiendum esset arbitrio boni uiri, qui decerneret, quantum probabiliter res empta esset illo tempore ualitura.

Decimatertia conclusio, si quis emeret rem ab eo, qui non cognosceret iustum pretium, deberet iustum pretium manifestare. Vt si aurifex emeret lapillum a rustico, qui eius ualorem ignoraret: qua in re non placet, omni ex parte, quod docuit Caietanus in summa, uers. emptio, cap. 2. Nostra conclusio est communis, & speciatim Panormit. cap. quia plerique, de immunit. Ecclesiarum.

Decimaquarta conclusio, in emptione & uenditione, seruato pretio iusto, non licet addere aliquam obligationem, qua uel emptor, uel uenditor oneretur; in quo sæpe peccatur, & comittitur usura; & proinde oritur obligatio ad restituẽdum, ex qua doctrina uarij casus iudicari possunt. Vnde, non licet rem emere soluta pecunia, cum obligatione seruãdi eam, si sit periculum in conseruando, uel si quæ faciendæ essent expensæ. Similiter, non licet uendere rem iusto pretio, cum hac obligatione, ut emptor emat a uenditore ea quibus indiget.

Decimaquincta conclusio, eandem rem immutatam uendere expectata pecunia, & statim reemere, soluta pecunia; si seruaretur iustum pretium, ut si expectata uenderetur summo, & soluta, infimo, ex se, non uidetur illicitum: quamuis talis contractus semper esset suspectus palliatæ usuræ. Vt ecce, quidam eget pecunijs, accedit ad mercatorem, & emit pannum expectata pecunia maiore quidem pretio, sed iusto, eũdem pannum eidem reuendit, soluta pecunia, sed uilius, ut uendi consueuit, quod numerata pecunia uenditur: Quod fieri passim solet, sed uix sine palliata usura, quæ non ita appareret, si reuenderetur tertiæ personæ.

Decimasexta conclusio, si res uendatur plus iusto pretio a rep. taxato, etiamsi dubium sit, an sit iustum, iniquum erit: secus, si expresse pretium non esset iustum, & non seruaretur æquitas naturalis. Pretium autem a lege humana taxatum, etiam Clerici seruare debent, saltem ea ratione, qua est æquitati naturali consentaneum; quam æquitatem omnes seruare tenentur.

Decimaseptima conclusio, ratione negociationis licet merces carius uendere, quàm emptæ fuerint. Siquidem, labores, industria, pericula, damna, loca, & tẽpora, & rerũ immutatio pretia uariant. Nulla autem certa dari potest regula, qua doceatur, quantum iuste mercatores lucrari possint: neque enim fixa est regula illa, quam assignat Sotus, tantùm debere lucrari, quantum resp. eis daret, si essent hac in parte reip. ministri: quia non est certa, nec ad unguem seruari posset. Atque de his conclusionibus hactenus: in quibus breuiter continetur tota substantia eius doctrinæ, quæ ad hanc materiam pertinet: de qua præter alios uidere poteris Gabrielem 4. sent. dist. 15. q. decima.

Quid

Quid & quotuplex sit negociatio, & quando sit licita, uel illicita. Quæstio LIII.

AD ea quæ de uenditione emptioneque uniuerse diximus, aliquid priuate de negociatione adijcere placuit: ea in pauca conferendo, quæ multis disputationibus tractari potuissent. Dicam itaque primo, quid & quotuplex sit negociatio: deinde eius honestatem & necessitatem uniuerse demonstrabo: postremo ex quibus capitibus illicita reddi soleat docebo: unde patebit, quando ad restitutionem obliget.

Quod ad primum attinet, negociatio sic describi potest. Negociatio est emptio ad reuenditionem caussa lucri ordinata. Vt autem hæc descriptio recte intelligatur, animaduerte tres esse negociationis species in uendendo & emendo.

Prima, cum quis uendit sua bona fructusq. suorum bonorum: & hæc est maxime naturalis.

Secunda, cum emitur aliquid, ut immutatum per artem, iterum uendatur: ut cum emitur lignum, ut fiant scamna, tabulæ, coronæ; & alia id genus, ut postea uendantur: quæ negociatio dicitur artificiosa.

Tertia cum res emitur, ut reuendatur, nulla facta mutatione, & hæc proprie dicitur mercatura, de qua est priuata dubitatio an sit licita.

Dicitur ergo in allata descriptione, negociationem esse emptionem ad reuendendum, ut distinguatur ab emptione, qua quis rem in suum vsum emit: dicitur lucri caussa, ut designetur finis proximus huius actus. Patet igitur quid, & quotuplex sit negociatio. De secundo, pono has conclusiones.

Prima conclusio, negociatio, ex se, non est, nec bona, nec mala, sed potest fieri bona & mala. Doctrina est certissima & communissima, & patet ex Augustino, cuius auctoritas habetur can. Fornicari dist. 83.

Secunda conclusio, negociatio ratione finis, quod est lucrum, habet rationem mali. Nam lucrũ est quid utile, quod non potest expeti tanquam finis: propterea Aristoteles in Ethicijs, eos uituperat, qui pro fine habẽt lucrum: quare qui negociando lucrum præcipue spectaret, turpiter ageret.

Tertia conclusio, negociatio poterit licite exerceri, si lucrum ad honestum finem ordinetur: ut si referatur, ad alendam familiam, ad satisfaciendum ijs, quibus debetur, & ad opera pia facienda.

Quarta conclusio, ratione negociationis, licet carius uendere merces, quam emptę sint. Patet, hæc doctrina ex proxima quæstione. Nam labores, impensæ, tempus, loca, & alia quæ diximus, pretia uariant. Quantum autem lucrari possint, non potest certa regula doceri, qua de re supra scripsimus.

Quincta conclusio, negociatio est in rep. omnino necessaria. Quoniam uaria loca uarijs temporibus uariis rebus, uel abundant, uel carent; quæ trãsferendæ sunt: expedit igitur, immo necessarium est, ut sint aliqui, qui hoc munus suscipiant: ut ciuitates & populi commode uiuant.

Sexta conclusio, quamuis negociatio, sit necessaria, & ex se mala non sit: tamen, ex multis capitibus uitiari potest, ac fieri illicita. Sunt autem septem capita, ex quibus uitiari solet, ratione materiæ, ratione personę, quæ negociatur, ratione personæ quacum negociatur, ratione loci, ratione temporis, ratione modi, & deniq. ratione finis, de quibus omnibus summatim, totam rei substantiam complecten do, dicemus.

Septima conclusio, ex parte rei, de qua est negotiatio, his modis redditur illicita. Si uendatur quod uendi non potest, ut sacramenti administratio, & beneficium ecclesiasticum. Cum rei uẽditio alias licita, est tamen lege prohibita, C. quæ res uẽdi non possunt. Cum uenditur peccatum, iuxta ea, quæ supra disputata sunt. Si negotiatio fiat in rebus quæ inseruiunt ad nocendum

pro-

proximo,& nõ ſunt alias utilies:quę negotiatio eſt pec catum graue, & obligat ad reſtitutionem: ut ſi quis uenderet uenenum.l.quod ſæpe ff.de contrahen.empt. Huc reuocares tractationem libellorum infamatoriorum,& uenditionem librorum hæreticorum,iuxta doctrinam,quæ habetur 2.quęſt. 5. can.primo. Denique, cum ea uenduntur, quibus homines ut plurimum abuti ſolent: cuiuſmodi ſunt folia luſoria,taxilli, fucus, & id genus alia. Et quoniam circa harum rerum uenditionem,uarie Doctores ſentiũt, ut aliquid certi habeatur,pono hæc dicta.

Primum dictum, uendere res quæ immediate concurrunt ad peccandum cum ſcientia,quod quis abutetur,tale eſt peccatum quale erit peccatum ex abuſu natum. Vt ſi quis ſcienter uenderet filio familias folia luſoria. Doctrina eſt Syluеſt.Armillæ,& Medinæ. Et ratio eſt manifeſta,quia ſubminiſtratur materia peccati.

Secundum dictum,qui uendit res indifferentes, quibus homines abuti ſolent indirecte, quæ immediate non ordinantur ad peccandum, etiamſi ſcienter uẽdat, nullum committit peccatum. Et ratio eſt,quia iſta habent alium vſum:vt ecce,ſi quis uenderet ueſtes aut domum meretrici, qua abuti uellet.

Tertium dictum,uendere res,quæ immediate ad peccandum referuntur,quibus tamen bene & male uti poſſumus,abſque ſcientia abuſus, cuiuſmodi ſunt taxilli, folia luſoria,& laruæ,non eſt peccatum.Ita diuus Thomam 2. 2. quæſt. 169. art.2. ad 4. Caietanus ibidem & Syluеſter.Sed qui iſta uendunt, caueant ne ſint parati ad uendendum,quocunque modo,ut adnotauit Syluеſter,hoc eſt, etiamſi ſcirent alios abuſuros. Putarem tamen non eſſe immunes a peccato eos artifices, qui nouitates ludorum,& ueſtimentorum,quæ ad ſolam oblectationem & uanitatem faciunt, excogitant. Sed de primo capite hactenus.

Octaua concluſio,ratione perſonæ negociantis, negociatio eſt illicita Clericis in ſacris cõſtitutis, & Mona-

nachis.can. Peruenit, dist. 86. ex concil. Calcedon. Intelligenda est hæc conclusio de tertio negociationis genere, quod est ex se sordidum, & expositum peccatoꝛ, & curis, can. qual. de pę. d. 5. ubi Leo Papa, ait difficile esse inter ementis & uendentis non interuenire peccatum. At uero primum genus non est prohibitum clericis cum sit maxime naturale: sicuti nec secundũ, quando est de re honesta, non sordida, sine cupiditate lucri, & detrimento sui muneris. can. Clericus dist. 91. & 21. quæst. 1. Can. Clericus, & patet ex consuetudine antiquorum Monachorum: Chrys. hom. 58. ad Populum. Aug. de oper. Monac. Liceret tamen clericis negociari, cum a legibus trahuntur ad tutelas suscipiendas: quando negotiatio esset propter pupillos & uiduas: & pro rebus ecclesiæ, dist. 88. can. Decreui, & can. consequens: adde etiam casum necessitatis, cum non haberét, unde uiuerét. Quando autem exercerent negotiationem prohibitam, peccarent istæ personę, ex suo genere, mortaliter: ut intelligi potest ex pœnarum illis impositarum grauitate.

Sed peteres, an possint hæ personæ per alios negotiari. Ad quam petitionem respondet Medina, affirmatiue: at nobis contrarium uero similius uidetur. Neque enim ut ipse existimat, prohibetur solum ob occupationem, sed etiam ob lucri cupiditatem & indecentiam. Sed de hoc capite satis.

Nona conclusio, ex parte eorum quibus cum contrahitur, illicita redditur negotiatio, his modis.

Primo, cum scienter uenditur res uolenti ea abuti; ut si quis uenderet carnes, uolenti die ueneris, extra necessitatem, carnibus uesci. Ita Gabriel, 4. sent. dist. 15. quæst. 10. art. 3. dub. 1.

Secundo, cum uenditur ijs, quibus de iure prohibitum est uendere; ut si quis uenderet multa ijs quorum fit mentio in Bulla Cœnæ Domini. Quæ autem sint illa quæ uendere, & quibus prohibemur, non est huius locis exponere.

De-

Decima conclusio, redditur illicita negotiatio ratione loci; ut si quis negotiaretur in loco sacro, cap. Decet, de immunit. ecclesiarũ libr. 6. Et hoc non solum, eo tempore, quo celebrantur diuina officia, sed etiam alijs temporibus, quod contra Caietanum dixerim. Quod non solum de negotiatione reali, sed etiam de uerbali intelligendum est: Quod contra Conradum admonuerim. Est autem ex genere suo peccatum graue, ut præter alios docuit Medina, Cod. de rest. quæst. 31. quod intellige, non modo de negotiatoribus, sed etiam de ijs, quorum est prohibere, & non prohibent, ut sunt Episcopi & Parochi; iuxta Can. Error, distinct. 83.

Vndecima conclusio, negotiatio redditur illicita ratione tẽporis, hoc est diei festi, capite omnes de Ferijs, ubi prohibetur mercatus, & post Pium V. etiã nũdinę.

Duodecima conclusio; negotiatio redditur illicita ratione modi. Veluti si fiat monopoliũ auctoritate priuata: nam publica auctoritate fieri potest, si fiat in cõmunem utilitatem, & terminetur pretium: & hoc intellige ratione rerum, quæ sunt necessariæ. Potest tamen princeps, cum pecunijs indiget, concedere manopolia, maxime in maxime in rebus nõ necessarijs. Huc reuocares modũ illum negotiandi, cum merces emuntur, & uenduntur eodem in loco alio tempore nulla facta mutatione. Quia ob hanc caussam rerum pretia augentur. Liceret tamen, quando esset maxima abundantia, & ideo emerentur merces, ut alio tempore non deessent: & quando emuntur ab ijs qui sponte uendũt, & ea præsertim emuntur, quę alias non uenderentur. Lege Gabr. 4. sent. dist. 15. q. 10. dubio 2.

Decimatertia conclusio, negotiatio ratione finis fieri potest illicita: si quis habeat pro fine solum lucrum, ut supra diximus. Et maxime si eo animo negotiaretur, ut lucri caussa sit paratus aliquid contra diuinam legem agere. Posses etiam addere aliam caussam, cum quis per eos negotiatur, per quos non deberet; ueluti

per

per iniquos ministros, idque scienter. Et hæc de negotiatione breuiter hoc loco dixisse uolui.

Antequã huic tractationi de emptione, & uẽditione, finem facio, eam explicare placet dubitationem, qua quæritur, An rei uenditæ pretium, si res pereat antequam emptori tradatur, restituendum sit: de qua legenda est Glossa in §. cum autem, Instit. de empt. & uendit. & Doctores ibi; ad quam respondebo quibusdam dictis, in quibus insinuabo quasdam distinctiones, quæ in proposita facti specie animaduertendæ sunt.

Primum dictum, si in uenditione fuit appositum pactum, ut res uendenti pereat, antequam tradatur, certum est pretium esse restituendum. Quoniam uenditor suo iuri tunc cedere uidetur.

Secundum dictum, si uenditio solo uerbo facta fuit, non scripto, ita tamen ut partes conuenerint, uenditionem non haberi pro absoluta, nisi facto instrumento, tunc perit uendenti, qui pretium restituere debebit. Doctrina est manifesta: quia non adimpleta conditione, uenditio non est perfecta, neq; translatum est dominiũ.

Tertium dictum, si partes ita inter se conueniant, ut uelint simplici uerbo uẽditionem fieri, etiamsi addant, postea fiet instrumentum, ut quisque nostrum, si necesse fuerit, agere queat in iudicio, non tenebitur uenditor pretium restituere. Et ratio est, quia fuit perfecta uenditio, & translatum est dominium in emptorem.

Quartum dictum, si res uẽdita assignata fuit sub disiunctione, ut si uenditor dixisset, uendo tibi hunc, uel illum pannum, hunc uel illum equum, domumque, ita ut e duab. rebus, gratia exempli, neutra fuerit determinata, si ambæ pereant, non tenebitur restituere, secus si una tantum pereat, si emptor nolit alteram: ut probari potest per l. si emptione, §. emptione. ff. de contrahen. emp. Quod si dixisset indefinite, uendo tibi equum, omnibus pereuntibus, teneretur restituere, quia propositio facit sensum confusum, cum non dicat, uendo tibi unum ex meis equis.

Quinctum dictum, si uenditor fuit in mora, quia noluit admonitus, uel ad diem rem tradere, restituere pretium debebit. Quia uenditoris mora, emptori nocere minime debet. Quod si postea intercessit mora emptoris, quia monitus, ut rem acciperet, distulit, tunc ei res peribit, & pretium restituendum non erit. Quoniã uenditor, per admonitionem, suam purgauit moram: quod intelligendum est, quando uenditor non fuit caussa moræ emptoris, qui fortasse tunc fuit monitus, cum rẽ accipere non poterat. Huc facit l. si per emptorem, in fin. ff. de empt. & uendit. cum Glossa ibidem.

Sextum dictum, si res quę uenditur requirit degustationem, ut est speciale in uino, ut si uendatur totum dolium uini determinatum, post degustationem peribit emptori, & ita pretium restituendum non erit: ita habetur l. si uina, ff. de peric. & commo. rei uend.

Septimum dictum, si res uendita fuit post maleficiũ commissum, ob quod Fisco applicanda erat, uenditor restituere pretium debebit. Quia uendidit id, quod uendi non poterat.

Quod si dicas, iste est uerus dominus antequam res applicetur Fisco per sententiam, qua priuetur re sua; ergo uenditio erit firma, & restituere non debebit; Respondeo esse quidem dominum, sed ideo tenetur restituere, quia uendit rem cum uitio, & defectu, quem non manifestat. Quare, ut uenditor restituere non debeat acceptum pretium, ab omni fraude & calliditate abesse debet. Nec tamen placet, quod aliquando dixit Baldus, cui refragatur Ancar. eum qui uendit in fraudem fisci male uendere, & conditionem non ualere: ut si quis facturus homicidium, prius sua bona venderet. Quoniam iste ante sententiam est venus dominus, nec rem uitiatam vendit: de qua re plura alibi in materia de legibus.

Octauum dictum, si accepto pretio, res alteri uendatur, pretium restituẽdum erit: ualebit tamẽ uẽditio secunda, l. quoties, C. de peric. & commod. rei uẽd. Atque de hac dubitatione hæc dixisse sufficiat.

De restitutione facienda ratione alicuius iniustæ societatis. Quæstio. LIIII.



VM sæpenumero ex contractibus societatum, tum ratione iniusti pretij, tum usuræ oriri soleat restitutionis obligatio, de hoc etiam contractu summatim per certas conclusiones, omnia complecti conabimur, quę ad praxim & quotidianū usum sunt magis accōmodata.

Socius, ut hinc exordium summam, is dicitur, qui pari consilio, spe periculoque rem aliquam cum altero aggreditur. Quare, societas uniuersè considerata, erit fortunæ & periculi participatio; quæ fit cum sociū ad aliquod negotium gerendum nobis adiungimus. Vt autem societas est contractus quidam, hoc pacto definiri potest.

Societas est contractus, in quo duo, uel plures aliquid conferunt in unum, alter pecunias, uel res, alter industriam & laborē, uel uterq. partim utrumque, unde commune lucrum & damnum habent. Vel hoc pacto, societas est conuentio plurium suam pecuniam, industriam, uel laborem conferentium, lucri caussa.

Solet autem duobus modis fieri societas: primo, cum duo, uel plures faciunt pecuniarum cumulum, & habēt communes ministros per quos negociationē exercent, quibus expensæ & lucrum est commune: secundo cum unus ponit pecunias tantum; alius industriam & labores: uel si essent tres, quorum unus pecunias, alius industriā, & tertius operā & labores poneret. Ex quibus tertius potest cōstare modus, quando partim pecunias, partim labores ponunt.

Ad iustam societatem constituendam tres conditiones requirit Caietanus: prima, vt sit de re licita: secunda, ut exponatur capitale periculo, quæ est omnino necessaria; alias enim esset usura; mutuatio nimirum cum lucro, cap. pro uestris, de dona. inter uirum & uxorem

&

& §.1.& 2.inst.de societ.Tertia ut seruetur iustitia, seu æqualitas in damno & lucro;quod est difficile,præsertim, cum unus ponit pecunias, alter operas. Dominus Caietanus, omissa Soti hac in parte doctrina, quæ minus placet,hanc tradidit regulam ad constituendum iustum pretium.

Fieri debet cumulus quidam ex ualore pecuniarũ & laborum atque industria, & secundum hanc proportionem diuidendum est lucrum.Verbi gratia, conueniunt tres homines in societate: unus ponit mille nummos aureos: industria totidem ualet: labores uero æstimãtur nummis quingentis: finge hos socios lucratos fuisse,tercentum ducatos,duorum, singuli reciperent 125. tertius, 50. Itaque fit quasi unum corpus ex pecunijs & industria,laboribusq. Adsunt postea expẽsæ,quas unus uel alter facere potest,quibus etiam sua pars lucri respondere debet. Et ut capitale exponitur periculo, ita & opera exponenda est.Potest autem capitale manere saluum quando qui illud posuit, exponeret periculo expensas,sicut alter operas.

Ad æstimandam operam eius qui solam operam ponit,hæc tria spectanda sunt: labores, qui tanti fieri deberent,quantum daretur ministro, qui eos susciperet: industria & diligentia: atque pericula quibus se subijcit.Vnde,si unus poneret 1000.& alius laborem, & industriam quę ualerent, 500. si iste uelit lucrari tantũ pro 500. si amittatur ex capitali ultra 500. non debet ex suo aliquid refundere, cum non accipiat, nisi pro 500.Verum si uellet lucrari pro 1000. deberet se exponere periculo,aliorum quingentorum,si illa perirent. Quod si fortasse non remaneret nisi capitale, ne qui posuit labores & industriam iniuste pateretur, deberet ei satisfieri ab eo qui capitale posuit. Quoniam, cum fiat unum corpus ex omnibus,ut est dictum, ut et que socius est subiectus periculo amittendi pro rata.

Damnum autem,quod potest in negociatione,contingere, duplex est:alterum lucri, quod sperabatur;

quod

quod uterque socius patitur, dum nihil lucratur: alterum capitalis, & operum, in quo sentiédo neutra pars se debet conseruare indemnem; alias enim fieret iniustitia: quia unus amitteret aliquid, alio existente indemne. Quo fit, ut qui ponit operam damnum pecuniæ pati non debeat: quare ad uidendum quantum damni quisque pati debet, animaduertenda est lucri participatio, quia in eo quis damnum sentire debet, in quo lucrari uult.

Quid si capitale periret totum a principio, aut paullo post, ita ut nulla aut paruia fieret operum iactura? Respondetur, simpliciter loquédo, perit ei qui ponit. Ita diuus Thomas, Baldus, Syluester, Angelus, Nauarrus, & est cõmũnis opinio: alias enim si q̃d ei restituendum esset, lucraretur secundum aliquam partem, quæ non esset exposita periculo: & potest capitale in fine esse integrum, operibus tamen amisfis. Quod si intercederet pactum, ut capitale sit commune, etiam periculum debet esse commune, ut Sylu. notauit, in uerb. soc. 1. §. 6. quare standum esset pacto, & cõuentioni. Quod si non constaret qua ratione facta esset societas, standum esset consuetudini regionis, & loci.

Quod uero attinet ad lucri diuisionem, si pecunia & opera sint æqualia, & societas dirimenda est, extrahuntur expensæ, & quod eis respondet, & quod restat in duas diuidatur partes. Quod si non sint æqualia, lucrum pro rata diuidendum erit, scilicet secundũ quantitatem sortis, quæ consurgit ex cumulo pecuniarum, & laborum. Si uero nolint societatem dirimere, sed partem lucri percipere, eadem seruabitur proportio.

Quod si tres conuenirent, quorum unus pecuniam, alius labores, alius industriam poneret, mercatorum & peritorum iudicio, opera & industria erunt æstimanda, & iuxta taxatum ualorem lucri diuisio erit facienda. Vbi animaduertendum est, quod opera & industria interdum sunt maioris ualoris, quam sola pecunia. §. de illa, Inst. de societ. Vbi etiam habetur,

lu-

lucrum secundum quantitatem sortis esse diuidendum. Ex quib. colligitur, quod si quis pecuniam, & operam apponeret, alter uero pecuniam tantum, ille duas haberet partes. Est autem optimum & sanum Caietani consilium, ut a principio tanxetur sortium hoc est, industrię laboris, & periculorum ualor.

Quod si qui ita conuenirent, ut unus daret alteri mille ad negociandum, ut ex tribus lucri partib. vnam tantum acciperet, contractus esset licitus ratione locationis, non autem societatis: quia tunc seruanda esset æqualitas. Is enim in hoc casu esset ueluti negociorũ gestor, qui isto precio suam locaret operam.

His ita notatis, nunc quasdam subijciam conclusiones quibus explicabuntur dubia quędam, siue quidam casus ad uarias societates pertinentes.

Prima conclusio, exponere pecunias, cum pacto de certo lucro recipiendo a socio, cum periculo capitalis, ex Ioan. Maioris sententia, licet, quamuis Cõradus dubitet. Sunt enim hic quasi duo contractus, unus societatis, alter uenditionis incerti lucris; qui contractus iustus est, cum uterque se exponat periculo lucrandi plus, minusue.

Secunda conclusio, quando industria, seu opera est æqualis pecuniæ, non licet, salua pecunia, pacisci de lucri medietate: liceret tamen, si qui ponit pecunias poneret etiam expensas, quæ essent æquales industriæ.

Tertia conclusio, qui ponit pecuniam potest pacisci de toto lucro, si exponat pecunias periculo, & soluat socij labores, & industriam. Est enim in hoc casu locationis contractus.

Quarta conclusio, qui dat pecuniam potest pacisci de capitalis integritate, & de certo etiam lucro: Hic enim intercedunt quasi tres contractus, unus societatis, secundus assecurationis, tertius uenditionis certi lucri. Neque necesse est, ut hi contractus fiant cum diuersis personis, aut diuerso tempore; sed potest fieri unus simplex contractus cum uno & eo

dem. Vnde liceret marito exponere negotiationi uxoris.dotem ad lucrum,saluo capitali, si intercedat contractus assecurationis. Ita Nauar.quo pacto intelligit cap. Ad uestram,de don.inter uir.& uxo. Vide Couar. lib.3. uariarum resolut.cap.2. nu. 4. Verũ cauendum est,ne sit usura palliata: & pecunia danda est ei,qui uere negotietur,quia ubi non est negotiatio, est palliata usura, esset enim mutuum sub societatis specie; & ut seruetur iustum pretium:& ita tantum dari debet, quátum daretur si isti contractus fierent cum alijs personis. Quo fit, ut liceat etiam assecurare partem capitalis,quæ pars alteri lucraretur, non autem ei, qui eam securam reddit.

Quincta conclusio, consuetudo illa quæ uiget quibusdam in locis,ueluti in Germania,ut dentur centũ, mercatoribus seu reip. & recipiantur quinque, saluo capitali licita est, si resp. uere negocietur, aut in censum sumat, super bonis publicis, præsertim ratione personarum,quarum resp.curam suscipere uidetur,ut sunt uiduæ,pupilli, & aliæ miseræ personæ: & saltem hæc consuetudo saluari potest ratione lucri cessantis. Et quamuis istæ personæ,quæ dant pecunias, non intẽdant contrahere societatẽ,ipsa tamen resp. id intẽdit.

Sexta conclusio,societas cũ periculo uitę, ut si quis daret centum ducatos,ut recipiat decem in annum do nec uixerit,ex se,non est.mala,sed uidetur damnata in bulla Pij V. de censibus,& expresse in bulla Pauli 4.de societate officiorum.

Septima conclusio,societas,quæ Italice dicitur,a godere,e godere, cum datur certa pecunia, & accipitur domus,uel aliquid aliud utendum,ex se,est illicita,est enim mutuo dare, & aliquid recipere: Verum posset fieri licita per contractum de retrouendendo: eo modo,quo supra diximus.

Octaua conclusio;societas omnium bonorum,quando aliqui uniunt omnia bona, præsentia & futura, & ea exponunt lucro,& damno, est licita, si omnia sint

æqua-

æqualia,scilicet,bona præsentia,& spes futurorum; si uero non adesset æqualitas,esset illicita. Vide Couar, lib.3. uar.res.cap. 2. num.5.

Nona conclusio, licet legare pecuniam alicui ecclesiæ, ut exponatur perpetuæ negotiationi, ad soluẽdos ministros. cap.Peruestras.de donat. inter uirum & ux. sed præstaret constituere perpetuum censum.

Decima cõclusio,si Ioannes deberet Petro centum, & Antonius Ioannis amicus Petro daret quingenta per sex annos,ut Ioanni debitum remitteret, & ex eorum lucro Petrus suum recuperaret,si fiat societas,exponendo capitale periculo,utique licebit, secus esset merum mutuum.

Vndecima conclusio,animalium societas uarijs modis fieri potest.

Primo, per modum locationis, ita ut sit conductio ex parte recipientis, qui aliquam lucri partem recipiat, quod licebit, si hæ conditiones seruentur: nimirum ut locans suscipiat super se periculum, & locatarius non teneatur, nisi de lata culpa: & ut non sit ficta locatio. Posset etiam locans pacisci cum locatario de periculo animalium, sed tantum detrahendum esset de pensione,quanti æstimaretur illud periculum.

Secundo, potest dari certa merces pro aminalium custodia, ita ut lucrum sit totũ eius qui dat animalia.

Tertio, possunt dari animalia per modum locationis non puræ,hoc pacto.Vt si quis daret alicui monasterio suas oues donec ipse uixerit, etiamsi perirent, cum certua annua pensione, ita ut post morté sint monasterij,qui contractus ex se, pro licito haberi debet, cum utraque pars se exponat periculo.

Quarto,per modum contractus mutui, seu contractus retrouendendi: ut cum dantur tot ouium capita, ut post aliquot annos totidem reddantur, & tunc debent seruari conditiones mutui, & cõtractus retrouẽdendi: de quibus, nihil in præsentia nobis dicendum est. Postremo, per modum societatis, quãdo unus dat

armenta,& alius ponit industriam & expensas; de quibus societatibus priuatim agunt Summistæ: & tunc seruari debeat quæ supra diximus de conditionibus necessarijs ad societatem iustam. Vt ecce, si quis daret decem equas in quinquennium hac lege, ut alius ponat labores & industriam, & singulis annis recipit certum lucrũ, sed in fine quinquẽnij restituãtur decem æquę: quæ societas est illicita, nisi adsint duæ conditiones.

Prima, ut capitale non saluetur in quocunque euentu; sed secundum communem, & ordinariam uiam.

Secunda, ut de pretio minuatur aliquid ratione securitatis capitalis, ex qua parte grauatur socius. Quando autem id quod datur in societatem est fructiferũ, saluo capitali, licet aliquid accipere, sed non sine suspicione usuræ. Vt etiam accidit, cum res emitur ab aliquo, & statim eidem datur in societatem Licet autem dare alicui equum, uel bouem, hac lege, ut lucrũ sit commune, & ut animal pereat danti, ubi cauendum est, ne pro ueteri animali debeat restitui non uetus. Quod si negotiantis culpa periret, aut lucrari cessaret, teneretur ad restitutionem lucri, & ualoris animalis.

Atque de societatibus uniuerse hæc dicta sufficiant: de quibus, quæ priuatim docentur, legenda sunt apud Summistas, nunc aliquid speciatim de ijs, quæ fiunt Romę, quarum iustitiam non intellexit Sotus, unde factum est, ut eas damnauerit.

Animaduerte igitur Pontificem habere Romæ non nulla officia, magni redditus: quæ, cum Pontifex pecunijs eget, uendere consueuit. Et quoniam unus non habet totum ualorem, alios adsciscit socios; ipse autem officialis nominatur: & omnes pro rata, officij fructus percipiunt, quamuis officialis, qui solet in officio laborare, aliquid amplius ratione sui laboris percipiat. Possunt hæc officia renunciari, etiamsi quis ægrotet, modo superuiuat 40. dies: alias enim amittitur pretium, quo emptum fuit officium per obitum. Hæc officia solent reddere decem, & duodecim pro centinario.

tio. Huic societati Paullus 4. apposuit has cõditiones.

Prima, ut non fiat nisi in curia Romana: quæ conditio non est per se necessaria: quia posset etiam fieri in alijs officijs secularibus, & in alijs locis.

Secunda, ut officialis soluat mediam partem pretij, & reliquam socij: neque ista est per se necessaria: posset enim officialis soluere minorem partem: sed additur ad peccata uitanda.

Tertia, ut socii habeant duodecim pro centum; quia tunc sic officia reddebant; & hęc est necessaria; quia tantum debet accipi, quantum officium reddit, & non amplius. Solent autem hæ societates uariis modis contrahi quos hominum auaritia excogitauit.

Primo, inter officialem & socium fit contractus coniunctus cum sorte, per sex menses, intra quos, si intercedat mors non uiolenta socius amittit capitale, si uero officialis moriatur, capitale restituit, de quo restituendo officialis cautionem dat: sed socius debet officialẽ monere 15. dies ante terminum sex mensium: quod si non faciat, & officialis moriatur, suam amitti sortem.

Rursus socius addere solet pœnam, ut si intra illos 15. dies officialis non restituat, duret societas, sine periculo amittendi capitale. Et cũ redditus isti sint incerti, cum modo maiores modo minores sint, per cõtractum locationis introductum est, ut dentur 12. pro centum. Atque hic modus est licitus: tum quia approbatus est a Pontificibus: tum etiam, quia est uera societas, cum ambæ partes suas exponant pecunias, & sese periculo subiiciant.

Secundo, solet hęc societas per modum locationis hac ratione fieri, cum non intercedit contractus a principio, sed iam celebrato contractu ab officiali, accedit aliquis ad ipsum, & petit, an uelit se in socium recipere, datque ei pecuniam sub illis conditionibus supra positis. Et hic etiam modus est licitus.

Tertio, cum adsciscitur socius ab officiali intercedẽte tertia persona, hoc modo. Est aliquis qui indiget pe-

eunis, quas petit ab alio, qui non habet officium: is, qui dare uult suas pecunias accedit ad officialẽ, a quo petit, ut sibi commodet officium, seque obligat ad eum indemnem reddendum, & in se periculum sumit; ac etiam lucrum, quod ex sorte accipitur. Quare hic duo intercedunt contractus, unus inter eum cui commodatur officium & officialem: alterum inter officialem & eum, qui pecunias accipit.

Hic modus ex sui natura est licitus: si hæ duę conditiones omnino necessariæ adsint.

Prima, ut adsit locus, ut iste possit admitti in sociũ, ad mediã partẽ officii: alias enim nulla esset uenditio.

Secũda, ut nõ exigatur plus, quã officiũ reddit: interdũ.n. nõ reddit, nisi 7. uel 8. & accipiunt 12. Neq. excusantur, qđ nesciãt, quantũ reddãt, quia id scire possunt. Et esto tantundem reddat, adhuc nimis recipiunt, cũ magis ualeant certa, quam incerta: ut omittam, quod alias in societatem intrare nolunt, nisi ista certa detur.

Tertia, is qui locum præbet, non potest pro hoc aliquid accipere, esset enim usura, cum sine ullo periculo mutuet, seu commodet. Errant etiam, qui anticipatam solutionem accipiunt.

Et quod attinet ad illam conditionem pœnalẽ, posset esse usuraria, cum non apponitur, ut re uera reddatur capitale: & quod hac ratione non apponant, ex eo patet, quia si reddatur capitale, nõ recipiũt. Similiter, si sine culpa reddi nõ posset, nõ liceret fructus sine periculo, currẽte societate, percipere. Cũ nemo debeat pati pœnam sine culpa. Quod si solum apponatur, ut suũ capitale recipiatur, & ex culpa non restituatur, non est improbanda.

Denique, illa conditio de locatione, solet esse iniusta: tum quia officia, ut diximus, non tantum reddunt: tum quia plus ualent. 12. certa, quam 13. incerta. Atq; de his societatibus hæc pro nostro instituto dixisse sufficiat, de quibus alias fauente Deo ex professo, fusius & clarius scribetur.

De montium iustitia, & speciatim de monte pietatis.
Quæstio LV.


QVod attinet ad montem, qui pietatis uocatur, de quo est maior dubitatio, ab hinc multos annos multis in locis institutus, cum hunc contractum nonnulli impietatis damnent, placuit de eo in hoc nostro tractatu aliquid scribere, vt videamus, an ex eo ulla restituendi nascatur obligatio. De huius ergo contractus institutione, nomine, definitione, legibus, atque iustitia, paucis priore loco agemus.

Institutionis caussa hæc fuit; eum pauperes sæpe numero egeant pecunijs, & non inueniant aliquem a quo etiam cum pignore mutuari possint; uiri quidam pij monuerunt fideles, ut cumulum pecuniarum facerent, quibus pauperum necessitati, pignore dato, ne forte quod mutuo accepissent, non restituerent, subueniretur. Finis ergo fuit ut pauperibus consuleretur. Et quia ista pecunia a multis in unum locum collecta fuit, ideo dicitur mons: & quia colligendi caussa fuit pietas, ideo pietatis nominatur. Cæterum, non solum ex pecunijs, sed etiam ex alijs rebus, vt ex frumento, & alijs fructibus fieri potest. Habemus ergo conficientem, finalem, ac materialem huius montis caussam. Eius forma consistit in quibusdam conditionibus, ac legibus, quas statim recensebo, si prius hunc montem ex caussis numeratis descripsero.

Mons pietatis est certa pecunia uel quodcumq; mutuabile congregatum, & mutuationi indigentium caussa expositum: uel hoc modo, est summa rerum pecuniæ æstimabilium a rep. uel alijs congregatarum, ex quibus pauperibus datur mutuo gratis.

Potest autem hic mons tribus fieri modis.

Primo a priuata persona, quæ sua bona in hunc finem exponeret; dando eorum dominium monti, aut illud apud se retinendo.

Secundo, fieri posset a pluribus, qui in eundem finem aliquid ex suis bonis in commune conferrent.

Tertio, ab ipsa repub. & communitate, ut si ærarium uel aliqua eius pars in hunc conuerteretur usum. Conditiones, & leges huius mentis solent esse istæ.

Prima, vt detur certa pecunia certę personæ eam mutuo petenti, pro certo tempore.

Secunda, ut non detur nisi accepto pignore, quod aliquid amplius ualeat, & hoc ad cautelam, ut pecunia restituatur.

Tertia, ut qui mutuum accipit aliquid soluat, nõ pro muto, ita ut cedat in utilitatem eius, qui montem fecit; sed ad alẽdos ministros, qui mõtis bona curant, & monti inseruiunt: quod factum est, ne, si ex bonis congregatis his ministris satisfieret, mons deficeret.

Quarta, ut transacto tempore, si pignus non recuperetur, subijciatur hastæ, & cumulus instauretur, & conseruetur.

Circa has conditiones, & montis iustitiam omnes Doctores conueniunt in duobus: primum, non licere quicquam accipere ratione mutui: deinde posse aliquid recipi ratione obligationis mutuandi, tantum nimirum, quanti ista obligatio ualeret.

Differunt autem, an possit aliquid recipi ratione expensarum, & aliquid amplius, quam obligatio, meretur, quod de facto recipitur: de qua re uariæ sunt scribentium opiniones, quas recensere nihil est nunc necesse; sed breuiter, quid sentiendum sit, quibusdam dictis statuam, si prius, quid concilium Lateranense, sub Leone x. sesione x. hac de re statuerit, breuiter adnotauero. Cum ergo magna esset de hoc contractu inter doctores altercatio, citatum concilium hæc super hac re tradit.

Primum, hunc montem, ante illud tempus fuisse approbatum a Pontificibus, nimirum, a Paulo II. a Sixto IIII. ab Innocẽtio 8. ab Alexandro VI. & ab Iulio II.

Secundum, hunc montem esse licitum, si nihil recipiatur,

piatur, præter id, quod pertinet ad expensas, quæ sunt necessariæ ad montis indemnitatem, & conseruationem.

Tertium, statuit hoc opus esse laudabile, & concionatores debere fideles ad illud hortari: cuius rei caussa etiam indulgentias concessit.

Quartum, quod multo melius esset, si ultra sortem nihil reciperetur, sed aliquis construeretur census, quos aliqua ex parte ministrorum laboribus satisfieret.

Quinctum, ex communicantur qui contra docere, disputare, verbo, vel scriptis ausi fuerint.

Vt autem, quæ dicenda sunt facilius percipiantur, animaduertendum est, rationem naturalem dictare, vt mons, pro hac mutuatione, nihil damni sentire debeat, sicuti si aliquis priuatus homo cuipiam commodaret nihil damni inde sentire deberet: eadem quoque ratio dictat, vt ratione mutui, quod re uera in hoc contractu intercedit, nihil accipi possit; ita vt monti nihil inde accedat. Quare, tota ratio accipiendi fundatur in expensis, & in obligatione ad mutuandum. Quo fit, vt quam minimum accipi potest, accipiendum sit: & ideo pauci deberent alij ministri, & moderatis expensis. Sed iam, quid de huius montis iustitia tenendum sit, quibusdam dictis explicemus.

Primum dictum, ex ignorantia & malitia ministrorum huius montis, potest in eius vsu contingere aliqua iniustitia: quod etiam in rerum sacrarum administratione usu uenire solet. Ex hoc itaque capite montium usus alicui expositus est periculo. Nec propterea hic pius vsus est damnandus, ut aliqui faciunt, ac proinde de montis huius institutione nihil curant.

Secundum dictum; si quid amplius acciperetur, præter id quod ratione expensarum & obligationis debetur, esset usura. Quoniam aliquid acquiretur ratione mutui, quod ad vsuram pertinet.

Tertium dictum, optimum esset consilium statuere aliquam pensionem, siue censum ex bonis reip. aut eorum,

rum, qui montem erigunt, quibus ministri vel ex toto, uel ex parte, ut Pontifex ait, sustentarentur: quia hac ratione omnis tolleretur dubitandi ratio, atque vsura species.

Quartum dictum, ad huius montis conseruationem & vsum, licet aliquid accipere ultra sortem principalem, tantum nimirum, quantum satis est pro expensis & oneribus huius officij; idque nullo modo est damnandum: & contrarium asserere est omnino periculosum: ac proinde Caietani, & Soti opinio, qui contra sentiunt, nullo modo est defendenda: quod his rationibus probatur.

Primo, ex determinatione Leonis X. & aliorum Pontificum, quos in sua bulla idem Pontifex citat. Neque ualet, quod Caietanus ait, Pontificem in hoc potuisse errare, cum non sit materia de fide: quia hoc pertinet omnino ad quæstionem de moribus, hoc est, ad decernendum an aliquid sit peccatum nec ne, in quo genere Pontifex errare nõ potest, ut est cõmunis, & certissima Theologorũ doctrina, ut in nostra ad Theologiã Introductione li. 5. docuimus. Nec etiam ea quæ Sotus ad hanc auctoritatem respondens ait, omnino placent; in quorum confutatione immorari nolo, cũ mihi de hac re, in præsentia, non sit latius disputandum.

Secundo, ad montis usum necessarij sunt ministri, ad conseruandum bonorum cumulum, ad dandas, & recipiendas pecunias, ad conseruanda pignora intancta, ad scribendum, & ad nonnulla alia opera necessaria exercenda, qui ministri sua sunt mercede digni: hanc mercedem quis soluere debet? non ille qui instituit, cum nõ parum faciat, dum se suorum bonorum dominio, aut saltem vsu, priuat: ij igitur in quorum utilitatem & cõmoditatem hoc opus cedit.

Cõfirmatur hæc ratio, ista pecunia cõseruatur in utilitatẽ pauperũ, cuius pecuniæ saltẽ habent dominiũ indirectũ, nimirũ usum; & si periret aut minueretur, in eorũ dãnũ cederet, ergo rationi consentaneũ est, ut ipsorum,

rum impensis conseruetur: cum qui sentit commodum debeat etiam sentire incommodum. Quare, si ministris solueretur ex cumulo, tandem mens deficeret, non sine pauperum detrimento; quam rationem conatur Sotus diluere, sed non bene diluit.

Tertio & ultimo, ut multas alias rationes nunc omittam, liceret dare pauperi rem aliquam, cum hac obligatione, ut eam in suam utilitatem conseruaret: at non potest assignari melior modus ad hoc faciẽdum, quàm is, qui seruatur in vsu huius montis, igitur: ut omittam, quod sicut obligatio, ad mutuandum est pecunia æstimabilis, ut aduersarij etiam fatentur ita, & conseruatio istorum bonorum, quæ non fit instituentium caussa, sed pauperum, qui profecto huic conuentioni cum ratione consentire debent. Atque de hoc monte satis: nunc de montibus, qui erigi solent ab aliquo Principe, & speciatim Romæ a Pontifice sunt erecti, aliquid eadem breuitate dicamus.

Principes ergo, uel aliqua resp. seu communitas habet loca fructifera, seu redditus super certis rebus; ut, sunt redditus doganæ, gabellæ, lacus, & cęt. qui cum pecunijs indigeant, aut ex toto, aut ex parte hos redditus uendunt, & dant certam pensionem, pro certa pecuniarum summa, ut 7. 8. 10. uel 12. pro centinario. Qui redditus uenditioni expositi, dicuntur montes, & a rebus super quibus imponuntur, interdum nomen sortiri solent; atque etiam aliunde.

Hi montes tribus potissimum modis fiunt. Alij sunt perpetui ex omni parte, cum neque qui vendit, neque qui emit potest redimere, & ita transeunt ad hæredes. Talis est mons Fidei Romæ, qui reddit 7. pro centinario. Alij sunt irredimibiles ex parte cõstituentis montẽ, sed pereunt cum vita ementis: ut est mons Romæ, qui dicitur, Recuperationis, qui dat 15. pro centinario. qui duabus conditionibus est institutus. Prima, ut per tres primos annos non vacet, sed transeat ab hæredes. Secunda, tertio elapso anno potest uendi, & renuntiari,

modo,

modo, qui renuntiat sit sanus, & superuiuat quadraginta dies. Alij redimibiles ex parte montis, seu uendentis, sed non ex parte ementis, qui dant 10. pro centinario. Hi omnes montes ex se sunt liciti, nisi aliunde fiant mali: ad quorum iustitiam hæ conditiones sunt necessariæ.

Prima, ut uere existant isti redditus, qui uenduntur.

Secunda, ut mons non sit oneratus, vt vendantur, vltra id, quod reddit.

Tertia, ut pereunte monte, pereant etiam redditus super monte fundati. Quod si vendens obligaret se in quocunque casu ad soluendum; tunc qui emit deberet plus soluere, propter illam obligationem.

Quarta, vt pretium sit iustum; vnde minus accipi debet in censu perpetuo, quam in redimibili. Iustum autem pretium censeretur illud, quod esset a Principe cõstitutum, vel quod communi vsu esset introductum, & approbatum.

Vltima conditio, quæ est potius admonitio, pro eo, qui uendit, vt sine vrgenti caussa non constituatur mõs: quia montium constitutio cedit in damnum successorum, cum redditus communes minuantur. Vt etiam omittant, quod datur occasio hominibus ad artes; & negocia deserenda, dum habent occasionem lucrandi sine labore, huiusmodi redditus emendo.

Vbi nota, quod uon potest plus accipi, quam mons reddit, vnde si exempli gratia, non redderet 10. pro centum, ut a principio reddebat, non liceret 10. accipere, nisi quando ita coutractum esset, ut non posset plus accipi si plus reddidisset.

Rursus nota, huiusmodi montes solere vendi, & quidem pluris, quam empti fuerint: vnde, qui emptus fuit centum, solet vendi centum, & quinquaginta: quod nõ est iniustum: licet enim ratione locorum temporum, & veritatis venditorum augere pretia: non tamen liceret plus vendere, quam eo tempore vendantur. Sed de his hactenus: nunc de restitutione facienda ratione vsuræ, de qua sæpe facta est mentio, dicamus.

De

De restitutione eorum, quæ ex mutuatione iniusta, siue per vsuram acquiruntur. Quęstio LVI.

IN hac de restitutione ab usuratio facienda disputatione, primum quibusdam conclusio nibus vniuersę docebimus, quando vsura cō mitti soleat: postea priuatim alijs conclusio nibus, qua ratione vsurarius restituere debeat, statuemus. Potest autem vsura duobus modis accipi; primo, pro re, seu lucro, quod per vsuram acquiritur: altero, pro peccato ipso. Si primo summaatur modo, sic descri bitur.

Vsura est, quidquid acquiritur ex pacto, vel ex spe præcedenti. Quæ descriptio colligitur ex can. Vsura, 14. quæst. 3. Si secundo, hoc pacto definiri solet. Vsura est voluntas capiendi ultra sortem lucrum aliquod tēporale; vi & caussa mutui principaliter.

Supponimus autem hoc loco, vsuram esse malam, & contra omnem legem, naturalem, diuinam, & humanā, quidquid Iudæi, Græci, Albanenses Bucerus, & Lutherus senserint, & in eius laudem Speronus scripserit: de qua re, non est hic disputandi locus. Ad ipsas igitur con clusiones accedo, quibus, quando hoc vitium committatur, generatim demonstrabo.

Prima conclusio, si quid ratione mutui vltra sortem accipiatur, modo sit pecunia æstimabile, est vsura. Doctrina est certissima ex definitione vsurę. Id autem dici tur pecunia æstimabile, quod communiter ab homini bus vendi solet: ut sunt, bona fortunæ, obligationes, exemptiones, & opera.

Secunda conclusio, ratione mutui accipere aliquid, etiā ex pacto, quod non sit pecunia æstimabile, non est usura. Hæc est communis doctrina. Illud uero dicitur non esse pecunia æstimabile; quod pecunia vendi non solet, sed beneuolentia potius conceditur: vt, amicitia, beneuolentiæ conciliatio, res spirituales, & quę ad lau

dem,

dẽ, honorẽ, oblectationẽ & ad actus virtutum pertinẽt, modo ex illis, ab aliquo lucrum quæri non soleat.

Tertia conclusio, qui aliquid vltra sortem ex grato animo accipit, etiamsi sit pecunia æstimabile, non committit vsuram. Patet ex ipsa definitione, quia nõ accipit caussa mutui.

Quarta conclusio, ex accidenti potest aliquid vltra sortem accipi, sine vsura quod restituendum non erit. Vt ob lucrum cessans, ob damnum emergens, & ob aliquem euentum, ut si restueretur acceptum, eo tempore, quo pluris valet, ob pœnam appositam contractui mutui, & ob sortem cum mutuo mistam: vt si mutuarẽ tibi centum, vt post decem annos restituas centum, & quinquaginta, si vixero, sim minus, illa cẽtum sint tua.

Quincta conclusio, quando ex mutuo perciperetur damnum præsens, vel quasi præsens, & probabiliter futurum, liceret de eo pacisci, non autem, quando esset contingens, nisi sub conditione, quando acciderit. Quod si quis libere sine pacto mutuauit, licet damnum postea percipiat, non est a mutua ratio sarciendum, nisi ex liberalitate.

Sexta conclusio, quando quis rogatus, siue coactus mutuat, potest pacisci de lucro cessante, his stantibus conditionibus. Vt pecunia sit exposita negociationi ut: qui mutuat non habeat alias pecunias, quibus possit negociari, ut lucrum sit probabiliter uenturũm; Ei autem, qui sese offerret ad mutuandum, id non licet. Quod illi liceat, cum illis conditionibus, recentiores scriptores communiter docent, ut Adrianus, Conradus, Syluester, Caietanus, Medina, Nauarrus Couarruuias, & multi alij, quos hic auctor citat. Sunt enim pecuniæ ueluti instrumenta negociatoris: instrumenta autem suę artis locare licet. Hęc doctrina cum his limitationibus intelligenda est.

Prima, ut non exigatur totum lucrum, quod mutuator sperare potuisset, sed detrahendæ sunt expensæ, labores, & pericula.

Secunda, ut ipsum lucrum non sit fictum. Sed uerum & certum.

Tertia, ut non sit animus lucrandi per mutuum, sed ut quod accipitur, re uera accipiatur pro damno.

Addunt alij, quod non recipiatur compensatio ante tempus: non teneatur mutuare gratis: absit scandalū, & quod id mutuatario manifestetur.

Septima cōclusio, potest gener, sine obligatione ad restituendum, percipere fructus agri dati in pignus ratione dotis non solutæ, non computando eos in sortē principalem. Ita decernit Innoc. cap. Salubriter, de usuris. Cuius determinationis uariæ redduntur non bonæ rationes, sed hæc uidetur commoda; quia isti fructus dantur pro onere alendi uxorem, & pro emolumēto, quod salua dote, sua industria maritus lucrari potuisset, si dotem habuisset: & quia in hoc casu intercedit quasi pactum de retrouendendo: qui fructus percipi possunt, etiā si pactū non intercessit, etiamsi maiores sint, quam mariti onera, & etiamsi gener soluendi dilationem dedit.

Quæ pontificia determinatio, non ex fauore caussæ dotalis, sed ex natura ipsa procedit; ac proinde ista determinatio locum habere posset in alijs similibus casibus, ut contra Fortunium docuit Couarruuias.

Ex quibus inferres, posse uiduam ante annum recipere pensionem ab hæredibus, & post annum etiam, tum ratione lucri cessantis, tum ratione pœnæ, quia nō restituitur dos: tum ratione tacitæ promissionis. Solent autem dari decem pro centum.

Octaua conclusio, mutuator potest recipere pignus ad securitatem, ni tenebatur mutuare, aut mutuatarius sine illo uiuere commode non posset. Deut. 24. non tamen potest percipere fructus, nisi computet cum sorte, si pignus sit ipsius mutuatarij, secus si esset mutuātis, qui hac ratione rem suam recuperasset, a mutuatario iniuste possessam. Quare, ex se tenetur fructus perceptos restituere. Est communis doctrina, & patet ex de-

definiræ usurę. At uero pheudatarius potest fructus percipere, non computando in sortem: quod est uerũ, non solum de Ecclesia, sed etiam de quauis alia persona, si tamen fructus excederentur onera pheudatarij, excessus computandus esset in sortem.

Vbi nota, hanc esse pheudi naturam, ut si detur in pignus domino directo, dominus possit fructus percipere, & cum hoc onere suscipitur a uasallo, qui eo tempore, quo res est sub pignore liberatur, ab onere ex pheudo suscepto: quæ conditio, fructuum percipiendorum, non ponitur in emphyteusi, Lege Conradum, quæst. 32.

Nona conclusio, si tutor, cum potuit, non exposuit lucro pupilli pecunias, ad quod faciendum a lege iubetur, tenetur restituere pupillo fructus, quos percipere potuisset. Ita Syl. & Tab. uer. usura. Non tamen licet tutori acquirere per usurã, quod nonnullę leges permittunt.

Decima conclusio, legatarius non potest recipere fructus legati, quando legatum non statim soluitur, si potest legatum recipere, & non recipit: quod si testator præciperet ut fructus, uel certa pensio interim daretur donec legatum solueretur, iure percipi & retineri posset.

Vndecima conclusio, qui mutuaret hostibus iniuste rem occupantibus, licet posset peccare mortaliter; tamen non teneretur restituere: quia potest retinere ratione damni illati: quod si aliter rem recuperare nõ posset, & sine scandalo faceret, nullum esset peccatum. Quare, tunc liceret hostibus mutuare, cum eis furari fas esset. Hosti uero iuste inuadenti, minime.

Duodecima conclusio hęc mutuatio, cum sorte mista, do tibi centum, per decem annos, ut si alteruter moriatur ista transeant ad hæredes, si uero ambo superuixerimus, debeas mihi restituere centum, & quinquaginta, potest esse licita, si ambo in hanc conuentionem consentirent, & mutuator non obligaret mutuatarium.

Quia

Quia in hoc caſu nihil reciperetur ratione mutui, ſed hic contractus lege pontificia factus eſt illicitus.

Decimatertia concluſio, ſi poſt tempus reddēdi mutuum, mutuator damnum patiatur, poteſt aliquid recipere, dummodo id mutuatarium moneat, & non poſſit aliunde pecunias, ſine uſura accipere; Sed hoc poſtremum, ut ait Syluelter, ſolum ex ęquitate requiritur.

Decimaquarta concluſio, Qui mutuat rem, quam ſperat pluris ualituram eo tempore, quo reddetur, uel id intendit, eſt uſurarius, & ſi contingat, tenetur reſtituere: ſi uero ex caritate mutuet, nō ita. Nec etiam qui mutuat uerbi gratia frumentum ratione pretij currentis, ut reſtituatur tantum, quantum æquiualeat pretio, etiamſi maior quantitas reddenda ſit, quia idem eſt, ac ſi frumentum mutuum datum fuiſſet.

Poteſt etiam dari uetus frumentum ut recipiatur nouum, ſi probabile eſt, quod poſſit pluris, & minoris ualere, habita ratione noui, quod plus ualere ſolet; idque præſertim ſi mutuatur ſeruaturus erat. Ita Couar. lib. 3. uariarum reſolut. capi. 3. nu 6. Non tamen liceret dare uetus uitiatum, ut redderetur nouum. Quare ut mutuatarius debet reddere idem ſpecie, quantitate, & qualitate, ita mutuator eodem modo recipere tenetur. Nemo enim poteſt mutuo dare cum obligatione reddendi rem meliorē. Quare, ſi quis obligaret ad reddendum eo tempore, quo plus ualet, eſſet uſura. Quod ſi nō ſit determinatum tempus, poteſt ſine iniuſtitia repeti, quando plus ualet, quod tamen eſſet hominis auari: ſecus autem, ſi noluit recipere, quando minus ualebat, quia tūc teneretur reſtituere, pro ratione facti augmenti. Quod autem attinet ad pecuniam mutuo acceptam, ſi facta ſit mutatio. Si mutuauit cum pacto reddendi in eadem ſpecie, eadem reddenda erit: idem dicas in contractu uenditionis, ſi fuit pactum de tali pecunia ſoluenda. Si pecunia mutata fuiſſet, ratione materię & pōderis, & non in ualore, poteſt reſtituere quā uoluerit: ſi vero mutatus eſt tantum ualor, & dominus

conseruaturus erat, potest recipi cum illo augmento: si non erat conseruaturus, tantum quantũ dedit recipiet. Lege Nauarrum tract. de camb. num. 48. & 49. & Dida cum lib. de collat. numis. cap. 7. §. un. Omnia, quæ in hanc unam conclusionem contulimus, pertinent, ad il lam dubitationem, an aliquid amplius liceat recipere ratione euentus.

Decimaquincta conclusio, mutuare aliquid sub hac conditione, ut transacto tempore, ni fiat restitutio, aliquid soluatur per modum pœnæ, non est illicitum, etiamsi mutuator nihil damni percipiat, modo intercedat mutuatarij culpa, idest quod sua culpa non restituat: quamuis in foro exteriore cogeretur soluere, etiamsi non adesset culpa, quæ minuenda esset, si quid restitutum fuisset.

Decimasexta cóclusio, si quis inuitatus a creditore, ut ante tẽpus soluat debitum, de quo aliquid remittet, si id ratione damni accipiat, non est usurarius, secus, si ut illud lucraretur ratione temporis. Vt si mihi deberes soluere centum in fine anni, & tibi remitterẽ quinque, si prius solueres. Ita Conradus, questio. 66. Conclus. prima.

Decimaseptima conclusio, cũ uenditur possessio, & nõ soluitur pretiũ sed interim datur aliqua pensio, ut quattuor, uel quinq. pro centũ, si sit uera uenditio, ita ut res pereat emptori, contractus est usurarius: si uero esset imperfecta, & inchoata uenditio, ita ut res periret uenditori, ac si esset locatio quædam, non est usurarius.

Decimaoctaua conclusio, si quis daret centum, ita ut non posset repetere, & acciperet agrum, ex quo per ciperet fructus, non esset contractus mutui, in quo potest repeti, quod est datum, sed contractus de retrouen dendo, & licitus, si danti pecunias res periret, ita ut do minium transeat in ipsum. Atque de his conclusionib. hactenus quib. omnes fere explicuimus casus, ni spe ciatim, saltem uniuersè, qui possunt incidere in hanc

satis

satis amplam,& implicatam de usura materiam. Nūc alia disputatione docebimus,qua ratione, tum usurarius,tum participantes,& qui ad usuram petunt,restituere debeant.

De modo restitutionis faciendæ ab usurario, & a participantibus in usuræ crimine.
Quæstio LVII.



Vod igitur attinet ad modum quo usurarius & participantes in usuræ uitio restituere debent,omni remota contentione, quid sentiendum sit, quibusdam conclusionib. hoc ordine complector. Primum demonstrabo,an transferatur dominium earū rerū,quæ per usuram dātur:dein de quid restitui debeat: de alienatione facta ab usurario:de eiusdem testamento:de eius hæredibus:de participātibus:de iis qui aluntur ab usurario, seu de eius familia; de usurario mentali;& de accipientibus ad usuram: de primo,ita statuo.

Prima cōclusio,earū rerū quę usu nō consumuntur, non transfertur dominium per usurarum solutionem. Doctrina est communis Alexandri, Altisiodorensis,diui Bonauent. diui Thomæ, Maioris, & aliorum multorum: quia quod caussa mutui datur, non datur gratis. Idem dicas de rebus quæ usu consumuntur, quas ratione iniustæ acceptionis usurarius restituere debet; etiamsi qui soluit,dicat se uelle transferre dominium, idque iuret,si ratione mutui soluat.

Secunda conclusio,usurarius uerum habet dominiū earum rerum, quas sibi emit pecuniis per usuram acquisitis: conclusio est certissima, quæ communiter traditur,& ita non eget probatione.

Tertia conclusio, illa omnia bona, siue sint accepta per usuram,siue empta ex usuris,remanent hypotheca ta,seu obligata restitutioni: sed illa,obligatione reali, hæc uero obligatione personali:quo etiam modo obli

gata sunt, quæ iusto titulo usurarius possidet. Ex quibus colligitur, usurarium debere restituere, non solum quæ apud se habet, quæ non sunt consumpta, sed etiã quę sunt consumpta, pro eorũ pretio. Doctrina est certa, & communis, quę nulla probatione indiget.

Quarta conclusio, usurarius tenetur restituere pro omni damno, & lucro cessante. Quare, si quis debet ratione usuræ soluere usurario centum, quæ alias daret in censum, usurarius deberet satisfacere pro hoc lucro cessante: sed semper oportet expensas, & labores detrahere. Ita Sotus lib. 6. quæst. 1. ar. 4.

Quincta conclusio, usurarius debet etiam restituere fructus ex re perceptos, si fructifera erat, laboribus & expensis demptis: non tamen eos fructus quos ex priuata industria percepit, quos nõ percepisset dominus: similiter nec id, quod ex re non fructifera sua diligẽtia lucratus est: agrum uero, usuris emptũ, & fructus inde perceptos, non tenetur restituere, licet ista sint restitutioni obnoxia, ut diximus, & patet ex cap. Cum tu. de usur. ubi, dicitur usurarij possessiones esse uendendas. Ex his colligere licet, bona quæ per usuram accepta fuere, nunquam posse præscribi, cum non intercedat bona fides.

Sed peteret hoc loco quispiam, quid dicendum sit de alienatione bonorum facta ab usurario, an teneat, de quo unica conclusione, quid tenendum sit statuam.

Sexta conclusio, bona quæ usu non consumuntur, non possunt ab usurario alienari: si uero consumuntur, tenet alienatio, si habeat alia bona, unde restituat: etiamsi postea factus sit impotens ad restituendum; ut si dedisset dotem filiæ: Quando autem, non haberet, unde restitueret, alienatio non ualeret: Quod Sotus, loco citato, restringit ad contractum nõ onerosum; ut si gratis alienasset. Quod si contractus esset onerosus, & qui emit bona fide emit, & pretium dedit, res empta non esset restituenda, Ita Sotus, & Couar. Secus, si sciuisset rem esse restitutioni obnoxiam. Quando gratis

alte-

alienat, & nō habet unde restituat, alienatio nō tenet
Regula igitur hęc esse potest, ut animaduertatur, an per talem alienationem reddatur impotens ad restituendum. Quare optimum est consilium, ut nemo contrahat, cum illic, de quibus est dubium, an quæ habēt, sint aliena, & restitutioni obnoxia. Sed quid dicendū est de alienatione per testamentum?

Septima conclusio, testamentum factum ab usurario pœnitente, sine cautione, iure canonico non tenet. cap. Quamquam de usur. lib. 6. Vnde nec codicillos, nec donationes caussa mortis, nec legata ad pias caussas facere usurarius sine cautione, potest.

Quæ constitutio obligat etiam Iudęos existentes sub principe Christiano, vt Couar. Alexan. & Decius tradunt, licet Alciatus, Aretinus, & alij contra sentiant. Obligat etiam eos, qui faciunt vsuram in emptione, & venditione, cap. ad nostrum, de empt. & vendit.

Item hæc constitutio ualet, etiamsi tempore mortis artem fęnerandi non exerceat: & si facto testamento cū cautione, iterum, quamuis secreto fęneretur, testamentum non tenet: immo etiamsi testamentum fecisset, antequam vsuræ operam daret: si vero facto testamento non fuit adhibita cautio, adhuc tenere uidetur, si postea adhibita fuit, vt Ancar. Anan. & Couar. docēt. Nunc de restitutione facienda ab hæredibus vsurarij dicamus.

Octaua conclusio, hæredes vsurarij tenentur restituere id, quod defunctus vsurarius restituere debebat. Est communis doctrina, & patet ex cap. Tua de usur. & cap. vltimō, de sepulturis. Et cum hæredes defuncti personam referant, omnis obligatio, etiam personalis ad eos trāsibit. Tenentur autē, non ex tacito morientis præcepto, vt uoluit Panormitanus: neq. ex quasi contractu, ut alijs placuit, sed ex delicto, sicuti hæredes raptorum.

Obligantur autem restituere solum pro ratione hæreditatis acceptæ, etiamsi nō confecerint inuentarium: vt est communis opinio, & patet ex cap. Tua, de vsu. & cap. In literis de rapt. Cum sunt plures hæredes, quisque

quę pro rata tenetur, ut qui tertiam hæreditatis partem accepit, tertiam debiti partem debeat restituere. Quod si vnus haberet eandem rem in specie, quæ per usuram fuit accepta, illa restituenda erit; sed cæteri pro rata illi debent restituere. Quando uero res essent usu consumptæ quisque pro sua rata restituat, etiamsi alius nō restitueret. De participantibus.

Nona conclusio, Quicunque est uera caussa, ut quis per vsuram alterum lædat, tenetur ad restitutionem. Quoniam, per regulam iuris, Qui caussam damni dat, damnum dedisse videtur. Ex qua regula vniuerse tradita, hi restituere deberent.

Principes, & iudices, qui cogunt soluere vsuras, aut ne solutæ repetantur, impediunt. Clem. vnic. de vsuris Secus, si tantum permitterent vsuras.

Procuratores, & aduocati, qui defendunt vsurarios in caussa vsuræ.

Notarij, qui conficiunt cōtractum expresse vsurariū.

Testes, qui scienter tali contractui adsunt, quando contractus fieret in fauorem vsurarij; non autem si fieret ad petitionem eius, qui accipit pecuniam vsurariā: quia tunc solum peccarent mortaliter, ut adnotauit Nauar. cap. 17. num. 276.

Actores etiam usurariorum, qui habent facultatem contrectandi usurariorum bona, dando, & exigendo; quamuis nihil pro se accipiant. At uero alij ministri, ve qui scribunt, & numerant pecunias, non uidentur teneri, cum non habeant facultatem dandi, & exigendi; licet contrarium non careat probabilitate.

Sensales uero, si solum indicent vsurarios, & non sint caussa pacti, & exactionis, non tenentur restituere.

Similiter, qui intercedunt consulendo, & rogando eum, qui paratus est ad dandum, regulariter non tenentur: secus, si contractus esset fraudolentus. Sed quid dicendum est de ijs, qui ex bonis usurarij aluntur, aut mercedem accipiunt?

Decima cōclusio, seruiētes usurario in rebus domesti-

eis possunt recipere mercedē ab usurario, cum in eius utilitatem, ad bona conseruanda laborant:non autem ij, qui non uiuant ad rei conseruationem,ut qui solum usurarium comitantur. Vxor etiam potest uiuere ex bonis usurarij, etiamsi non habeat nisi bona per usuram accepta, quia dotem dedit: sed parce uiuere debet: filij etiam, usque ad tempus,quo possunt per se uictum quærere; ultra quod aliunde eis uictus quærendus est. Filiæ non possunt dotem accipere, cum non adsunt alia bona,& acceptam debent restituere.

Quid de usurario mentali?Is dicitur usurarius mentalis,qui sperat aliquid accipere ex mutuo, & hac spe mutuat,sed sine pacto, & aliquo exteriore signo, sed si quid datur,illud retinet.

Vndecima conclusio, usura mentalis ex natura sua obligat ad restitutionem eius, quod acceptum fuit:quādo autem nihil accipitur est solum peccatum mortale: quod si daretur gratis,retineri posset,modo constet gratis datum fuisse,ut posset accidere,quando intentio fuisse ex parte eius, qui pecunias usurarias accepit. Quod diximus de restitutione facienda, uerum est,siue intentio accipiendi sit primaria, siue accidentaria, si mutui caussa detur. De petentibus, & accipientibus pecunias ad usuram,has alias statuo conclusiones.

Duodecima conclusio,inducere ad usuras sine necessitate, est peccatum mortale:at uero in graui necessitate, quando is, a quo petitur pecunia est obligatus sub peccato mortali mutuare, nullum est peccatum:& pro ratione necessitatis erit maius & minus peccatum: ut autem nullum sit peccatum,debet esse grauis,& vrgens necessitas,ita ut non sit alia uia qua qui petit suæ necessitati consulere possit.

Decimatertia conclusio,accipere ad usuram, ex se, est peccatum ueniale: posset esse mortale, ratione grauis detrimenti:sed ex necessitate nullum est peccatum: ita Diuus Thomas.2.2.quæst.78.ar. 4.

Decimaquarta conclusio,petere ab eo, qui est para-

tus dare, est peccatum, a quo excusaret grauis necessitas; etenim, ob necessitatem, uti alieno peccato licet. Est enim uniuersalis regula, quæ docet, nos posse petere ab aliquo, ob necessitatem, id quod ipse iuste potest facere, quamuis sciamus illum non facturum sine iniustitia.

An autem sit peccatum mortale petere ab eo, qui est paratus, si non adsit necessitas, Caietanus, & Nauarrus dicunt, ex se, esse ueniale: alij, ut diuus Thomas, contra sentiunt: Quia sumus obligati, ex caritate, uitare, peccatum proximi: Quare licet ille sit paratus; tamen sine necessitate, non debeo ei peccandi occasionem præbere, & alieno peccato consentire: sed contraria sententia probabilitatem habet.

Ex quibus patet, quid dicendum esset, ad hanc dubitationem, An ratione maioris utilitatis liceret petere ad usuram ab eo, qui est paratus. Vt si mercator, ut magis lucraretur, peteret pecunias ab usurario. Sotus, & Nauar. dicunt, ex se, non esse peccatum mortale, sed ueniale: esset autem mortale, si non fieret sine scandalo. Quando autem licet petere pecunias ab usurario, possimus petere, non solum sub nomine mutui, sed etiam sub nomine usuræ. Posset quis dare usurario pecunias deposito, quando sciretur, illum non abusurum, uel eũ alias habere pecunias. Atque de hac quæstione hactenus. Neque enim in presentia necessarium duximus aliquid dicere de penis usurariorum, cum id ad materiam nostram nihil proxime conferat. Ad alia igitur pergamus, uideamusque, an census, ut quidam arbitrati sunt, sint usurarij, de quibus sequenti disputatione agemus.

De censibus. *Quæstio* LVIII.

DE censibus eadem breuitate disputaturus, qua de alijs contractibus hucusque disputauimus, quod primum explicandum occurrit, est definitio. Potest ergo census hunc in modum describi.

Census

Cenſus, eſt ius exigendi penſionem de re utili alterius. Dicitur ius, hoc eſt facultas faciendi aliquid ſecundum iuſtitiam: exigendi penſionem id eſt partem aliquã fructuum, uel pecuniarum loco fructuum: de re utili. i. de re quæ fructum aliquem afferat, ut ſunt agri, & domus: alterius, quia res, ex qua fructus percipitur, nõ debet eſſe exigentis, in quo cenſus differt a locatione, & emphyteuſi. Solet autem multis modis diuidi, quorum nonnullos breuiter attingam.

Cenſuum, alius perſonalis, qui ſuper perſona fundatur, cum ex operibus & laboribus perſonæ percipitur fructus: alius realis, qui in re fundatur: vel in re quæ vſu conſumitur, uel in ea, quæ non conſumitur: ſed quando res nullum fructum afferret, eſſet vſurarius. Rurſus ex parte penſionis, & ita alius eſt pecuniarius: alius fructuarius, cum penſio ſoluitur pecunia, uel fructibus. Rurſus ratione temporis, alius perpetuus, qui tranſit ad hæredes: alius uitalitius, qui conſtituitur ad uitam unius, aut duorum, ut mariti & uxoris: alius temporaneus, ut ſi per decem annos vendatur cenſus domus: alius temporaneus redimibilis, cum uenditur hac lege, ut liceat, quandocunque uenditor uoluerit, pretiũ reſtituere. Poteſt autem redimi uel ſecundum partem, vel ſecundum totum. Denique alius eſt conſignatiuus, quando venditur ſuper re aliqua cenſus, retinendo rei dominium, de quo nos potiſſime agemus: alius reſeruatiuus, cum retinentur fructus, & traditur rei dominium, de quo ſpeciatim Iuriſperiti agunt.

Quod autem cenſus conſignatiuus, cum ſcilicet uenditur ius exigendi fructus ex ſua poſſeſſione, retento apud ſe dominio, ſit licitus, in quo nonnulli male ſentiunt, putantes hunc contractum eſſe uſurarium, eſt certiſſimum; tum ex communi doctorum opinione, approbantibus etiam Pontificibus, ſi debitis fiat circumſtantijs: tum etiam, quia, ut mihi licet fructus ex re mea iam perceptos uendere, ita eos antequam percipiam, aut ius ad eos percipiendos uendere licebit, quod in

hoc

hoc censu fit. Verum tamen est, quod commoditatis gratia, loco fructuum, solent dari pecuniæ. Quo autem census est magis perpetuus, eo maiorem habet iustitiæ rationem, cum magis ad emptionis & uenditionis naturam accedat.

Census Personalis, quamuis ex natura sua non sit illicitus: tamen, non est in vsu, nec esse debet, cum a Martino V. Calisto III. & Pio V. sit reprobatus.

De censu uitalitio, qui durat usque ad mortem emptoris, dubitari solet, an sit licitus; de quo sentiendum est cum Conrad. Medina, Didaco, Antonino, & alijs, esse licitum: qui tamen non deberet esse in vsu, cum multis modis possit uitiari, & Pius V. eum non approbat.

Quod attinet ad censum temporalem est maior difficultas: potest autem hic census dupliciter fieri: uno modo, si ita determinetur tempus, ut pensiones per singulos annos perceptæ æquarent capitale: ut si darentur centum per decem annos, & singulis annis reciperentur decem: quem modum assignat Sotus, & hic facilis, & manifeste licitus est: altero modo, ut per varias pensiones recipiatur aliquid amplius, & hic etiam, ex se, non est illicitus: nam etiam in censu irredimibili accipitur aliquid, ultra id, quod datum fuit: qui tamen non deberet esse in usu, cum sit suspectus usuræ: posset tamen aliquid amplius in hoc censu recipi, quam in censu irredimibili, ob facultatem redimendi.

Quod autem attinet ad conditiones necessarias ad iustitiam census, de illis bifariam loqui possumus: uno modo secundum ius naturæ, altero secundum Pontificum constitutiones. Priores Pontifices octo requirunt conditiones, quibus alias adiecit Pius V. de quibus postea dicemus, nunc de primis, quæ sunt istæ.

1 Vt assignet fundus immobilis: 2. ut res assignata maneatur obligata ad soluendã pensionẽ, non aũt ipsa persona 3. vt seruetur iustũ pretiũ: 4. ut ematur præsenti pecunia, idest ut detur tota pecunia, cum celebratur contractus 5. ut venditori detur facultas redimendi eodem

pretio

pretio ſecundum totum, & partem, 6. ut uenditor non obligetur ad redimendum cenſum intra certum tempus, ſi noluerit. 7. ut pereunte re, ſuper qua eſt conſtitutus, pereat cenſus, & obligatio ad reddendum pretium, 8. denique ut res ſit fructuoſa, & fructus reſpondeant quantitati cenſus.

Quidam putant omnes has conditiones ex ſua natura eſſe neceſſarias: alij tantum duas, tertiam, & Sextam: alij uero tres, 3. 7. & 8. De qua re ita ſtatuo.

Primum, certum eſt illos Pontifices, Martinum ſcilicet & Caliſtum non definiuiſſe cenſus qui carent aliqua ex dictis conditionibus eſſe illicitos, ſed ſolum ſtatuerunt eos eſſe licitos, qui tales conditiones habent.

Deinde, ex illis conditionibus tertia ſeptima, & octaua uidentur eſſe neceſſariæ ad iuſtitiam; ac etiam ſexta, ne uideatur contractus uſurarius: quia ſi uenditor obligaretur ad redimendum uideretur palliata uſura: de qua tamen multa diſputari ſolent; ſed eſto non eſſe ex ſe neceſſariam: tamen, illud pro certo haberi debet, in praxi retinendam eſſe; quia ſi contraria conditio apponeretur, uix poſſet iuſtum inueniri pretium.

Prima, nõ eſt ſimpliciter neceſſaria, quia ut diximus, perſonales ex ſe non ſunt illiciti: unde cenſus cõſtitui poſſet ſup reb. indefinitis, & uniuerſe ſuper oĩb. bonis.

Secunda eſt neceſſaria ad iuſtitiam, ſed non ſimpliciter: quia & perſona, & aliæ res obligari poſſunt, ſed eſſet maius onus uendentis.

Quarta eſt neceſſaria ad iuſtitiam, quia qui non dat totum pretium non debet recipere totam penſionem: uerum non eſt neceſſaria ſimpliciter; quia in emptione non ſemper datur totum pretium.

Quincta, non eſt neceſſaria quantum ad hoc, quod poſſit redimere ſecundum partes, ſed ſatis eſt, ut detur facultas redimendi ſecundum totum.

Septima, ut diximus eſt neceſſaria ad iuſtitiam, ſicuti & ſecunda: quod dicitur de tota re pereunte, etiam de parte dicendum eſt.

Octaua,

Octaua, quod scilicet sit res fructuosa, & æquet censum necessaria est ad iustitiam. ex quibus colligere licet, solum tertiam, septimam, & octauam esse necessarias, ac sextam, saltem ne uideatur palliata usura.

Quoniam uero pensio illa quæ percipitur ex re in qua fundatur census, est periculo obnoxia: uel quia res perire uel redditus minui possunt, unde fit, ut census, uel pereat, uel minuatur; ideo super additus est cótractus assecurationis, ex quo oritur obligatio ad soluendam pensionem in quocunque euentu. Quæ conditio, ex se, non est mala, cum contractus assecurationis sit licitus, sed seruari debet iustum pretium, ob assecurationis obligationem.

Censui redimibili additur conditio, ut ni ad certũm tempus redimatur, fiat irredimibilis, quæ, ex se, non est mala, si addatur per modum contractus, ut census redimibilis transeat in irredimibilem: si uero addatur, cum hac intentione, ut uẽditor cogatur redimere, esset usura.

Rursus addi solet alia conditio, ut per tres aut quattuor, quinque ue annos non possit redimi, & hæc etiã est licita, si iustum seruetur pretiũ: quia uenditor plus grauatur, quam si quocunque tempore ei redimere liceret, & ita pensio debet esse paullo minor. Rursus addi solet pœna, ut si non soluatur pensio per duos, aut tres annos amittatur res super qua est fundatus census, uel alia similis pœna: quę si in hunc finem apponatur, ut re uera pensio soluatur, est licita: modo pœna non exigatur, ni adsit culpa: quæ pęna debet esse moderata.

Rursus additur etiam alia conditio, ut pensio nó soluta addatur ad censum, ita ut census crescat pro ratione pensionis non solutæ, quæ conditio est licita, modo adsit culpa.

Qui autem accipiunt antecipatam pensionem iniuste faciunt; & qui accepissent, possent excusari, monendi tamen sunt, ne in posterum faciant.

Item additur conditio, ne res super qua constitutus

est

est census possit uendi sine consensu ementis, quam cō ditionē approbauit Sotus, sed communiter dānatur, & a Pio V. fuit reiecta.

Magis iniusta est illa, quæ habet, ut si res uendatur, qui censum emit, aliquam pretij partem accipiat, quoniam iste non habet rei dominium, ut emphyteuta, & ideo nihil potest recipere. Illa etiam est iniqua, ut census redimatur maiore pretio.

Denique, addi solet, ut omnia bona sint obligata ad pensionis solutionem, & ut res non posit alienari sine consensu pensionarij, quæ licita est, si addatur per modum contractus assecurationis, ut est supra dictum.

At uero Pius V. anno quarto sui Pontificatus edidit constitutionē ad census pertinentem, in qua has cōditiones in censib. faciendis seruādas expressis. 1. ut fiat super re quę sit immobilis, aut pro immobili habeatur 2. ut sua natura sit fructifera. 3. ut sit certa, & nominatis finibus designata, quæ sit censui subiecta. 4. fiat pecunia numerata, pręsentibus testibus & notario in actu celebrationis cōtractus; ita ut pecunia nō sit prius mutuo, uel alia ratione accepta. 5. non fiat solutione anticipata, aut in pactum deducta. 6. In casibus fortuitis uenditor non obligetur soluere pensionem: & quando alias casus ex natura contractus non obligaret. 7. non prohibeatur uenditor pro sua uoluntate rem suā alienare. 8. si res uendenda est, præferatur censuarius, qui expectetur per mensem. 9. Nullum apponatur pactum de pœna soluenda, si non soluatur pensio, sed agatur iuridice, ad exigendum 10. Vt census non augeatur pensionibus non solutis, uel non soluendis. 11. ut nulla imponantur onera, quæ non conueniunt naturæ contractus emptionis & uenditionis, & quæ alias uendenti non incumberent. 12. Re in totum, uel in parte facta non fructuosa, census pro rata pereat. 13. Vt pro eodem pretio redimi posit, non obstantibus pactis & scriptura centum annorum. 14 Qui uult redimere per duos menses ante moneat eum cui pretium est restituendū:

duo-

duobus mensibus post denunciationem elapsis, si non redimat, potest uenditor cogi ad redimendum intra annum; quo tempore, si non redimat, potest repelli a redemptione, etiamsi pluries denunciauerit, non secuto effectu. 15. Vt nullo pacto possit obligari uenditor ad redimendum, nisi cum denunciauit se uelle redimere.

Declarat postea omnes census factos sub alia forma esse fœneratitios, quæ constitutio obligat etiam eos, qui non sunt sub temporali Pontificis dominio. Circa quam constitutionem nonnulla ex Nauarro commentario de usuris, a numero 85. adnotanda sunt.

Hæc Pij V. constitutio uult etiam seruari conditiones supra recensitas ab alijs Pontificibus statutas.

Per hanc constitutionem census personales damnati sunt: cum uelit fieri super re immobili.

Cum ait rem debere esse fructiferam, intellige tot debere esse fructus, ut æquent censum, ut supra in octaua conditione dictum fuit.

Reijciuntur etiam census super omnibus bonis generaliter factis, cum requiratur certus fundus: & ratio huius conditionis ea est, ut re pereunte, census pereat. Posset autẽ super annuo redditu census constitui, quia habetur pro immobili: & super censu æquali, aut maiori iam constituto.

Circa conditionem quartam, ait Nauar. dupliciter fieri census contra hanc conditionem: primo, cum ostẽditur pars pecuniæ uenditori, qui confitetur se totum recipere: deinde, cum traditur tota pecunia, sed ex pacto secreto facto, uenditor pecuniæ partem restituit, quas cautelas ait esse parum tutas in foro exteriori, quia si probarentur, contrahentes puniri possent.

Sed dubitares, an si uenditor deberet alias emptori restituere centum, possit census constitui ratione huius pecuniæ iam acceptæ, aut debitæ? Cui dubitationi respondens Nauarrus ait, in conscientia esse licitum: quia lex alias fundatur in falsa præsumptione pecuniæ numeratæ: & Pius V. addidit hunc rigorem ad ob-

obuiandum dolis, quia ementes census loco pecuniarum dabant pannos,& alias merces.

Conditio illa,quod non liceat renunciare casib. fortuitis iusta est, quæ seruari deberet in omni genere contractus.

Illa autem,quod res uendi possit, est etiam æquissima; quæ tamen non habet locum in emphyteusi,cuius natura longe diuersa est a contractu censuali: qui tamen aliquo pacto ad emphyteusim accedit per illam conditionem, quod si res uendenda sit census emptor aliis præferendus sit, quę conditio in fauorem ementis adiecta omitti potuisset,ait Nauarrus.

In fauorem soluentis pensionem,tria statuuntur, ut propter moram nulla exigatur pœna;nec obligatio ad interesse, seu lucrum cessans: nec etiam ad soluendas impensas,& salaria,& impensas iuramento partis liquidandas: contra regulam cap. 1. de pactis. De damno autem emergenti, non videtur eadem ratio, cum hic nulla de eo fiat mentio: & de iure naturæ, morosus id debet resarcire, cum det damni caussam. Quare emptor potest repetere damna, quæ patitur propter moram, & impensas moderate factas, non ratione alicuius obligationis,sed ob naturæ legem,quæ hoc docet.

Illa conditio,quod census non possit fieri super pensionibus non solutis, &cæt. continetur sub illa, quod pecunia solui debeat.Quo loco, non prohibetur, quia census possit augeri,si noua detur pecunia.

Cum dicitur, ne census fiant sub alia forma, solum intelligitur de ijs censibus, qui fiunt per modum contractus,non autem de ijs,qui fiunt per legatum, per uiā dotis aut donationis alicui ecclesiæ. Complectitur autem omnes census redimibiles,& irredimibiles,constituendos, non autem iam constitutos.Et quoniam citati Pontifices,& naturæ lex docent,in censu constituendo necessarium esse iustum pretium, ultra quod,si quid acceptum esset,restitui deberet,propterea de iusto censuum pretio,aliquid uniuerse docebimus.

Quod attinet ad pretium census perpetui, aliqui, ut Guido, Iason, & Tiraquel. statuunt pro iusto pretio, unum pro 20. Alij, ut Conrad. Ang. Lauren. Rodulphus, & Parisius, sex pro 100. Verum huius census regula deberet esse resp. a qua taxari deberet: aut certe iudicium boni uiri, & prouinciæ usus, prudentum uirorum iudicio approbatus. Solet autem pro iusto pretio haberi, quattuor, quinque, & sex ad summum. Quod si iustum pretium non seruetur, non ideo censetur contractus usurarius, sed iniustus contra commutatiuam.

Nec propterea, quod aliquid amplius accipitur ultra fructus, si attendatur ualor, & fructus fundi, quia exempli gratia nõ reddit nisi tria, aut quattuor pro cẽtinario, & dantur exempli gratia sex, census censetur iniustus; quia si considerentur onera ementis, non uidebitur iniquum. Quoniam ipse dat pecunias ante annum, & non percipit fructus nisi post annum: transfert dominium pecuniæ, & non acquirit dominium agri, quem uenditor pro sua uoluntate potest alienare: & est obligatus ad recipiendas pecunias quandocunque uenditor uoluerit: & denique est expositus periculo amittendæ pensionis. Quare, si res quæ emitur cum pacto retrouendendi, in quo transfertur dominium, minus ualet multo minus ualebit ea, quam apud se dominus retinet. Vnde fundus, qui ualeret centum, sic affectus, æstimaretur quinquaginta.

Quod attinet ad census redimibiles, alij unum pro uiginti, alij sex, alij septem, octo, vsque ad decem posse accipi scribunt, modo seruentur conditiones a Pontif. requisitæ. Cæterum regionis usus iudicio bonorum uirorum approbatus, spectandus erit. Possent autem accipi septem, octo, & ad summum nouem, quod tamen pretium est ualde rigidum: caritas etiam, & abundantia pecuniæ posset uariare pensionem.

Quod attinet ad census, ad uitam, in pretio iusto constituendo, animaduertenda est ætas, ualetudo, & uniuersæ uitæ humanæ incertitudo: quidam assignant unũ

pro

pro 6. alij unum pro nouem: communior opinio est, ut unũ pro octo, ita ut possint accipi 14. vel 15. uel 16. pro centinario: atqui in particulari iustum pretium pendet a circumstantijs.

De temporario, qui deberet e medio tolli, uilius debet emi, quam perpetuus redimibilis; aliqui pro iusto pretio statuunt, 8. 9. ad summum decem. De personali, cum sit reiectus nihil dicam. Vt autem huic quæstioni finem faciam, adijciam aliquid de censuum usu, an sint in repub. utiles, & frequentandi: de qua re legendus est Conradus.

Breuiter igitur, & uniuerse dixerim, non expedire reip. censuum usum; quippe qui multa hominum communitati detrimenta affert.

Primum, quia si spectemus conditiones, cum sint multæ, & difficiles, non ab omnibus obseruantur, & ita committitur non raro usura, uel iniustitia.

Deinde, quia non minora incommoda, quam ex usura hinc capiuntur: deuorant enim, quamuis iuste, patrimonia, & familias ad egestatem trahunt: dum plus soluunt, quam ex agris percipiant.

Deinde, per census tollitur christiana caritas, quæ exercenda esset per mutuationem. Nam, cum pecuniæ mutuo ab egentibus petuntur, statim ad censum, qui parum habent pietatis, confugiunt.

Deinde, datur occasio uiuendi otiose, & deserendi artes; unde fit ut pauperes lucrari nequant: unde multa in humana societate nascuntur incommoda. Nam, si exempli gratia quattuor ciues diuites suas pecunias in negociatione lanificij, uel alia simili exponerent, multi pauperes uictum sibi parare possent.

Denique, ne plura incommoda & detrimẽta percenseam, quæ respub. ex tali usu capit, si Pontifices habent pro suspecto contractum de retrouendendo, multo magis haberi debet hic contractus censualis, cum in hoc non transferatur dominium, ut in illo. Quod autem illi pro suspecto habeantur, patet ex capit. ad nostram de

emp. & uendit. & cap. illo uos de pignoribus. Quamuis ergo hic contactus iuste fieri queat: tamen ob allatas, & multas alias incommoditates, quas secum affert, ab eo abstinere prodesset; & fideles monendi essent, ut abstinerent.

Cæterum, in commoditatem, & usum pauperum, religiosorum, scholarium, & ad alēdos eos, qui a curis secularibus debent abstinere, permitti, & in usu esse possunt. Et hæc de censibus dixisse sufficiat: nunc de cambijs, de quibus maior est dubitatio, dicamus.

De restitutione facienda ratione cambij iniusti. Quæstio LIX.

VT cambiorum usus uarijs est iniquitatibus expositus; ita etiam qui hanc periculosissimam artem exercent, sæpissime sunt ad restitutionem obligati: ac proinde in hoc operę non nihil de cambijs summatim scribendum duximus: Et ut a cambij definitione auspicemur, ne id, quo de agitur sit ignotum, cambium hūc in modū describeres.

Cambium est permutatio negociatoria numismatis pro numismate. Dicitur permutatio, quæ particula ponitur loco generis, quia consistit in commutatione quadam: dicitur, negociatoria, quia fit per modum negociationis, cum aliquo lucro: dicitur numismatis cum numismate, ut distinguatur a permutatione rei, cum re, aut rei cum pecunia.

Sunt autem duo pecuniæ vsus: alter, ratione materię: vt est quoddā metallum: alter, ut est nūmus, & formam certumque valorem ex voluntate Principis habet, & est mensura rerum omnium, qua in commutationibus vtimur, cuius rei caussa fuit primo inuentus nummus: vnde cum commutamus pecuniam cum pecunia, est veluti quidam eius secundarius vsus. Atque ex his patet, quid nomine cambij intelligendum sit: nunc de diuisione.

Varie,

Varie, a varijs scriptoribus diuidi solet cambium: aliter enim Sotus, aliter Nauarrus, aliter alij diuiserunt: tu sic diuideres. Cambium vniuerse sumptum in duo diuiditur genera: alterum, quod simplex vocatur, & est illud, quod nullum alium continet contractum: alterum compositum, quod est cum alio contractu permistum. Simplex, duplex est: alterum, quod fit in eodem loco; alterum, quod fit de loco ad locum, quod varijs modis fieri potest: illud rursus, aut fit eodem loco, & tempore, aut diuerso tempore. Vel hoc modo diuideres, cambium duplex est, alterum reale, quando intercedit uera, & realis permutatio: aliud siccum, cum non fit realis, & uera, sed ficta permutatio: illud diuiditur, in minutum, cum dantur minores seu minutæ pecuniæ pro maioribus: in cambium per literas, cum dantur litteræ per quas alibi recipitur pecunia: & in cambium ratione diuersi ualoris, & loci: ad quas species reduceres eas, quæ sunt permistæ, cum una scilicet permiscetur cum alia. Vel denique hoc modo, cambium est quadruplex, minutum, cum pecunię diuersi ualoris inter se cõmutantur: siccum, cum datur pecunia pro diuerso loco, sed re uera in eodem accipitur, & soluitur: per litteras, cum literarum uigore pecunia in alio loco accipitur: & reale, quando uno in loco mercator dat pecunias, quas ipse alio in loco recipit. De quibus speciebus deinceps earum iustitiam examinantes, agemus.

Quod attinet ad cambiorum iustitiam, ut rem hanc planius explicemus, quædam prę notãda sunt. Primum, cum in rep. aliquod officium necessarium est, illud licite exerceri posse fateri oportet: aliter enim non esset generi humano sufficiẽter prouisũ. Deinde naturę lex illud euidẽter docet, ut quisq; uiuere possit ex ea quã recte exercet arte: cũ nõ sit alligandũ os boui trituranti.

Postea animaduertenda est necessitas introducendi cambia, quæ has habuerunt caussas. Primo, nũmorum ualor diuersus, & maiores, ac minores monetæ, cambiendi usum introduxerunt: unde natum est cambium

minutum. Secundo diuersitas ualoris pecuniarum in diuersis locis, & tẽporibus. Tertio, quod aliquis egeat pecuniis uno in loco, quas alibi habet. Quarto rõ commoditatis, & securitatis, cum pecunia ex vno in alium locum transferenda est. Fuit etiã necessaria pecuniæ commutatio in pecuniam ob sumptus quotidianos, ac etiã ratione qualitatis alicuius metalli.

Postremo notandum est, ex quattuor capitibus pecuniam posse esse maioris ualoris, & pretij. Primo ratione materię ex qua conficitur, si sit purior, & melioris conditionis: unũ enim aurum est alio præstantius: secundo ex uoluntate principis: tertio, ratione qualitatis pecuniæ huius, uel illius loci: postremo, ratione negociationis: plus enim fit pecunia ubi exercetur negociatio, quam ubi manet mortua. His notatis, de arte cambiendi uniuerse hæc statuo dicta.

Primum dictum, ars campsoria, generatim loquendo, est in rep. humana necessaria. Patet hoc dictum, ex ijs, quæ adnotata sunt, ac proinde nihil est cur pluribus probetur.

Secundnm dictum, hæc ars non est intrinsece mala. Quoniam ex eo quod in rep. est necessaria, debet aliqua honesta ratione exerceri posse. Adde etiam, quod sicuti alias res commutare licet, licebit etiam commutare pecunias, & ratione, uel laboris, uel interesse, uel officij aliquid lucri recipere.

Tertium dictum, hæc ars est ex earum genere, quæ magis turpitudinis, quam honestatis speciem habent. Tum ratione finis, quia propositum habet lucrum: tum ratione fraudum, quæ in ea exercenda fiunt: tum denique, quod non utitur pecunia ad eum finem, ad quem instituta primo fuit, ut est rerum mensura, sed ad hoc, ut ex ea fructum capiat, cum tamen non sit fructifera. Vnde optimum esset consilium, si quis aliquem moneret, ut ab ista arte abstineret. Atque hæc breuiter uniuerse: nunc speciatim de uarijs cambiorum generibus, & primum de minuto.

Vt autem cambij minuti iustitia intelligatur, nota ex duplici capite pecuniam in pretio haberi: primo ratione metalli magis, & minus pretiosi: secundo, ratione signi ut est impressa ad hoc ut sit rerum mensura, certo & indiuisibili ualore. Rursus, ratione materiæ potest pluris, uel minoris fieri, ob raritatem, uel abũdantiam.

Notandum est etiam, cambium minutum tripliciter fieri posse: primo commutando pecunias maiores & minores inter se: secundo, cum fit commutatio ratione metalli, ut si detur aurum signatum ad inaurandum: tertio, cum pecunia bona cum mala, uel noua cum ueteri cõmutatur: de quibus tribus modis suo ordine agemus. Quod attinet ad primum modum, dubium est, an quiuis possit recipere aliquid pretij pro commutatione monetæ, ut moneta est, de quo statuo hæc dicta.

Primum dictum, cambium minutum, sub hac ratione, semper fuit necessarium in rep. & ita expediret, ut aliquis ex officio hoc munus exerceret, ut olim fiebat apud Romanos.

Secundum dictum, expediret ut tale officium ab aliquo gratis exerceretur, cuius laboribus ex publico ærario satisfieret.

Tertium dictum, qui haberet hoc officium a rep. sine ullo stipendio, posset pro huius officij executione, aliquid ultra sortem recipere. Est communis doctrina, & patebit ex sequenti dicto. Expediret autem ut resp. taxaret pretium ad remouendas omnes fraudes.

Quartum dictũ, quamuis non sit improbabile, quod Caietanus tractatu de cambijs dixit, eum qui non ex officio hoc munus exercet, nihil ultra sortem pro commutatione recipere posse, tamen contrarium est multo probabilius. Tum quia contraria sententia est communior: tum etiam quod ex rei natura tale opus ratione laboris, & temporis, & obligationis ad commutandum, aliquid meretur prẹmij; quod si non mereretur ex sua natura, neque etiam ex humana constitutione liceret aliquid accipere. Quare, cum officium sit

omnino necessarium, ab aliquo iuste, sine suo detrimẽto, & cum aliquo emolumento exerceri poterit.

Quinctum dictum, hoc cambii genus, ut sit licitum, has requirit conditiones. Primo, ut nulla sit falsitas in moneta: secundo, non sit deceptio in ualore monetę: tertio, ut sit iustum pretium, cuius regula erit consuetudo, uel lex aliqua.

Sextum dictum, si hoc cambii genus priuatis hominibus aliquo in loco prohiberetur, nō posset iuste exerceri; & qui exerceret, teneretur restituere. Sotus ait esse prohibitum in Hispania, quod Nauarrus negat.

Denique, circa hoc cambium illud adnotauerim, nemini licere augere pecuniam in ratione pretii, hoc est, nemo priuatus potest efficere vt nũmus valeat, plus quam valet. Et de hac cambii specie hactenus: nunc de secunda dicamus.

Alia commutationis species est, quæ fit ratione materię; vt cum quis dat argentum pro auro, quia vult vti auro, vt materia, seu metallũ quoddam est, de qua affero hęc dicta.

Primũ dictum, pecunia ratione materiæ locari potest: & ita ratione vsus illius, aliquid recipere licebit. Verbi gratia, si quis vellet centum numus aureos, ut apponeret in olla medicamẽti caussa, is qui daret, pro tali vsu, posset aliquid recipere, non secus ac si dedisset aurum non signatum. Est communis doctrina: & patet, quia hic non intercedit mutuum, cum non transferatur dominium.

Secundum dictum, licet commodare pecuniam ratione materiæ, & pro cômodato aliqnid recipere. Verbi gratia, si quis uellet pecunias ab aliquo ad ostentationem, ut demonstraret, se esse diuitẽ, & ut haberet apud alios creditum; qui daret, hac de caussa, posset aliqnid recipere. In quo etiã casu non intercedit mutuũ.

Tertium dictum, pecunia ratione materię, potest uendi. Quæ doctrina declaratur, ac probatur simul. Potest uendi pecunia aurea ad inaurandum: ratione puritatis,

ritatis,& qualitatis materiæ: ratione antiquitatis, & alicuius imaginis: propter raritatem materiæ: & maxime, quando qui habet,nollet ea se priuare; & alius omnino id contenderet, quia censeretur raritas materiæ: uerum in his casibus quod reciperetur, deberet esse modicum. Vnde in contractu emptionis & uenditionis posset aliquo pacto minui pretium, si quis uellet aurum loco alterius materiæ, quam dare emptor potuisset. Sunt tamen,qui probabile esse dicant,numquā materiam informem,seu pecuniā non cōsideratam ratione formæ,plus ualere posse, & ob hanc rationē non licere aliquid accipere; quę doctrina re uera probabilitate non caret:Sed communiter contrarium tenetur. Atque de hac commutationis specie hactenus: nunc de tertia.

Tertia cambij minuti species erat, cum commutatur pecunia uetus,fracta rasa,& deformata, in nouam formatam,& integram,& in eā, quæ non impenditur, seu,nihil aut minus ualet in aliquo loco, in eam, quæ impendi potest: de qua statuo hæc dicta.

Primum dictum, cum campsor dat integram pecuniam,& accipit diminutam,uel rasam, potest aliquid accipere: tum ratione officij,tum diminutionis pecuniæ,cum minoris ualeat diminuta, quam integra.

Secundum dictum,ratione diminutionis, nō solum campsor sed etiam quiuis alius,qui integram dat monetam,posset aliquid amplius accipere: idque iudicio boni uiri. Verum tamen est,quod campsor ratione officij aliquid amplius,accipere posset.

Tertium dictum,si loquantur de monetis, quæ impendi non possunt,aut certe multo minus ualent, quā alibi,ut esse solent monetę externæ,si ualor in ratione monetæ,aut ratione materiæ esset minor, posset campsor aliquid pro moneta maioris ualoris, uel ratione materiæ, uel usus accipere: &, ut Caietanus capit. 6. sui tractatus de cambijs, pro regula esset iudicium boni uiri. At uero,si materia esset præstantior,& equi-

ualeret ualori curentis monetæ, nihil posset accipere.
Quartum dictum, ratione pecuniæ raræ, & antiquissimæ, ob materię pręstantiam & pulchritudinem potest aliquid amplius accipi. Tunc enim moneta speciē habet gemmæ, siue lapilli. Et hæc de hac cambiendi forma, dicta sufficiant.
Quod attinet ad cambium, quod fit in eodem loco, cum scilicet accipitur pecunia in uno loco, ibidem alio tempore restituenda, de quo tres sunt auctorū sententiæ, hæc pono dicta.
Primum dictum, si hoc fieret per modum locationis, ut supra diximus id liceret. Patet ex dictis, & est diui Thomæ doctrina.
Secūdum dictum, si quis haberet hoc munus a rep. uel a principe impositū, ita ut ex officio & obligatiōe id faceret, non esset illicitum aliquid accipere: expediretque reip. ut tale constitueretur officium. Doctrina est manifesta, quoniam ratione laborum & obligationis ad mutuandum, licet aliquid recipere, ut supra docuimus, cum de monte pietatis egimus.
Tertium dictum, liceret etiam priuato homini aliquid accipere ex tali obligatione: sed tamen non esset passim cuique permittendum, ut hoc cambiēdi genus exerceret. Quoniam qui hoc exercent officium, solent nimium exigere: & non se uere & plene obligant, cum quandocunque noluerint, se ab hoc onere liberēt. Vnde, practice loquendo, non uacat, uel usura, uel iniustitiā hoc cambiendi genus.
De cambio ratione alterius loci, quod quattuor modis fieri solet.
Primo, quādo cum cambio est annexa fortuna, hoc pacto. Dat campsor pecuniam reddendam alio loco, & tempore, pro ualore eius temporis in illo loco. Vt si det centum ducatos aureos Venetijs reddendos post sex menses Lugduni, iuxta ualorem huius monetę illo tempore. Qui modus, si sit probabile, talem monetam plus minusue ualituram, non est damnandus, se-

cus si esset certum, aut magis probabile plus ualiturã.

Secundo, cum datur pecunia pro alio loco, sed re uera ibidẽ soluitur: qui modus est omnino usurarius, & ab omnib. damnatur: cum hic nulla intercedat priuata ratio ob quã aliquid accipere liceat, sed ratione temporis accipitur, quod est usuræ proprium, & hoc est uere cambium illud, quod siccum uocatur.

Vbi ex Caietano & Nauarro nota, quod si campsor esset re uera determinatus dare pecunias, quas habet pro alio loco, ibi uere soluendas; si quis ibi eas uellet, ubi campsor est, liceret campsori, si huic daret, ratione lucri cessantis aliquid accipere, quod uerum est; si ex isto cambii genere aliquid lucrari licet, de quo postea dicetur. Qua ratione, lucri nimirum cessantis, multi mercatores excusantur, qui Principibus suas pecunias, cum aliquo lucro mutuant.

Tertio, est alius modus coniunctus cum recambio, hac ratione. Datur pecunia hoc in loco pro alio, aliquo pretio accepto, sed re uera ibi non soluitur: sed iterum fingitur recambium, & soluitur ibi, ubi data fuit, iterum aliquo pretio soluto. Hic est manifestissima usura, & præsertim cum campsor non habet eo in loco pro quo datur socium, siue respondentem. Est hic itaq; mera sciccitas. Posset tamen interdum Campsor excusari ob ignorantiam, quando re uera nesciret, an quĩ accipit, ita accipit, ut eodem loco uelit soluere.

Quarto, quod genus, aulicorum cambium, vocatur, quod hac ratione fit. Campsores habent pecunias dandas mercatoribus pro uarijs locis, accedunt aulici, & dicunt, date nobis has pecunias pro istis locis, & idem dabimus pretium, quod mercatores darent. Si hę pecuniæ eo in loco, pro quo aulici accipunt, soluantur, est uerum cambium; si uero in curia, puta Romæ; tunc, quia campsores parati erant dare mercatoribus, ratione lucri cessantis, possunt aliquid accipere: quod intellige, iuxta limitationem paullo ante allatam. Solent autem in hoc cambio duo intercedere: alterum, quod

cam-

campsores plus accipiunt ab auliciis, quam a mercatoribus, hac de caussa, quod eorum solutiones sint magis incertæ, quam mercatorum: verum hæc caussa non est sufficiens, quoniam, per fideiussiones faciunt solutiones certas: & dato, quod adsit incertitudo, in eo errãt, quod plus accipiunt, quam deberent. Alterum, solent præfinire tempus solutionis, intra quod, ni solutio fiat, recambire solent. Determinant etiam tempus ad certificandam solutionem alio loco factam; quod ni fiat, recambiunt, quamuis solutio facta sit intra primũ tempus solutioni assignatum.

De primo tempore, licet hoc tempus definire, & per modum pœnæ recambire, modo intercedat uera culpa. Quando autem non intercederet culpa, posset campsor exigere damnum, quod inde patitur.

De secundo tempore, idem dicas, si nulla intercedẽte culpa, non sit certus campsor de solutione; ut si litteræ de solutione facta fuissent interceptæ, non potest recãbire, cũ nihil dãni passus sit. Et hæc de isto genere.

De cambio de loco ad locum per literas, quod fit, cum a campsore dantur literę, quarum uigore alio in loco soluuntur pecuniæ, de quo uarie sentiunt Doctores, in cuius explicatione, cum nos nolimus ad casus particulares descendere, uniuersam tradenus doctrinam, ex qua priuati casus terminari poterunt. Et quoniam tota difficultas posita esse uidetur, in assignãdis rationibus, ob quas, sic cambienti, aliquid accipere liceat, eas prius examinabimus.

Prima igitur caussa censetur esse ualor pecuniarũ, qui solet a mercatoribus mutari. Est ergo difficultas, an ualor legalis pecuniæ ratione distantiæ locorum mutari possit. Syluester, Caietanus, Sotus, Nauarrus affirmant. Alii, in quibus Medina, & antiquiores negant, cui opinioni hæ fauent rationes.

Primo, pretium legale in aliis rebus a lege statutũ mutari non potest pro uoluntate singulorum hominũ, igitur nec pecuniæ ualor: & ut mensuræ a rep. statutæ

sunt

ſunt inuariabiles, ita & nummus, qui eſt omnium rerum menſura.

Secundo, ſi id liceret, alia eſſent in rep. ſcutata campſorum, alia aliorum hominum, quod omnino abſurdum uidetur. Immo inter ipſos mercatores, aliud eſſet ſcutatum campſorum in cambiis exercendis; aliud uero in aliis contractibus, quod a ratione penitus alienū eſſe uidetur.

Præterea, ſequeretur tot eſſe ſcutatorum varietates, quot ſunt ciuitates & loca. Quare tanti ualere debet pecunia, quanti ualet ſecundum legalem ualorem loci in quo datur.

Nec ualet, ſi dicas mutari ualorem pecuniæ ratione materiæ: quia non tranſmutatur, ut metallum eſt, ſed ut pecunia, ut omnes fatentur. Adde, quod ſub ratione metalli, ubique idem fere habet pretium: unde non poſſet tantum augeri, quantum Campſores augent: & ſaltem in recambio campſor nihil poſſet lucrari, ſed potius aliquid perderet.

Si dicas, poſſe augeri ratione caritatis pecuniarum; contra: primum, quia pretium eſt taxatum ſimpliciter ſine ullo reſpectu abundantię uel penurię pecuniarum: deinde, quia apud alios ob hanc cauſſam non uariatur, ergo neque apud campſores uariari debet: apud quos nunquam decreſcit, ſed plerunque augetur.

Quod ſi dicas, reſp. permittit; concederem ita eſſe, propter campſorum malitiam; quia homines non poſſent habere pecunias. Neque eſt par ratio, ſi dicas, non eſſe taxatum ratione uſus, & locationis; quia in locatione non transfertur dominium, ut fit in cambio. Atque hactenus de iſta cauſſa.

Secunda cauſſa, an ratione diuerſi ualoris pecuniarum, & certæ montæ in diuerſis locis, liceat in cambio plus accipere: ut ſi Venetijs acciperetur ſcutatum, quod ualet octo, liceret idem alibi accipere, ubi ualeret decem. Quæ cauſſa quibuſdam non uidetur iuſta, & ſufficiens ad hoc, ut campſori plus accipere liceat: ſed tan-

tum debet accipere, quantum dedit.

Primum, quia non seruatur iustitia commutatiua, quæ requirit, ut tantum quis recipiat, quantum dedit, & contra; cum in hoc sita eius sit natura, nimirum; ut seruetur ęqualitas, quam ipsi non seruant in recambio, in quo perdere deberent pecuniam minoris ualoris recipiendo.

Deinde, quod campsores hanc caussam non penitus obseruent, ex eo patet, quod cum monetarum excessus non sit magnus, ipsi tamen multo plus accipiunt: adde etiam, quod eodem manente pecuniarum ualore, aliquando plus, aliquando minus accipiunt.

Sed peteres, qua ratione deberet fieri ista æqualitas; dicerem posse fieri pecunijs, quarum ualor esset æqualis, ut si nummorũ aureorum ualor; sit inęqualis, fiat nummis argenteis: posset etiam fieri mercibus: & tandem in ualore eiusdem monetæ, minus accipiendo.

Tertia caussa, ea est, quia campsores ijs pecunijs, quas hoc loco dant, possent plures emere merces, qua ratione plus lucrarentur: quare eorum pecunia considerata in ordinẽ ad merces, pluris ualere uidetur; & propterea dicunt campsorum scutatum plus ualere, quam aliorum: de qua caussa duo dico.

Primum dictum, hæc caussa non uidetur sufficiens.

Primum, quia nunquam mutatur rei ualor propter ea, quæ per accidens se se habent ad ipsam: at posse emere, & non emere merces se habet per accidens ad ualorem pecuniæ, igitur.

Deinde, eadem ratione possent se tueri usurarii: etenim quotidie mutantur mercium pretia: & ita cum res uilius uenduntur, liceret eis dare pecunias aliquid accipiendo ratione mercium, quas ipsi possent emere.

Adde, quod emere plures merces suis pecuniis, est propria utilitas; quæ in contractu, in quo transfertur dominium, non potest esse, ut supra docuimus, ratio maioris pretii: ut omittam, quod in recambio non lucrarentur, & tamen lucrantur.

Secundum dictum, ob hanc caussam solum liceret aliquid accipere ratione lucri cessantis,& damni emergentis,sed hęc ratio,ut patet,non est cambij propria.

Quarta caussa est copia,& inopia pecuniarum: quæ caussa ex duplici capite oriri potest:primo, quando est caritas simpliciter in aliquo loco pecuniarum,quæ alibi sunt in magna copia: deinde, cum adest multitudo eorum qui pecunias quærunt, & pauci adsunt campsores,qui eas dent.Quidam approbant hanc caussam, ob caritatem simpliciter;alii ob caritatem ex secundo capite natam;de qua re nos ita statuimus.

Primum dictum, copia & inopia pecuniarum simpliciter considerata, remota lege, facit maiorem,uel minorem ualorem pecuniarum.Nam,ubi est paucitas pecuniæ uilius omnia emuntur, & sic pecunia plus æstimatur: & potius aliquis uellet habere centum scutata in loco,ubi est caritas pecunię, quam alibi centum, & uiginti.

Secundum dictum, ratione legis,non potest mutari ualor pecuniarum ob copiam,uel inopiam. Patet a simili de aliis rebus, in quibus statutum est certum pretium.

Tertium dictum, ratione copiæ uel inopiæ pecuniarum simpliciter, campsores iniuste lucratur. Primum quoniam in recambio deberent perdere, quod non faciunt: & nunquam est tanta caritas, ut possent tantum lucrari,quantum lucrantur: & quod nihil de copia uel inopia cogitent,ex eo patet,quia semper lucrari uolũt. Deinde ob hanc caussam etiam usurarii possent lucrari dando pecunias eo tempore quo magna esset pecuniarum caritas: quod si dicas usurarius non habet suas pecunias expositas negociationi; hoc est dicere, solum licere aliquid recipere ratione lucri cessantis, quod conceditur.

Quartum dictum, multominus hæc caussa habet uim,cum caritas oritur ex secundo capite, quod dixerim contra Medinam. Primum,quia si non uariat cari-

tas simpliciter; ergo neque ista, quę est accidentaria. Deinde, emptorum multitudo non uariat pretium legale in aliis rebus, ergo nec in pecuniis.

Postremo, eadem ratione usurario lucrari liceret, cũ essent plures, qui pecunias peterent. Vt omittam, quod ista caritas sæpe oritur ex manopolio, a campsoribus facto, non ex frequentia petentium.

Quincta caussa, absentia pecuniæ, cum pecunia pręsens, quam dat campsor pluris ualere debeat, quam pęcunia absens, quam recipit. Quæ caussa Syluestro, Caietano, Nauarro, & Boninsegnio placet: Soto uero & Medinæ minime, nos ita de hac caussa statuimus.

Primum dictum, si res secundum se consideretur, & pretium legitimum attendatur, non ualet plus pecunia pręsens, quam remota.

Primo, quia absens eadem est cum remota; & distantia absentiaque rei, ex se, non augent pretium.

Secundo, quia ualor rei non pendet ex hoc, quod quis uellet eam habere hoc, uel illo in loco: cum eadem pecunia possit esse magis utilis hic, quam alibi; & unus uellet eam habere in uno, alius in alio loco: ergo impertinens est absentia, uel pręsentia, quod attinet ad ualorem.

Tertio, sequeretur, quod etiam per pręsentiam, & absentiam temporis deberet augeri pretium, quod est usuræ proprium.

Secundum dictum, ob aliquam rationem extrinsecam potest pręsens pecunia plus ualere, quam absens. Vt si pecunia quę est alibi, mihi esset inutilis: si transferenda esset cum expensis & periculo, &cet. sed hæc, ut dixi, sunt accidentaria.

Tertium dictum, certum est campsores ex hac caussa non posse aliquid lucrari.

Primo, quia ista caussa uidetur communis tam mercatori, quam campsori: & ita, ut mercator dat aliquid pro præsenti pecunia, quam accipit: ita ei liceret aliquid accipere cum dat pręsentem, & accipit absentem.

Deinde, quoniam ista absentia est ficta, cum capsores ubique habeant suas pecunias præsentes, & suos ministros.

Præterea, si attendunt hanc absentiam, cur in eadem locorum distantia non eodem pretio cambiunt? Solent enim, si uerbi gratia, dent pecunias Venetijs, soluendas Romæ, & Romę, ut soluantur Venetijs, non idem pretium in utroque cambio exigere. Adde, quod etiam usurarius posset lucrari ratione absentiæ temporis.

Denique, omnis commutatio debet fieri secundum iustitiam commutatiuam, pro ratione loci, ubi fit, & pro ualore rei, qua fit, ut Arist. libro 5. ethico docet: quare, si quid amplius accipiatur, iniuste accipitur.

Solent respondere, licere aliquid accipere caussa translationis pecuniæ, quæ translatio est æstimabilis ratione expensarum, laborum, periculorum, &cæt. Verũ hæc responsio non uidetur sufficiens; quia in cambio transfertur dominium pecuniæ, in eum, cui datur: & ita non fit uera translatio, sed quod datur in uno loco recipitur alibi per commutationem, quæ ęqualitatẽ requirit: quare ratione huius contractus nihil recipere licet. Itaque labores, & alia omnia per accidens se habent ad excusandum contractum ab usura, quando transfertur rei dominium.

Sit aliquis, qui habeat oleum Neapoli, & uelit illud transferre Venetias: si ciuis Venetus illud emeret Neapoli, non posset aliquid recipere aut uilius emere, quam ibi ualeat, quamuis ipse faciat sumptus, quos uẽditor fecisset; qui non sine impensis illud Venetias transtulisset. Quare, cum transfertur dominium non potest æstimari contrahentium utilitas.

Similiter, si essent duo ciues diuites, unus Venetus, alter Lugdunensis, qui Venetijs uellent inter se commutare pecunias, non possent aliquid ratione huius commutationis accipere: igitur nec campsores.

Cum ergo istæ caussæ non uideantur idoneæ ad excusandos campsores, peteret aliquis, an aliqua ratione

ne pro hoc munere aliquid eis ultra sortem accipere liceat? cui petitioni satisfaciam, quibusdam dictis; si prius admonuero in cambio nos posse duo considerare: quorum primum est, res ipsa cuius caussa fit hic cõtractus, seu id quod datur & accipitur: alterum est actio quæ intercedit in hoc contractu, quæ duplex est: altera intrinseca, ut pecuniæ enumeratio, & cæter. altera extrinseca, ut pecuniarum præparatio, conseruatio, & cæt.

Primum dictum, si spectemus rem ipsam, seu contracti huius substantiam, campsor nihil accipere potest: sed quantum accipit, tantum debet dare, & contra.

Secundum dictum, si spectemus actionem essentialem, ut est enumeratio & receptio pecuniarum, horũ caussa nihil potest recipi, quoniam ista sunt connexæ cum re ipsa, & non habent distinctum ualorem.

Tertium dictum, si consideremus actiones extrinsecas antecedentes, & consequentes, ut sunt officium, pecuniarum congregatio, conseruatio, ministri, labores, & cæt. ob hanc rationem campsor aliquid accipere potest. Quoniam, si pro his non solueretur aliquod pretium, non posset in communem utilitatem hoc munus exercere. Adde quod ista omnia sunt pecunia æstimabilia. Confirmatur, si officium esset a rep. institutum, liceret aliquid accipere, igitur. Huc pertinent etiam quæ diximus pro iustitia montis pietatis, & cambij minuti. Quoniam hoc etiam cambium per literas est in rep. ualde utile & necessarium: sed peteres, quantum possunt lucrari.

Quartum dictum, nihil possunt lucrari ob caussas iam confutatas: deberent lucrari minus quam mercatores, cum mercatura sit magis necessaria, & pluribus laboribus, & expensis exposita; & ars campsoria sit inuenta ob mercaturam: tantum possunt lucrari, quantum daretur a repu. alicui, qui hoc munus exerceret: unde expediret, ut pretium a rep. taxaretur: denique tantum licet lucrari, quantum labores, indu-

ctria,& expensæ mererentur,arbitrio boni uiri cessante omni fraude.

Denique,ut huic disputationi,de qua integer potuisset fieri tractatus,finem imponam, addam uerbum de cambijs,ut modo fiunt,& ut sunt in praxi.

Primum,cambia ut nunc fiunt, non uidentur utilia reip.quia per ea magnum damnum recipit mercatura,cum minus exerceatur,& ita multæ artes nō uigēt, & pauperes non habent unde uiuant, dum homines sine labore per cambia lucrari uolunt.

Deinde,cambia, ut nunc sunt in usu, maximas iniquitates continent,quia campsores arbitrantur se posse lucrari ob caussas falsas,quas supra confutauimus. Neque possunt saluari per hoc,quod hic sit cōtractus emptionis & uenditionis, quia re uera nulla est uenditio,seu res,quæ uendatur:ut omittam quod ista uenditio damnaretur per cap.Nauiganti de usuris. Neq. similiter excusari possunt per contractum permutationis,quia semper recipitur pecunia,quæ datur. Pius ét V.in quadā Bulla damnauit cambium quod fit in eodem loco:quod isti faciunt. Neque possunt excusari ratione lucri cessantis,quia libere dant has pecunias,sine ulla contentione eius,qui accipit. Et pro sua uoluntate cambiunt, & cessant a cambiendo. Quod si dicas Pium V.approbasse cambia cum quibusdam conditionibus,ergo illa erunt licita.Respondeo,hunc Pontificem solum exposuisse quędam cambia ob quasdam conditiones esse illicita; ut, quando non dantur literæ,uel non mittuntur: & cum fit solutio in eodem loco, quando in tempore assignando non habetur ratio distantiæ loci,quando differtur tempus, pretio aliquo recepto,& ob nonnullas alias:sed non dixit esse licita, quæ his conditionibus uacant. Ea igitur censeri possunt licita,quæ non habent conditiones damnatas ab hoc Pontifice,non propter caussas,quas ipsi assignant, sed propter eam,quam nos assignauimus.

Ex his quæ hactenus a nobis de hoc cambiendi ge-

nere dicta sunt, colligere licet, multos casus, quos Summistæ probare in hac materia uidentur, non esse probandos, de quibus lege Syl.uer.usur.5.quæst.8. Nos priuatos casus, cum uniuerse doctrinam tradamus, silentio præterimus: de quibus tamen ex dictis facile erit iudicare. Si cui, quę nos de cambiorum consuetudine & caussis, diximus minime placerent, uelletq. campsores excusare, is caussas quas confutauimus defendat, & ab iniustitia uindicet. Et hæc de cambijs uniuerse summatim que huc attulisse sufficiat: nunc eadem breuitate, de restitutione eorum, quæ acquiruntur per Simoniam agamus.

De restitutione facienda ratione simoniæ.
Quæstio L X.

VT facilius explicentur & intelligantur, quæ de restitutione facienda ratione simoniæ dicenda sunt, prius quid, & quotuplex sit simonia nobis exponendum est. Quod ad primum attinet, hunc in modum simoniam describeres.

Simonia est studiosa uoluntas contrectandi pretio rem spiritualem: quam definitionem per singulas particulas discurrendo, breuiter exponam.

Dicitur studiosa uoluntas, idest actus spontaneus uoluntatis, quo homo sciens & uolens aliquid facit, quæ duæ conditiones ad actum humanum constituendum sunt necessariæ.

Dicitur, contrectandi, hoc est, emendi, uel uendendi est enim simonia quidam contractus, sed tamen, ut statim dicam, prohibitus.

Dicitur, rem spiritualem, ut demonstretur materia in qua iste contractus uersatur.

Nomine autem rei spiritualis non intelligitur quæcunque res spiritualis, sed bona spiritualia diuinitus nobis data, quæ ad consecutionem bonorum super naturalium conferunt: & quæ ordinantur in Deum, ut est

saluti

ſalutis æternæ : autor: ut ſunt ſacramentorum, admini-ſtratio, & omnes actus proficiſcentes a poteſtate diuini-tus ad hominùm ſalùtem, gratis a Spiritu ſancto data.

Quarum rerum aliæ dicuntur ſpiritualis in ſe, ut ſunt uirtutes, & dona diuinitus infuſa, & uirtutum ope-ra: aliæ cauſaliter, quia ſunt cauſſa rerum ſpiritualium, ut ſacramenta, & ſacramentalia: aliæ effectualiter, quia ſunt effectus alicuius poteſtatis ſpiritualis, ut diſpenſa-tiones in uotis, & iuramentis, & excommunicationes: aliæ ſunt ſpiritualibus annexæ, ut beneficia, redditus eccleſiaſtici, & harum ſimiles: aliæ denique præparato-riæ, quę ordinantur ad rerum ſpiritualium adminiſtra-tionem, ut ueſtes ſacræ, ſacra uaſa, templa Deo dicata, & ſimilia. Hæc igitur contrectare, hoc eſt emere & uen-dere, eſt ſimonia.

Dicitur, pretio, quia non eſt perfecta ſimonia, niſi in-tercedat pretium datum pro re ſpirituali. Siue ſit pre-tium muneris, ut eſt pretium pecuniæ, & eius rei, quæ pecunia æſtimari poteſt: ſiue linguæ, ut eſt laus & adu-latio; ſiue famulatus. Solent quidam Canoniſtæ addere quandam particulam in definitione ſimoniæ, ut exclu-dant eam, quæ eſt in mente, cum tamen ueram habeat ſimoniæ rationem.

Ad cognoſcẽdum, regula generali, quando hoc com-mittatur peccatum, obſeruandum eſt, in ſimonia tria in-tercedere, nimirum rem ſpiritualem, rem temporalem, & ut una detur pro alia, non per modum ſuſtentatio-nis eius, qui rem ſpiritualem exhibet, uel per modum eleemoſynæ ſeu oblationis, quæ fit Deo, aut gratitudi-nis, ſed per modum pretij: ubi cauendum eſt, ne grati-tudo, pretij ſpeciem gerat.

Hoc uitium ex genere ſuo eſt peccatum mortale, pro-hibitum iure naturali, diuino & humano: quod ius po-teſt aliquam rem ſpiritualem conſtituere, & ita facere peccatum aliquod ſimoniæ, quod ſit ſolum contra ius poſitiuum. Poteſt enim eccleſia conſtituere ſacramen-talia, & eorum uenditionem prohibere.

Simoniæ species tres assignari solent.

Prima, quæ dicitur mentalis, quæ est duplex; altera quando sola mente & animo aliquis intendit rem spiritualem pretio uendere, uel emere, ita ut nullus actus exterior appareat: altera, quando aliquo pacto deducta est ad exteriorem actum, sed non intercedit pactum explicitum, uel implicitum: ut si quis inseruiret Episcopo in hunc finem, ut ipsi daret beneficium; quod postea re ipsa recipit; sed qui dat, nô hac intẽtione dat.

Secunda, quæ uocatur realis, quando intercedit pretium ex pacto explicito, uel implicito: ut quando dicitur, accipe hoc gratis, quod tamen loco pretij datur: sed tunc est simonia realis consummata, quãdo ex utraque parte intercedit actus dandi & recipiendi pretium pro re spirituali. Quo fit, ut ad simoniam realem perfectam duo sint necessaria, pretium nimirum, & actus ex utraque parte.

Tertia, quæ conuentionalis nominatur, cum intercedit pactum, sed non dum est consumatum: sed uel est pactum nudum, uel datum est pretium, sed non est tradita res spiritualis: uel data est res spiritualis, sed non est acceptum pretium.

Explicata natura, ac speciebus simoniæ, nunc quibusdam dictis uniuerse docebo, quando, & quibus in rebus hoc peccatum committatur percurrendo per illa quatuor rerum spiritualium genera superius numerata.

Primum dictum, bona spiritualia humano studio acquisita, ut sunt scientiarum habitus, non sunt materia simoniæ. Quoniam, cum in scripturis damnatur simoniȩ nitium, semper fit mentio de donis gratis a Spiritusancto datis, non de naturaliter acquisitis.

Secundum dictum, ista spiritualia bona uendi non possunt. Si quidem omne aurum arena est exigua, si cũ sapientia comparetur, ut. Sapiens cap. 7. ait, Adde, quod eorum dominium transferri nequit.

Tertium dictum, actus uirtutum, ex se, non sunt uendibiles, hoc est orationis, ieiunia, peregrinationes, & id

genus

genus alia opera, uendi non possunt. Ita Sylu.uer.Simon. & patet ex superiori dicto.Possunt tamen ista opera sine simoniæ peccato commutari, ut Sotus lib. 9. de iust.& iur.quæst.5.scribit,licet Conrad.sine ratione, aliter senserit:& in toto iure canonico non reperitur talis commutatio prohibita.

Quartum dictum, tam actus uirtutum, quam scientiarum, ex accidenti,& ab extrinseco sunt uendibiles, ratione laborum,expensarum, temporis, &cæt. Quare Theologiæ & sacrorum canonum lectio, sine peccato simoniæ, quidquid aliqui dixerint,uendi potest.

Quintum dictum, res spirituales quæ a solo Deo donantur, ut sunt omnia Spiritussancti charismata, gratum facientia, & quæ gratis data nuncupantur, uendi non possunt: similiter nec administrationes rerum sacrarum, quæ ad bona spiritualia consequenda ordinantur; ut sunt sacramentorum, & sacramentalium functiones.Est communis doctrina,& qui pro his ex pacto pretium reciperet, simoniam committeret.

Sextum dictum,pro administratione sacramẽtorum, licet aliquid recipere sustentationis caussa; idem dicas de quacunq; alia functione. Est enim operarius dignus mercede sua,Lucæ x.& qui seminãt spiritualia,posſũt, hac de caussa,colligere temporalia.Et denique,non est alligandum os boui trituranti.

Septimum dictum,pro labore extrinseco, & accidente in administratione sacramentorum potest sine simonia aliquod recipi pretium. Declaro,in administratione sacramenti est quidam labor intrinsecus, qui necessario functionem ipsam comitatur, ut in audiendis confessionibus patet: & ratione huius laboris nihil licet accipere, cum sit necessario cum ipsa administratione coniunctus:alter extrinsecus;ut si caussa administrandi sacramenti ad aliquem remotum locum proficisci oporteret, & necessarius esset equus,uel aliqua impensa esset facienda, aut extraordinarius labor suscipiendus,& tunc pro hoc labore liceret pretium accipere. Ita da-

nus Thomas quolib 3.q. 6.art.2. & Sotus li.9.de iust.& iure,quæst.6.art.1.

Octauum dictum, potest exigi aliquod pretium ratione obligationis, pro administratione rerum sacrarum. Ita Caietan.in summa, uerbo Simon.Glos.cap.significatum de præbendis,in uerbo,Ita quod. Vt si quis obligaret se pro anno ad dicendam missam: quoniam in hoc casu,non uenditur res spiritualis, sed solum libertas,quæ est uenditionis capax.

Nonum dictum, potest minister pacisci de pretio sibi ad sustentationem necessario, etiam si sit diues, & possit uiuere ex suo. Doctrina est Soti,Nauarri, & Caietani, qui tamen negat id licere,ei qui potest ex suo uiuere:cuius opinio posset habere locum ratione scandali:& multo magis,si quis haberet alia bona ecclesiastica,& beneficia simplicia,qui ab ijs qui sunt eiusdem loci non posset ex pacto recipere aliquid per modum sustentationis,cũ iam ex bonis ecclesię habeat unde uiuat.

Huc facit,quod concilium Tridentinum sess.21. cap. 1. statuit,ne pro collatione ordinum, nec pro literis dimissorijs, nec pro sigillo,nec alia quacunque de caussa Episcopi & alij ordinũ collatores, aut eorum ministri, quouis prætextu aliquid accipiant. Notarij uero, ubi non uiget consuetudo nihil accipiendi,solum pro literis dimissorijs, decimam aurei partem possunt recipere,ni habeãt ab Episcopo salarium: Vnde episcopo nullo modo aliquid utilitatis prouenire potest. Vbi annullantur omnes consuetudines, seu potius abusus simoniacę corruptelæ fauentes.Cum ergo Episcopi habeant unde uiuant, non debent pro his actibus aliquid recipere.

Posset tamen aliquid accipi gratis, uel per modum eleemosynę,& ratione laudabilis consuetudinis, ca. ad apostolicam, de Simon.Quod diximus de administratione sacramentorum, intellige etiam de administratione sacramentalium, ut benedictionum,exorcismorum,& cęt.

Decimum dictum, ad redimendam uexationem, licet emere administrationem sacramenti, cum id est ad salutem necessarium; idque cum quis habet ius ad petendum. Quoniam non est emere sacramentum, sed liberare se ab iniustitia.

Ad redimendam autem uexationem in beneficio, si quis habeat ius acquisitum, licet offerre pretium, cap. dilectus, primo, de simon. secus si non habeat ius, capit. Matthęus, eodem. Idem dicas pro possessione pacifica, tam respectu eius qui debet conferre, quam tertię personę, modo constet de iniustitia. Similiter dare aliquid ad fugiēdam iniquam electionem, non est simonia: nō tamen ad hoc, ut eligatur dignior, uel dignus, uel ipsemet, qui dat: quia nō habetur ius in beneficium: & ideo daretur aliquid pro re spirituali obtinenda.

Vndecimum dictū, pro actionibus spiritualibus, quę habent annexum aliquid temporale, licet accipere aliquid ratione illius quod habent temporalis, pro eo nimirum, quod additur simplici operationi. Vt pro missa cum maiore pompa canenda, pro exequijs, & sepultura mortuorum, ratione maioris apparatus: idque etiam ex pacto. Quod attinet ad consuetudines introductas in his actibus, lege conc. Trident. ses. 24. cap. 14. de reform. ad quas seruandas possunt cogi laici, si sint longo tempore pręscriptę, laudabiles, in bonum finem institutæ si sine scandalo seruentur, & id antequam opus fiat.

Duodecimum dictum, pro actionibus proficiscentibus ab iurisdictione, ut sunt compositiones, absolutiones ab excommunicatione, dispensationes, &cæt. non licet aliquid accipere, cap. ad aures, de simon. Conc. Trident. ses. 25. cap. 18. & ses. 24. cap. 5. Quod si dicas solere pro his aliquid accipi, pręsertim in Romana curia, dico id quod accipitur, accipi per modum compositionis, & pœnę, ac etiam sustentationis: neque curia Romana tenetur ad seruandam hac in re Concilij Triden. constitutionem, qua compositiones prohibentur.

Decimumtertium dictum, pro ingressu religionis, nō

licet aliquid accipere, nisi ratione sustentationis; & oneris, etiam cum pacto, & etiam si monasterium sit diues. Quamuis in tali casu in foro exteriori præsumeretur simonia, uel saltem auaritiæ crimen.

Decimumquartum dictum, res sacræ, ut sunt uasa, & alia instrumenta ad cultum sacrum destinata, ratione materiæ, non tamen ratione consecrationis uendi possunt: ac etiam in profanos usus conuerti, modo aliquo pacto eorum immutetur forma. Doctrina est manifesta, & communis. Quæ deinceps afferentur dicta, pertinebunt ad simoniam, quæ potest contingere circa beneficia, in his quattuor actibus, uenditione & emptione, commutatione, resignatione, & locatione.

Decimumquintum dictum, beneficiorũ uenditio est simonia iure humano prohibita. Venditur enim ius ad exigendos fructus ecclesiasticos, qui sunt cum sacro officio annexi. Ita Armacanus, Adrianus, Paludanus, Franciscus Victoria & alij. Potest tamen Pontifex ex caussa separare ius percipiẽdi fructus a beneficio, & dare pẽsiones & decimas secularib. & eas sibi reseruare.

Decimumsextum dictum, pro actionibus per se ordinatis ad beneficium obtinendum, aliquid accipere, est simonia; ut pro electione, præsentatione, & redemptione ante beneficij possessionem; similiter emere ius ad beneficium obtinendum, ut si quis emeret regressum, & cæt.

Decimumseptimum dictum, beneficiorum permutatio non est prohibita nisi iure humano, ca. Quæsitũ, & cap. unic. lib. 6. de rerum permutat. sed si congruenter fiat, non erit simonia. Tabiena duas conditiones requirit: Quarum prima est, ut fiat auctoritate eius, qui potest beneficium conferre: altera, ut non intercedat res, seu pretium temporale: unde permutare beneficium cum re temporali, & cum pensione, quæ maiore ex parte est temporalis, esset simonia. Quando autem beneficia essent imparia, liceret per pensionis solutionem constituere æqualitatem. Verum, cum permuta-

tio

tio fit auctoritate ordinarij, non potest constitui pensio, aut reseruatio fructuum, sine auctoritate Papæ, vt habet stylus curiæ.

Decimumoctauum dictum, resignatio beneficij nõ potest fieri auctoritate propria, & si fiat nulla est collatio; unde fieri debet in manu Pontificis, uel alterius eius personam gerentis. Potest autem fieri in fauorẽ alterius nominando illum, cuius petitio una cum resignatione præsentari debet: ita tamen, ut iste recipiat, & alteri dare non licet. Quæ resignatio ex Bulla Pij V. non potest fieri in manu ordinarij.

Sunt etiam multæ aliæ resignationes prohibitæ, de quibus lege concil. Trident. ses. 25. cap. 7. & 15. Vt cũ fit resignatio filijs presbyterorum, cum regressu, cum obligatione dandi pensionem, cum confidentia, cum scilicet renuntiatur alicui, de quo habetur fiducia, fore ut resignet alteri, ad eius qui resignat uoluntatem. Tunc autem censetur confidentia prohibita, quando intercedit expressum, uel tacitum pactum.

Decimumnonum dictum, pensionis redemptio non potest fieri auctoritate propria, sed auctoritate Pontificis, qui tamen propria auctoritate redimeret, non esset simoniacus: de cuius pensionis redemptione, non potest fieri pactio ante collationem, uel in ipsa colatione. Licet tamen accipere beneficium cum pensione, animo redimendi eam.

Vigesimum dictum, locare potestatem iurisdictionis, ut excommunicandi, conferendi sacramenta, &c. est simonia. Ita Concil. Trident. ses. 25. cap. 11. At uero locare solos fructus ex huiusmodi potestate prouenientes, non esset simonia: non careret tamen indecentia, si presertim laicis locaretur. Similiter licet locare fructus beneficiorum, si locatio fiat secundum iura. De qua re extat extrauag. ambitiose, & Bulla Pauli 4. Sed est dubium, an sit in usu. Attendenda igitur est cõsuetudo quod attinet ad tempus, per quod fieri possit locatio: super qua re duo statuit conc. Trid. ses. 25. c.

11. un-

21. vnde colligere licet Bullas illas non fuisse in vsu. Ex quib. intelligi potest, nō licere uendere officia quæ habent annexam iurisdictionē spiritualem, est enim simonia: ut est uicariatus.: similiter, nec iurispatronatus uendi potest.

Vigesimumprimum dictum, restitutio facienda ob crimen simoniæ, est pręcepta iure humano. Quoniā si esset præcepta iure diuino, fieri deberet ei, a quo acceptum est pretium: at fit pauperibus, ut per sacros canones, & communem sententiam patet, igitur. Adde etiā quod non fit nisi post sententiam latam: quod si esset de iure diuino, statim fieri deberet.

Vigesimumsecundum dictum, si per simoniam mētalem aliquid accipiatur, nulla est restitutio, aut resignatio facienda. Siquidem talis acceptio nullo iure est sub restitutionis pęna prohibita. c. ultimo de simo.

Vigesimumtertium dictum, conuentionalis ex neutra parte completa, non obligat ad restitutionem: quādo autem datum est temporale, & non est acceptum spirituale, fieri debet restitutio ei, qui dedit: quia conditione non completa, ut supra scripsimus, contractus uim non habet. Quando autem est completa ex parte eius qui dat spirituale, licet sit peccatum, tamen non est subiecta pœnis, tenetque collatio: ita habet curiæ stylus, ut scribit Gomesius. Quod autem attinet ad simoniam realem, quæ est, cum intercedit pactum expressum, uel tacitum, & est ex utraque parte completum, statuo hoc dictum.

Vigesimumquartum dictum, simoniacus realis tenetur restituere pretium acceptum, uel ecclesiæ, uel pauperibus, idque ex humano iure; & ad resignandū, & ad fructuum restitutionem: sed ante sententiam latam danti restituet. Qua facta, si postea intercedat sententia, erit de nouo ecclesiæ facienda, cap. De hoc autē, de simonia. quando autem dans ignorabat se simoniam committere, ei erit facienda. cap. veniens, de simonia. Qui autem simoniaci sint excommunicati con

stat

stat ex Bulla Pij V. de qua lege Nauar. cap. 23. nu. 111.

Vigesimumquinctum dictum, qui ignoranter accepti beneficium su per quo facta est simonia cum tertia persona, ut si pater per simoniam filio acquisiuisset beneficium, re cognita, tenetur resignare, & fructus restituere, in quib. factus est ditior. Lege Couar. in reg. peccat. par. 2. §. 8. num. 7. Quo loco animaduertendum est cum quibusdam, solum simoniam commissam in beneficijs, ordinibus, & in religione obligare ad restitutionem. Ita Panor. cap. ult. de sim. & Caiet. in summa uerb. excommun. cap. 27.

Atq. de hac re summatim hæc dixisse sufficiat, plura alias in integro opere de simonia, & beneficijs dicturus. Quod autem attinet ad eos qui impediunt beneficij consecutionem, aut in conferendo iustitiam non seruant, supra diximus.

Potuissem etiam hoc loco aliquid adijcere de restitutione facienda ab ijs, qui peccant contra cōstitutionem Bonifacij VIII. cap. excommunicamus, de excommunic. lib. 6. quam nuper Greg. 13. de datis & acceptis, innouauit, sed reijcio lectorē ad Nauarri hac de re commentarium. In qua constitutione grauissimis pœnis puniuntur, qui exercent actiones quasdā ab obtinendam gratiam, uel iustitiam apud sedē Apostolicam. inter alias pœnas est pœna restitutionis faciendę ab eo, qui istarum actionum caussa aliquid accepit, etiam ante latam sententiam. Sed de hac quæstione hæc dixisse sufficiat. Nunc aliquid priuatim de restitutione bonorum ecclesiasticorum, quæ interdum male a personis ecclesiasticis accipiuntur, uel retinentur, scribemus.

De

De restitutione facienda a personis ecclesiasticis. Quaestio. LXI.

INter cæteras personas, quæ priuatim solent esse subiectæ restitutioni, sunt clerici; tum ratione officij, quod exercere debent, tum ratione beneficiorum, quæ male obtinent, ac retinent, tum denique ratione bonorum, quæ non bene dispensant. Dicemus itaque primo de restitutione facienda ratione beneficij male obtenti, & fructuũ male perceptorũ: deinde quando, & qũo restituendũ sit, ob officiũ nõ recitatũ. De primo statuo hæc dicta.

Primum dictum, omnes qui sunt inhabiles ad beneficium recipiendum, si illud obtineant, sunt ad restitutionem obligati. Vt sunt omnes ante 14. annũ, ex Cõc. Trident. sess. 25. cap. 6. & ad curatum ante 25. & qui sine dispensatione accipit, restituere tenetur; & ad episcopatum ante 30. Sed non tenetur restituere. Item, illegitimi, irregulares, qui nõ habent tonsurã, simoniaci, qui inhabiles facti sunt ad omne beneficium a Pio V. hæretici, eorum filij, excommunicati, & horum similes, ut alias latius in materia de beneficijs demonstrabo. Cum itaque beneficiatus ad confessionem accesserit, qua ratione beneficium teneat, interrogandus erit.

Secundum dictum, qui accipiunt beneficium curatum animo non clericandi, peccant mortaliter, & ad fructus perceptos restituendos sunt obligati §. ceterũ, cap. commissa de celeb. missarũ, lib. 6. intelligitur hoc pro eo tempore, quo uoluntatem non habuerunt, uel mutauerunt. Quod autem attinet ad eum qui simplex eodem modo accepit beneficium, quamuis ratio idem dicendum esse suadere uideatur: tamen uiris doctis, & speciatim Nauarro, non placet hanc pœnalem constitutionem ad hos extendere, cum solum de curatis ibi sit sermo.

Tertium dictum, qui ficta sanctitate beneficium acqui-

quisiuit, modo sit dignus, non tenetur ad fructus restituendos: siquidem beneficij collatio, cum absolute conferatur, quamuis sanctitas moueat, tenet: ut supra diximus.

Quartũ dictũ, q beneficiũ iuste obtinuit, sed tamẽ per se non residet, si residentiã requirat, quã quod uis beneficium, cum aliquo officio connexum requirere uidetur, non facit fructus suos, ac proinde eos restituere tenetur: nec qui non resident excusantur, quod per suos uicarios administrent. Ita decretum est a concilio Tridentino, sess. 13. ca. 1. de reformatione. Vnde non est tenendum, quod olim Gabr. 4. sent. dist. 15. quæst. 8. art. 2. docuit.

Excipiuntur tamen Theologię doctores, qui publice in aliqua uniuersitate docent, & qui studij caussa absunt, cap. cum ex eo, de elect. lib. 6. & conc. Trident. Quoniam ecclesiæ negocium agere uidentur: & alij, qui ex aliqua iusta caussa, uel ex dispensatione nõ resident. Quæ autem sint caussæ non residendi, aut dispensandi in residentia, non est huius loci docere.

Quinctum dictum, qui habet plura beneficia sine dispensatione, uel cum dispensatione, sine caussa, etiamsi sint beneficia simplicia, cum unum sufficit ad conuenientem sustentationem, non est tutus in conscientia, & restituere tenetur. Nam cuique operario satis esse debet, quod est sibi ad suæ uitæ sustentationem necessariũ, cũ non possit plura exercere officia; nec impedire debeat quin alij habeant unde uiuant. Quæ autem cuique statui & gradui sint ad uitæ sustẽtationem necessaria, non est huius loci exponere, ij uideant, qui bonis a Christo suo sanguine, suę sponsæ acquisitis in delicijs uiuere uolunt. Vbi obiter adnotauerim, dispensationem super pluralitate beneficiorũ, continere etiam dispensationem de officio semel recitando. Quare, qui plura hoc pacto obtinet beneficia, nõ tenetur ad horas canonicas pluries recitãdas.

Sextum dictum, qui commisit crimen, quo ipso fa-

cto priuatur beneficio, si fructus percipiat, eos restituere tenetur.

Multa numerantur crimina & caussæ, ob quas, uel statim amittitur beneficium, uel saltem post sentétiam latam, & sunt fere hęc. Hęresis, schisma, crimen lęsæ maiestatis, simonia, sodomia, sed frequentata, Cardinalium percussio, idem intellige de Episcopo, & curato ubi comprehenduntur etiam iuuantes: homicidium qualificatum, falsarij literarum apostolicarum: qui per uim possessionem beneficij ingrediuntur: qui per uim aliquem ad resignandum cogunt: qui profitetur religionem, qui ipso iure amittit: qui existens in minoribus contrahit matrimonium, etiamsi nó sit consummatum, etiam si mulier ante consummationem ingrediatur religionem, etiamsi matrimonium non teneret; quo casu potius uidetur priuandus: curatus si per annum non promoueatur ad ordinem necessarium, ipso facto: quãdo curatus accipit aliud beneficium incompatibile, ipso facto; reliqui casus requirunt iudicis sententiam. Sunt preterea nonnulli alij casus in quibus post adeptum beneficiũ beneficiatus tenetur restituere fructus, quos quibusdam alijs dictis complectemur.

Septimum dictum, nemo tenetur fructus restituere, cum eos percipit in peccato mortali: quod dixerim, cótra quosdam qui aliter sentiunt. Quod nos affirmamus, pręter alios, docent Sylu. uer. rest. & Sotus. lib. 10. quæst. 5. artic. 7.

Octauum dictum, excommunicatus non potest percipere fructus pro eo tempore quo manet excommunicatus, cap. pastor. de appellat. neque est necesse ut hoc exprimatur in sententia excommunicationis, ut existimauit Gl. Intelligitur hæc doctrina de eo, qui est in mora in petenda absolutione.

Nonum dictum, qui est suspensus, non facit fructus suos, & ideo si percipiat, eos restituere debet: & ró est, quia non potest suum munus exercere, ratione suspensionis. Posset tamen percipere necessaria ad uictum, mo

do

do non ſtet per ipſum, quin abſoluatur. Quare, eſt uniuerſalis regula, ſuſpenſos non facere fructus ſuos, ut eſt fornicarius notorius, & qui uiuunt in aliis notorijs uitijs. Quod autem attinet ad reſtitutionem eorum qui impediunt beneficij conſecutionem & eorum qui conferunt, diximus ſupra quęſtione trigeſima.

Decimum dictum, probabilior, communior, & ſecurior eſt doctrina, ſi dicamus clericos beneficiatos eſſe obligatos ad reſtituendum bona eccleſiaſtica, quę poſt ſufficientem ſuſtentationem male diſpenſarunt. Ita Alex. Halens. Richar. Paludan. Ioã. Maior. Thomas vualdenſis Dionyſ. Carthuſianus, Caietan. Medina, Petrus a Soto, Gabriel, Angelus, Roſella, Driedo, Diuus Thomas, & alij. Licet Sotus, Abulenſis, Turrecrem. Marſil. Couar. & Bononienſes aliter ſentiant: de qua re alibi latius diſputabitur. Quare, de his hactenus. Nunc ad aliã partem huius quæſtionis accedamus. De reſtitutione facienda ratione prætermiſſi officij, ſeu horarum canonicarum, hæc alia ſtatuo dicta.

Vndecimum dictum, omnes beneficiati, qui poſt ſex menſes ab accepto beneficio non recitant officium, tenentur ad reſtitutionẽ, & præmiſſa admonitione, ſi non reſipiſcant, priuantur beneficio. Ita habetur determinatum in Concilio Lateran. Sub Leone 10. ſeſſ. 9. Quod ſi dubites de huius conſtitutionis obſeruatione, dicerem in primis multa quæ ibi ſtatuuntur ſeruari: deinde, innouata eſt a Pio V. Adde quod datur beneficium propter officium, & labores, igitur. Hæc doctrina intelligẽda eſt de omnibus beneficiatis, ſiue percipiant fructus, ſiue non, modo percipere poſſint.

Duodecimum dictum, iſta reſtitutio facienda eſt fabricę illius Eccleſię, in qua habetur beneficiũ, uel pauperibus. Verum, ſi ſint diſtributiones quotidianæ, quod reſtituitur, diſtribuendũ eſt inter participantes: & quando ſumuntur ex cõmuni maſſa, reſtitutio fit canonicis.

Decimumtertium dictum, iſta reſtitutio facienda eſt pro rata. Declaratur hoc dictum, ex Sot. lib. 10. de iuſt.

&

& uir. quęst. 5. ar. 6. si hi fructus capiebantur, non solum propter officium, sed etiam propter alia onera; uidendum est, quid pro rata oneri officij respondeat, & illud restituendum erit. Rursus uidendum est, quid respondeat singulis diebus, & postremo, quid singulis horis canonicis quas prętermisit. Quod si fortasse ipse qui restituturus est, esset pauper, posset sibi retinere, maxime cũ superioris licentia. Idem dicas de pensionarijs, qui tenentur recitare officium B. Mariæ, ex Bulla Pij V. Idem de illis, qui tenentur recitare horas in choro, & ibi non recitant; qui ijs qui adfuerunt restituere debent. Cap. 1. de Cleric. non resid. lib. 6.

Decimumquartum, quod diximus de beneficiatis, intelligendum est etiam de omnibus ministris, & administrationibus, pro quibus aliquid stipendij accipitur, nisi suis fugantur muneribus, qui pro rata restituere tenẽtur, ut sunt capellani, & ij, qui ad missam, uel epistolam canendam sunt obligati, & alij horum similes ministri. Vbi illud adnotauerim curatos, non solum pro horis, sed etiam pro sacrificiis prætermissis restitutioni esse obnoxios: quoties autem rem sacram facere debeant, non est huius loci exponere. Atque de his hactenus.

De iustitia causisque iusti belli. *Quæstio LXII.*

EX humanis negocijs nullum est fortasse, in quo conficiendo plura, & maiora inferantur hominibus damna, quam in bello: præsertim, cum uel regnandi cupiditas, uel furor arma ministrat: quo fit, ut inde maiores & plures ad restituendum obligationes nascantur. Quare nullo modo erit a nostro instituto alienum, si aliquid priuatim, de restitutione eorum, quę in bello acquiruntur, ea breuitate, quam nostra scribẽdi ratio postulat, scripserimus.

Duabus ergo quæstionibus, quæ dicturi sumus complectemur: in quarum prima de belli iustitia agetur, ex qua facile intelligi poterit, quis, & quando ex hac caus

sa restituere debeat: in altera, de rebus in bello captis restituendis disputabitur. Primam igitur aggredientes nonnullis conclusionibus belli iustitiam explicare conabimur, si prius quotuplex sit bellum docuerimus.

Bellum triplex est: defensiuum, offensiuum, siue uindicatiuum, & punitiuum. Defensiuum dicitur, quod cōtra iniustum aggressorem sui defendendi caussa suscipitur: offensiuum, seu vindicatiuum, quod ad acceptā iniuriam, & contumeliam uindicandam suscipitur: punitiuum uero, quod a principe suscipitur ad subditos alicuius facinoris reos puniendos. Multæ aliæ fieri possent belli diuisiones, quæ tamen ad rem nostram pertinent nihil. Bellum autem illud proprie dicitur, quod publica de caussa, & auctoritate publica suscipitur, de quo nos priuatim uerba facturi sumus.

Prima conclusio, bellum, ex se, non est malum: Conclusio est certa fide tenenda contra Manichęos, qui existimarunt bellare esse peccatum graue: ac proinde damnabant uetus testamentum, quod ibi narrentur gesta in bellis; in quo etiam errore fuit Vuiclefus, ut Thomas Vualdensis refert. Est etiam contra Erasmum, qui dixit, bellum, ex se, non esse licitum. Quorum errorem nolo hic pluribus confutare: cum hæc conclusio sit ita certa, ut etiam ex primis naturæ luminibus innotescat. Omnis enim lex, siue naturalis, siue diuina, siue humana docet, licere uim ui repellere: quod si id cuique priuato homini licet, licebit etiam toti communitati. Si bellum ex se non est licitum, cur laudantur in diuinis, tum antiquis, tum nouis literis, Ecclesiastici capit. 44. & ad Hæbreos, cap. 11. homines bellicis rebus illustres. Nec est uerum, quod Erasmus ait, in ueteri lege bella solum fuisse permissa, cum fuerint diuino mandato sæpissime suscepta: lege Gratianum caussa 23. quæstio. 1. & 2. per totas.

Secunda conclusio, Christianis licet bellū suscipere. Est de fide, contra Oecolampadium, qui concessit, Hebręis licitum fuisse pugnare, atqui Christianis licere

negauit. Omitto hic innumeras conciliorum & Patrum auctoritates, & proborum Imperatorum exempla, unica sufficiat ratio. Lex euangelica, nō destruit legem naturalem: at bellū ex lege naturæ est licitum, igitur. Ideo Ioannes Luc. 3. interrogatus a militibus, quid agere deberent, ut salutem consequi possent, non respondit, ut militandi artem desererent, sed ut suis essent stipendijs contenti. Lege Ioan. Arboreū lib. 2. cap. 14. suæ Theosophiæ, & Sixtum Sen. li. 6. suæ Bibliotechæ annot. 156. Albertum Pium, lib. 21.

Tertia conclusio, licet Christianis bellum gerere cōtra Turchas. Est conclusio fide tenenda contra Lutherum, qui hoc negauit contra quem errorem lege, quę docte & pie, doctrina & pietate illustris episcopus Rofensis, scripsit. Nam, si quod bellum omnes iustas caussas habet, hoc sane habet: quod non solum defensionis, sed etiam uindictæ caussa iuste suscipitur, cum per iniustitiam Christianorū imperium, Turcharum Rex occupauerit. Quo fit, ut non modo sit licitum, sed etiam necessarium, & ex iustitia suscipiendum.

Quarta conclusio, Bellum punitiuum iuste contra hęreticos suscipitur. Conclusio est fide tenenda, contra multos hæreticos, qui suam caussam agentes, contrium docēt. Lege Alphon. a Cast. de iusta hęret. punit. & lib. 2. contra hæres cap. 14. Patet ex Deut. cap. 13. ubi Dominus pręcipit fieri bellum atrox propter recessum a fide. Adde, quod isti sunt rebelles, quibus iure infertur bellum, ut constat ex 2. Reg. cap. 20. & 4. Reg. cap. 3. ut hic ommittam multas sanctorum patrum, & Conciliorum auctoritates.

Quincta conclusio, contra infideles, qui non sunt subiecti imperio Christianorum, non potest suscipi bellum, ut est punitiuum. Punitio enim pertinet ad eum, qui imperium in eos habet, quos punit. Quibus autem de caussis contra infideles bellum suscipere liceat, late disputari solet, de qua re maior, & longior est difficultas, quam hoc loco explicari possit, aut debeat.

Sexta

Sexta concluſio, ad iuſtum bellum gerendum quattuor requiruntur conditiones: auctoritas publica, can. quid culpatur, 23. quęſt. 1. iuſta cauſſa, ideſt ut ſuſcipiatur contra nocentes : ut indicatur, hoc eſt, ut mittantur legati, ad litem ſi fieri poteſt, ſine bello componendam: & recta bellandi intentio : addunt alij quinctam, ut in belli progreſſu iura belli ſeruentur: circa quas conditiones nonnulla breuiter adnotabimus.

Quod ergo ad primam conditionem attinet, requiritur ad iuſtum bellum publica auctoritas, quia eſt actus iuſtitiæ publicus. Eſt autem auctoritas duplex, altera primaria, ſumma, & independens: altera inferior, & ſubordinata, ut eſt illa, quæ poteſt confugere ad ſuperiorem; ut auctoritas alicuius principis, quæ eſt ſubordinata auctoritati Regis, ad quem eſt appellatio. Tunc, ſi loquamur de bello defenſiuo, cuique licet bellum gerere ad repellendum aggreſſorem, ſine ſuprema auctoritate: quoniam id eſt ex lege naturæ. At uero, ſi loquamur de bello uindictæ aut punitionis cauſſa ſuſcepto, ſine publica & ſumma auctoritate ſuſcipi non poteſt: ita ut nulla poteſtas, quæ ſuperiorem agnoſcit, poſſit huiuſmodi bellum ex ſe ſuſcipere. Ratio eſt manifeſta; quia bellum eſt actus iuſtitiæ publicus : igitur debet exerceri auctoritate publica.

Quando autem una ſuprema poteſtas, in aliam a qua accepit iniuriam bellum ſuſcipit, dicitur habere poteſtatem in illam; quæ ob illatam iniuriam quodam modo facta eſt ei inferior. Quo caſu ceſſat pronuntiatum illud, Par in parem poteſtatem, ſeu dominium non habet. Sunt tamen in Italia, & Germania quidam principes, qui ex conceſſione, uel conſuetudine habent, ut bellum offenſiuum ſua auctoritate ſuſcipere poſſint. Per publicam autem auctoritatem, non intelligo ſingulorum hominum alicuius ciuitatis, aut regni conſenſum, ſed eorum apud quos eſt immediata gubernandæ reip. aut regni poteſtas.

De ſecunda conditione, quę eſt, quod cauſſa ſit iuſta,

explicatur hæc conditio a diuo Thoma 22. q.40. artic. 1. ex doctrina Augustini. Belli caussa iusta ad duo capita reuocatur; quorum primum est, cum resp. uult puni re quod a suis iniuste actum est, contra aliam remp. siue populum. Exemplum habes, lib. Iudic. capi. 20. & 2. Reg. cap. 20. Alterum, cum aliqua resp. populusue non uult restituere, quod iniuste accepit, quo modo populus Christianus iuste contra Turchas bellum gerit. Et huc pertinet illa conditio, quā aliqui requirunt, quod bellum suscipiendum sit contra nocentes. Quare ob iustam punitionem, sui repetitionem, & innocentis defensionem bellum suscipere licebit. Neque quęcunque caussa ad bellum gerendum debet censeri sufficiens, nisi sit magna, & urgens, quia cum ex bello maxima oriantur mala, & incommoda, non iuste suscipitur, nisi ob grauiores caussas.

De tertia conditione, cum bellum sit ultimum remedium exequendę iustitiæ, antequam ad arma ueniatur, omnes tentandæ sunt faciliores uiæ: quare mittendi sunt legati ad componendas discordias, & ad repetendum quod iure petitur; quo negato, si nullum aliud est refugiū, licet ad arma uenire: ut aliquando filij Israel fecerunt.

De quarta, quæ rectam requirit intentionem, ut bellum non suscipiatur lucri caussa, non ad exercendam crudelitatem: quicunque enim uirtutis actus, ob malā uitiatur intentionem. Licet ergo bellum sit actus iustitiæ; tamen mala intentione susceptum, deprauari potest.

De quincta, quę requirit, ut in belli progressu iura belli seruentur ex utraque parte, hoc est, ut illa seruentur, quæ sunt de iure gentium: ut, gratia exempli, fides seruetur: ut legati sint impunes, &cæt. Quare decipere hostem uerbo mentiendo, aut facto promissum non seruando, non licet: potest tamen aliquid dici, aut fieri, unde per accidens hostis decipi possit, ut patet in stratagematis; ut 2.2. docet diuus Thomas.

Illud præterea circa has conditiones notandum occurrit, quod duæ sunt simpliciter necessariæ ad hoc, ut bellum sit iustum, idest ut non suscipiatur contra iustitiam, & non sit obligatio ad restitutionem, nimirum, ut fiat auctoritate, publica, & ex caussa, contra nocentes: aliæ uero requiruntur ad hoc, ut non sit peccatum: quãuis ex tertia etiam posset oriri obligatio ad restituendum, ut infra dicetur. Vt autem adhuc magis hæ iusti belli conditiones elucescant, quasdam circa eas dubitationes proponam, ac breuiter resoluam.

Prima dubitatio, an possit aliqua lege sanciri, ut belli inferendi potestas esset pęnes unum, ut pęnes Imperatorem, uel Pontificem: cui dubitationi satisfacio his dictis.

Primum dictum: talis lex fieri potest, ita ut nemini bellum inferre liceret, sine auctoritate alicuius supremæ potestatis, ut Pontificiæ, uel Imperatoriæ: Quæ lex non aboleret legem naturalem, sed eam limitaret.

Secundum dictum, talis lex, uel a summo Pontifice, uel a tota Ecclesia in aliquo Concilio constitui posset: Si quidem sacerdotalis potestas, in omni lege, semper statuit aliquid circa rationem uiuendi, & bonos mores; quo etiam Reges, & quæuis potestas humana obligaretur.

Tertium dictum, huiusmodi lex esset ualde utilis, & maxime rationi consentanea. Siquidem nemo in propria caussa est bonus iudex: & belli caussę sæpe sunt obscuræ; unde expediret, ut aliquis esset summus iudex, qui eas cognosceret.

Quartum dictum, hac facta lege, omnes inferiores tenerentur facultatem belli gerendi petere, & caussam proponere, qua existente dubia, posset bellum impediri, & standum esset iudicis iudicio: si uero esset manifeste iusta, suprema potestas facultatem dare deberet: qua negata, qui iuste bellum uult mouere, posset tute iure naturæ uti.

Secunda dubitatio, circa personam quæ bellum ge-

rit: an Christianus princeps possit auxilium petere a principe infideli ad bellum gerendum, contra principem fidelē. Ad hanc dubitationem respondeo his dictis.

Primum dictum, uti auxilio infidelium contra infideles, uel opem illis ferre contra alios infideles, ex se, non est illicitū. Quia bellū est de lege naturæ, sicuti & commercium: igitur in eo exercendo possunt fideles cum infidelibus uniri: cum lex Christiana non tollat quæ sunt de lege naturæ.

Secundum dictum, uti auxilio infidelium contra fideles, aut illis auxilium contra eosdem præstare, non est ex se malum. Ita Caietanus, Syluester, Ioan. Maior, Ban. & alij. Quoniam fieri potest, ut geratur bellum iustum: at iuuare ad actum iustitiæ non est malum: igitur peti, & dari potest huiusmodi auxilium. Dauid usus est auxilio infidelium contra Saulem: & Machabæi confederati erant cum Romanis: & Imperator utitur hæreticorum auxilio.

Tertium dictum, quamuis id, ex se, non sit malum; tamen moraliter loquendo, non fit sine peccato, cum talis actus facile uitiari possit, & ex his præcipue capitibus. Primo, ex scandalo, quod inde nascitur: secundo, quia infideles non præstant auxilium zelo iustitiæ: tertio, quia hac ratione debilitantur Christianorum, & infidelium augentur uires: quarto ex maximis damnis, quæ inde alij Christiani innocenter patiuntur. De hac dubitatione uide Abulēsem 1. Reg. ca. 28. quæst. 5. & ibi Lyranum.

Tertia dubitatio circa caussam, an pro caussa dubia possit inferri iustum bellum: huic dubitationi satisfaciam quibusdam dictis, si prius illud adnotauero, dubiam caussam se tripliciter habere posse. Primum, cum nulla est ratio, quæ in alteram partem assensum trahat: deinde cum ex utraque parte est probabilitas, sed minor ex una parte: postremo, cum ex una parte probabilitas præponderat.

Primum dictum, quando caussa est probabilis, licet

sit

fit dubia, bellum defensiuũ suscipi potest. Quoniã pos sidentis conditio, cæteris paribus, est multo melior.

Secundum dictum, bellum offensiuum seu uindicatiuum in causa dubia, & minus probabili, iure suscipi non potest. Ratio est manifesta, quia nemo debet puniri pro culpa incerta: neque enim suspendendus est is, de quo est dubium, an furtum fecerit.

Tertium dictum, bellũ offensiuum, quando caussa est probabilior, licet non sit certa, recte suscipi potest: unde petita satisfactione, si negetur, iure bellum indicitur. Cum in rebus moralibus satis sit probabilitas maior. Quare maior certitudo requiritur ad offensiuum, quam ad defensiuum.

Quarta dubitatio, an bellum possit esse ex utraq. parte iustum. Pro solutione nota, duobus modis bellũ posse censeri iniustum, primo, in se, absolute: secundo in hominum opinione, id est ex utraque parte bellãtium: hoc posito, dico tria.

Primum dictum, In re ipsa, bellum non potest esse iustum & iniustum: sunt enim ista contradictoria, quæ de eodem non possunt esse uera.

Secundum dictum, ut bellum est in hominum opinione, consideratum secundum suas caussas, potest censeri ex utraque parte iustum: quoniam utraque pars potest apprehendere suas rationes tanquam magis probabiles, cum sint magis cognitæ: sed semper expediret, vt alterius intercederet iudicium. Potest etiã esse iustum ex utraque parte, ea de caussa, quia ad defensionem satis est minor probabilitas, quæ maior esse debet in offensiuo.

Tertium dictum, communiter loquendo semper putandum est bellum ex altera parte esse iniustum. Quoniam caussæ non consistunt in indiuisibili, & ex altera parte semper, uel plures, uel maiores apparent.

Quincta dubitatio circa illam conditionem de legatis mittendis, de indicendo bello, an si bellum iustũ gerere uolenti offeratur idonea & iusta satisfactio, sit o-

bligatus eã acceptare, & a bello cessare. ad quam dubitationem respondet Caietanus in summa, uerbo, Bellum, sed non omnino bene, & plene. Vt autem huic dubitationi satisfiat, nota, bellum duplici de caussa suscipi potest: uno modo ob iniuriam iam illatam, & ob commissum crimen: altero modo ob aliam caussam, cũ qua non sit annexa iniuria, hac posita distinctione, affero hæc dicta.

Primum dictum, quando caussa ob quam illatum est bellum non contineret iniuriam, ut si caussa esset ciuilis, iusta & sufficienti proposita satisfactione, acceptari deberet, & ita bellum non esset inchoandũ, & iam susceptam, ponendum esset. Exempli gratia, si unus Princeps bona fide possideret aliquid ex territorio alterius, si iste, quæ occupauit restitueret, bellum non posset iuste suscipi, aut susceptum peragi; modo ille plene satisfaceret. Verum tamen est, quod si cum hac caussa aliqua etiam intercessisset iniuria, nõ teneretur desistere: ut si ille sæpius fuisset admonitus, ut occupata restitueret, & spreuisset. Hac autem iniuria remota, ratio cur bellum fieri nequeat, ea est; quia non intercederet crimen.

Secundum dictum, quando belli caussa esset criminosa, & iniuriam contineret, oblata satisfactione, non teneretur non suscipere, aut a suscepto cessare. Quoniam postquam reus commisit crimen, quacunque oblata satisfactione, non est obligatus iudex, ex iustitia, condonare pœnam.

Tertium dictum, in tali casu, ex caritate, & sub peccato mortali, teneretur, is qui bellum inferre uult, non suscipere: intellige quando daretur tanta satisfactio, quæ esset culpæ equiualens. Quoniam, cum sit resarcita æqualitas, & belli pœna sit grauissima, non posset salua caritate, talis pœna de eo, qui sic satisfacit, sumi.

Quartum dictum, in eodem casu, si bellum iam esset inchoatum, posset sine peccato perfici. Quoniã, talem meretur pœnam, qui noluit a principio satisfacere.

Sexta dubitatio, an in bello iuste suscepto liceat occidere innocentes, ut sunt pueri, & senes. Nota duobus modis potest aliquis occidi, uno modo directe, altero indirecte, & ex accidenti: rursus dupliciter idem potest fieri, uno modo ex diuina reuelatione & imperio: altero uero, ex mera uoluntate humana.

Primum dictum, innocentes ex reuelatione, seu iussu diuino occidi possunt. Ita aliquãdo factum fuisse in diuinis scripturis legimus.

Secundum dictum, non licet sine Dei iussu directe, & ex propria intentione in bello iusto occidere innocentes. Præceptum est Dei, Exod. 25. Deut. 25. Lege Abulen. Iud. cap. 28.

Tertium dictum, indirecte, & ex accidenti occidere innocentes in bello iusto non est peccatum. Vt si cum emittitur bombarda in hostes, & eos qui iniuste resistunt, etiam innocentes necarentur.

Quartum dictum, innocentes sine peccato, in captiuitatem redigi & suis bonis priuari possunt.

Sed dices, uidetur ab omni ratione alienum, ut quis puniatur sine culpa. Respondetur ex regula iuris lib. 6. neminem posse puniri ubi non est crimen, sine caussa; hic autem est caussa, ut scilicet; istis suis bonis & libertate spoliatis, qui iustum inflixit bellum, tuto deinceps uiuere possit. Rursus diceres, ergo etiam liceret hos innocentes occidere: negatur consequentia; quia illa tantum pœna de his sumi potest, qua illos respub. ad sui conseruationem afficere potuisset: potest autem resp. bonis, & libertate, non autem uita suos ciues, ad sui conseruationem priuare.

Septima dubitatio, an uiris ecclesiasticis liceat indicere, & parare bellum; huic dubitationi his dictis respondeo.

Primum dictum, uiris ecclesiasticis bellũ defensiuũ parare, & cogere, ex se, non est illicitum. Est enim hoc de lege naturæ; & confirmatur exemplo summorũ Pontificum qui aliquando bellum cogerunt.

Se-

Secundum dictum, non semper cum liceret seculari Principi bellum indicere, liceret etiam uiro ecclesiasti co: tum ob scandalum, tum ob indecentiam: ét denique, quia arma secularia, non sunt propria uiri ecclesiastici arma.

Tertium dictum, uiri ecclesiasticis interdum liceret etiam bellum offensiuum suscipere, immo aliquando etiam expediret. Quando autem expediret, aliorum prudentię relinquatur. Illud dixerim caussam debere esse urgentem, manifestissimam, ita ut omne remoueretur scandalum; nec esset aliquis secularis dux, cui hoc negocium demandari posset.

Octaua dubitatio, an sacerdos bellando incurrat irregularitatem.

Primum dictum, bellum uniuerse prohibitum est personis ecclesiasticis, 24. quęst. 8. per multos canones.

Secundum, si bellum sit offensiuum, si clericus neminem occidat, etiamsi alii occidant, non efficitur irregularis. Ita habetur cap. ult. & pen. de clerico percus.

Tertium, si bellum sit iniustum, & aliquis occidatur, etiã ab aliis, fieret irregularis. Vt habet Syluester, uerb. bellum. 3. §. 3

Quartum dictum, qui aliquem occidit ad suĩ defensionem, quando non potest aliter sibi consulere, non fit irregularis, licet Caietanus aliquando contra senserit. Ita habet Syl. uer. bellum 3. §. 2. Atque de his dubitationibus hactenus: quasdam alias afferã, quęstione sequenti, in qua priuatim de restitutione caussa belli facienda disputabo.

De restitutione eorum, quæ iniuste capiuntur in bello. Quæstio. LXIII.



EA omnia proxima disputatione explicuimus quæ ad belli iustitiam facere uidentur: quibus expositis, facile erit intelligere, quando ex bello restituendi oriatur necessitas: qua de re hac disputatione hoc ordine acturi sumus: primum

mum quaſdam concluſiones proponam: poſtea nonnullas dubitationes afferam,& diſſoluam. Antequam autem concluſiones affero, unum uel alterum breuiter adnotabo.

Primum, cum quęritur de reſtitutione facienda earum rerum,quæ in bello capiuntur, dubitatio ad quinque capita reuocari uniuerſe poteſt,quæ ſunt iſta. Primum,quando bellum eſt omnino iniuſtum.Secundum quando eſt iuſtum,& tunc dubitari poteſt, an omnia, an aliqua ſint reſtituenda. Tertium,quando eſt dubiũ, an ſit iniuſtum,& dubitatio perſeuerat.Quartum,quãdo a principio eſt dubium, ſed poſtea apparet iniuſtitia: Quinctum,quando reuera bellum eſt iuſtum, ſed tamen innocentes aliquid patiuntur,

Deinde notandum eſt, propoſitam dubitationem in tribus locum habere poſſe: primo in damnis, quæ in nullius utilitatem cedunt;ut cum res inimicorum igne cremantur: ſecundo,reſpectu eorum quæ in utilitatem bellantium cedunt: ſed tamen per hæc non fiunt ditiores:poſtremo,quando ex illis fiunt ditiores.

Rurſus dupliciter intelligi poteſt:primo,quãdo bellum eſt iuſtum aliquo modo:ſecundo, quando eſt aliqua ratione iniuſtum. Vbi meminiſſe oportet iniuſtitiam proprie oriri ex parte auctoritatis,& cauſæ.

Rurſus dubitari poteſt, tum de reſtitutione facienda ab eo,qui bellum mouet, tum ab ijs,qui bellum gerũt. quę interdum non ſolum hoſtibus, ſed etiam ſubditis facienda eſt: quæ omnia partim concluſionibus,partim dubitationib. quibuſdam a nobis explicabuntur. Ad rẽ igitur accedens,has ſtatuo concluſiones.

Prima concluſio, qui gerit bellum iuſtum defenſiuũ ſine auctoritate, licet ſe defendendo non peccet:tamen ſi quid damni intulerit,ac quod inferendum, ob ſui defenſionem non fuit coactus,id reſtituere debet. Quare, ſi perſona priuata, uel qui ſuperiorem agnoſcit aut agnoſcere debet poteſtatem, ut illatam uim propulſet, bellum mouit,& amplius,quam neceſſe fuit,aggreſſo-

ri

ri nocuit, id restituere tenetur. Nam licet quisque naturæ lege seipsum defendere possit, id tamen facere debet cum moderamine inculpatæ tutelę.

Est autem moderatio inculpatæ tutelæ, quando, tantum ad se defendendum aduersario nocetur, quantum ad uim propulsandam requiritur, & nihil amplius. Habetur hæc doctrina determinata in ca. Olim primo, de restitutione spoliatorum: ubi statuitur, ut excedens modum ad sui defensionem, restituere debeat, pro excessu. Quando autem is de quo loquimur modum non excederet, solum peccaret mortaliter. Ratio autem cur pro excessu restituere debeat, ea est, quia nō est priuatæ personæ aliquem punire, quod is facit, qui plus, quā opus est, alteri nocet.

Secunda conclusio, qui sine auctoritate bellum offensiuum mouet, ut rem suam recuperet, si nihil detrimenti afferat, sed solum, quod suum est recuperat, peccat quidem mortaliter, sed nihil restituere debet. Ratio cur grauiter peccet, ea est, quia in re graui iuris peruertit ordinem. Cur uero non debeat restituere, patet, quia non uiolat iustitiam.

Tertia conclusio, qui bellum iustum defensiuum, uel offensiuum, cum auctoritate suscipit, si quid damni hosti inferat, aut aliquid amplius ab eo recuperet, quā ipse debebat, nec peccat, nec restituere tenetur. Ita Adrianus, Syluester, Gabriel, & alij. Et ratio est manifesta, quia quando suscipitur bellum iustum, qui bellum gerit, est ueluti minister diuinæ, & humanæ iustitiæ: ac proinde tanquam iudex, poterit in delicti pœnam, ea quæ ultra rem suam cepit, iuste retinere. Quare, si dū iustum geritur bellum, aggressoris, seu iniusti possessoris bona & loca occupentur, bello peracto, restituenda non sunt.

Quarta conclusio, princeps iniustum gerens bellum ut cum nulla est caussa iusta, tenetur restituere, non solum ijs contra quos bellum suscepit, & iniuria & damno affecit, sed etiam suis subditis, si ab aduersarijs dam-

num eis illatum fuerit. Doctrina est communissima, & manifestissima, quę nulla probatione indiget: sua enim luce claret.

Quinta conclusio, si princeps pręter ordinem bellū iustum susciperet, cuius tamen suscipiendi caussa non esset criminosa, peccaret mortaliter, & suis restituere deberet Declaro, si caussa esset ciuilis, ut supra dicebamus, & antequam bellum moueret, non admonuit aduersarium, an sine bello uellet restituere, qua ratione potuisset rem suam recuperare, id, si non faciat, peccat, & suis, si quid damni inde acceperunt, restituere debet. Quia ex iustitia tenetur suorum utilitati consulere. Similiter si caussa esset iusta, & tamen ex suscepto bello plus damni, quam emolumenti inde respub. siue subditi caperent. In eodem etiam casu, si non intercederet culpa eorum, in quos bellum suscipit, si quid amplius, quam quod sibi debetur acciperet, ei restituendum erit.

Sexta conclusio, caussa belli existente dubia, qui bellum mouet, & damnum infert, ad omnia damna sarciēda est obligatus. Quoniam, re existente dubia, melior est possidentis conditio: quare spoliari non potest. Licet tamen iustitię, & caussę declarationem petere, qua negata, bellum iure indiceretur.

Septima conclusio, oblata integra satisfactione ab eo, contra quem bellum, non ob iniuriam, seu maleficium acceptum, suscipitur, qui satisfactionem non acceptaret, & bellum moueret, contra iustitiam ageret, & restituere deberet. Quoniam hic non intercedit crimē, quod aliqua pœna, siue damno puniri queat.

Octaua conclusio, quando bellum a principio uidebatur iustum, & postea in progressu eius apparuit iniustitia, tunc non sunt omnia restituenda, sed ea tantum, quę supersunt, & ea in quibus, qui bellum gessit factus est ditior. Quoniam illa damna bona fide illata fuere: reliqua reddenda sunt, non ratione iniustę acceptionis, sed ratione rei acceptę.

Nona

Nona conclusio,cum bellum est omnino iustum,nihil, ex se,restituendum est, sed ex acccidenti fieri potest,ut aliquid restituendũ sit;tunc nimirum,cum innocenti illatum est damnum. Cur,ex se, nihil restituendum sit, patet;quia omnia damna inde emergentia sequuntur belli naturam : sicuti furis suspensionem,uxoris, & filiorum detrimenta sequuntur.Innocentis uero damnum ideo sarciri debet, quia iniuste patitur. Vt si bellum gereretur contra Turchas,& Christianis apud eos habitantibus aliquod inferretur detrimentum.It aque,cum est omnino iniustum,omnia restituenda sunt: cum omnino iustum,nihil, nisi ex accidenti;& idem di cas cum solum contra caritatem suscipitur,& non contra iustitiam : tunc enim non dicitur simpliciter iniustum.Atque hactenus de conclusionibus;ea quę restát, quibusdam dubitationibus, facilitatis gratia, prosequemur.

Prima dubitatio,an Imperator,siue Dux , gerens iustum bellum teneatur acceptare pacta,quę ab hoste offeruntur. Hęc pacta , uel sunt rationi consentanea , uel dissentanea : uel sunt contra legem diuinam, & naturalem,uel contra aliquod ius , quod habeat Imperator in hostes;ut gratia exempli,quod aliquis eis arma condonet, quod uitę pareat &c. His positis,huic dubitationi his dictis satisfacio.

Primum dictum,si pactum esset contra rationem, & malum:non esset acceptandum. Quia non licet consen tire malo:posset tamen aliquid permitti ad maius malum uitandum.

Secundum dictum , pacta quę sunt contra ipsum,qui bellum gerit,non tenetur acceptare;potest tamen,si ue lit:quæ si acceptet,seruare tenetur.Quoniam promissis standum est. Quod ni faceret,peccaret,& si inde damnum aduersarius caperet, restituere deberet.

Tertium,si conditiones rationi consentaneæ proponantur , laudabiliter faciet, si acceptabit:quoniam ratio poscere uidetur,ut quantum fieri potest,bella termi

nen-

nentur: si non acceptet, non peccabit. Quia, cum Dux Iudicis personam gerat, non est obligatus ad committendam caussam reo: ut omittam, quod conditiones alias non inhonestæ sæpe non conueniunt Imperatoris honori. Quando autem sese simpliciter hostes dederét, non posset ad libitum quemque occidere, sed deberet æquitatem seruare.

Quartum dictum, conditiones & pacta iniqua contra legem naturalem & diuinam, non potest, nec debet acceptare, aut acceptata seruare: doctrina est manifesta.

Secunda dubitatio, an parta uictoria, possint occidi omnes milites, qui contra pugnarunt. Ratio dubitandi ea est; quia omnes sunt culpabiles: adde etiam, quod hoc est belli ius.

Primum dictum, durante belli conflictu, omnes qui occurrũt occidi possunt, & debent: modo non occurrat aliqs, qui ex naturali reuerẽtia seruãdus esset; ut, Pater.

Secundum dictum, parta uictoria, cùm inimici se uictos præbent, particulares milites non possunt eos occidere. Hoc enim est ius belli, ut parta uictoria, qui supersunt, ducantur in seruitutem. Quare, finito bello, uictores solum habent dominium in hostes: at dominus nõ potest occidere seruos: igitur. Vt omittam, quod si tunc occidere liceret, liceret etiam post longum tẽpus, quod omnino falsum est.

Tertium dictum, illi quorum auctoritate factum est bellum, & qui fuerunt caussa iniustitiæ, post uictoriam occidi possunt, non ex furore belli, sed more iuridico, ut occiduntur rei.

Sed peteres, quæ est caussa, ut post conflictum priuatus miles nõ possit eum qui contra pugnauit occidere. Respondeo, quia bellum est iustitiæ executio, & suum tempus habet, quo elapso, ille qui alias erat iustitiæ executor, non est amplius minister: ut patet, si per leges liceret impune adulteram in ipso actu adulterij cõprehensam occidere. Adde, quod bellum nõ fit nisi contra pugnantem: at qui cedit nõ amplius pugnat; igitur.

Tertia dubitatio, an Imperatori bellum iustum gerenti, liceat post uictoriam dare ciuitatem in prædam militibus. Hic distinguendum est de necessitate, an sit necessarium simpliciter, nec ne: & an bellum sit contra fideles, aut infideles.

Primum dictum, si nullum aliud est remedium, ad consequendam plenam uictoriam, liceret dare in prædam usque ad certum terminum. Potest autem ista necessitas ex duplici oriri capite: uel ex obstinato hostiū animo, qui potius mori, quam se dedere uelint: uel quia non est semper in manu Imperatoris militum impetus reprimere: quando est necessarium ex primo capite, in prędam, eo modo, quo diximus, dare licet. quoniam adhibenda sunt omnia remedia ad uictoriam necessaria.

Secundum dictum, si esset aliud remedium ad consequendam uictoriam, siue bellum sit contra chistianos, siue contra infideles, nullo modo tradere in prædam licet. Tum propter innumeras iniustitias, quæ inde oriuntur: tum quia non licet directe occidere innocentes: & denique, cum bellum, ex se, sit actus iustitię seuerissimus, non est addenda, sine necessitate, crudelitas: ut omittam, quod si essent infideles, multi conuerti possent. Quare non placet, quæ de hac dubitatione scripsit Caietanus, licere etiam innocentibus damnum inferre. Vnde cap. Innouamus, de tregua & pace, excipiuntur, peregrini, mercatores, hospites ad nundinas uenientes, rustici uenientes, & redeuntes ad agriculturam, & can. paternarum 24. quęst. 3.

Tertium dictum, cum locus datur militibus in prædam, si bellum geratur contra ecclesię Prelatum iniuste pugnatem, clerici suis bonis expoliari possunt; quoniam sunt subditi: & ita in illius pœnam spoliantur.

Quartum dictum, cum bellum est contra Principē, seu dominum secularem, nec clerici, nec monasteria spoliari possunt, & qui contra faciunt, restituere tenentur. Ita determinatum est in cap. citato, Innouamus a Concilio Lateranensi sub Alexandro III. Sunt etiam mi

lites excommunicati excommunicatione Papali, ut habetur cap. conquesti, de sentent. excommunic. Et in Bulla Cœnæ Domini: excommunicantur etiam, qui Romanæ ecclesiæ terras expoliant.

Quarta dubitatio, an Princeps, qui se iuste contra iniustum aggressorem opponit, si ad pacta uenerit, pacisci cum aduersario queat, ut non teneantur restituere damna suis subditis iniuste illata: & si ipse ex negligentia suos non defenderet, damna a suis accepta resarcire teneatur. Adrianus respondens ad priorem huius dubitationis partem, affirmantem sequitur opinionem: asserit tamen, Principem esse obligatum ad tale damnum ab hostibus illatum sarciendum. Alij uero dicunt Principem posse huiusmodi damna condonare, quando alia ratione non potest hostium uim repellere, & bono publico consulere; alias non licere. Quod possit, ex eo probatur: quia Principi tanquam publicæ personę, licet in publicam utilitatem suos subditos, suis bonis, ex parte, priuare. Expedit ergo reipub. ut cum minori dispendio uniuersale bonum cõseruetur. In hoc autem casu, quia donatio illa esset coacta, & uiolenta, qui iniustum gerit bellum, teneretur omnia illata damna restituere.

Quod autem ad alteram partem attinet, si Princeps possit impedire, & nõ impediat, restituere deberet, quidquid damni subditi perpessi essent. in hunc enim finem dantur Principi tributa, suos ut ab iniustitia defendat. Verum, si id iusta de caussa permitteret, ad maius uitandum malum, ut si non posset hosti resistere, & daret aliquid minus, ne quod maius est amitteret, nec peccaret, nec restituere deberet.

Quincta dubitatio, an caussa belli dubia existente, milites pugnando peccét mortaliter, & restituere teneãtur. Pro huius dubitationis explicatione nota; bifariam contingit milites pugnare in caussa dubia: primo, quando cognoscũt caussam ipsam pro qua Princeps pugnat, re uera dubiam esse: altero, cum dubitant, sit iusta necne. Nota rursus, ex domino Caietano in summa, uerbo

Bellum, milites in bello pugnantes sunt in triplici differentia: alij sunt subiecti Principi, pro quo pugnant: alij qui non sunt ei subiecti, sed tamen, perpetua habent ab eo stipendia, etiam tempore pacis: alii denique, qui nec subditi sunt, nec stipendia ista habent. His notatis, statuo hæc dicta.

Primum dictum, omnes milites, quiqui illi sint, peccant mortaliter pugnando, & restituere tenentur, cum sciunt caussam belli esse dubiam. Doctrina est communis, & certissima; quia ut Princeps in tali casu bellum gerere non potest, ita nec ei auxilium præstare licet etiamsi iuramento se ad pugnãdũ milites obligauerint.

Secundum dictum, quando milites, dubitant an caussa sit licita, & iusta, si sint subditi, uel stipendia ordinaria habeant, sine peccato pugnare possunt. Doctrina est communis, quam tradit Augustinus Can. quid culpatur, 23. quæst. 1. ubi expresse docet, licere militi pugnare, quando ei non constat caussam esse iniustam, quam uis dubitet de iustitia: & intellige de illis militibus, qui aliquo modo sunt Principi subditi. Huius doctrinæ ratio est, quia subditus nõ tenetur requirere caussas eius, quod sibi a domino præcipitur, sed satis est, si nõ uideat apertam iniustitiam.

Limitant aliqui hanc doctrinam, dicentes, milites hac in parte debere esse cautos, ad hoc ut excusentur: cum solum excusentur ex eo, quod non tenentur scrutari caussam, cum eis non constat esse iniustam. At uero Adrianus contrariam defendit sententiam, ea motus ratione, quod nemo possit sine peccato exercere opus, de quo est dubius an sit peccatum. Sed hęc ratio non urget; quia, licet isti milites sint dubij de caussa, sit iusta nec ne; tamen certi sunt sibi licere cum ista dubitatione pugnare; dubitant ergo speculatiue, sed non practice, quomodo dubitarent, si hęsitarent, an in tali casu sibi pugnare liceret, & tunc pugnando peccarent.

Tertium dictum, milites, qui nullo modo sunt subiecti, peccãt mortaliter, si dubii de iusta caussa ad pugnã-

dum

dum accedant. Ita Caietanus loco citato: Quoniã isti non possunt, nec debent conscientiam suam deponere apud eum, qui non est ipsis superior: nisi forsitam a suo naturali Principe in auxilium eius qui bellum cũ caus sa dubia gerit, mitterentur. Cur autem subditi suam conscientiam apud superiorem deponere possint, ea est ratio, quia ad superiorem pertinet consulere bono subditorum. Isti ergo qui non sunt subditi in dubia caussa bellum gerere non possunt: cum in dubio tutior pars sit eligenda.

Quartum dictum, milites qui sine ulla consideratione parati sunt ad pugnandum indifferenter in quocunque bello, peccat mortaliter. Sunt enim animo affecto ad faciendum opus contra iustitiam: igitur. Quod diximus de militibus, intelligi etiam potest de alijs ministris iustitiæ, quantum ad caussam manifestam, uel dubiam.

Sexta dubitatio, an Princeps & milites pugnantes cũ ignorantia iniustitię belli, peccent mortaliter, & restituere teneantur. Nota, ignorantia duplex est, altera inuincibilis, cum quis non debuit, aut non potuit scire, quod ignorat: altera culpabilis priori contraria, cum quippiam sciri debuit, & potuit, de qua duplici ignorãtia alibi latius & explicatius scribetur.

Primum dictum, rarissime in Principe est ignorantia culpabilis, si faciat, quod in se est, si uero non faciat, quod in se est, rarissime est ignorantia inuincibilis. Explico, Tenetur Princeps antequam bellum suscipiat, ut supra scripsimus, per se, & per alios diligenter examinare belli caussam, & iustitiam: debet etiam tentare omnia alia faciliora remedia: his omnibus factis, si bellũ indicatur, & re uera sit iniustum, ignorantia erit inuincibilis. Contra uero, si hanc diligentiam non adhibeat, erit ignorantia culpabilis.

Secundum dictum, rarissime in milite est ignorantia culpabilis, quamuis esse possit. Quoniam ipse non tenetur belli caussas scrutari, sed exponere debet suam con

scienciam apud Principem, & satis ei est, si sibi nõ constet bellum esse iniustum iuxta ea, quæ paullo ante diximus.

Tertium dictum, tam milites, quam Princeps pugnãdo in bello iniusto, ex ignorãtia culpabili, peccãt mortaliter, & restituere tenentur, pro omnibus illatis damnis. Doctrina est communis & certa, peccant enim contra iustitiã, cum non excusentur per ignorantiã inuincilem, habent enim ignorantiam culpabilem, quæ, ut nõ excusat a peccato, ita nec a restitutione. Quare, sicuti si iam pugnarent, cognita iniustitia, ni cessarent, tenerentur restituere, ita tenentur, cum ex ignorantia culpabili bellum suscipitur.

Quartum dictum, licet ignorantia inuincibilis possit excusare omnino a peccato milites bellantes in bello iniusto; tamen non excusat in totum a restitutione. Quod talis ignorantia excuset a peccato, patet ex cap. final. de iniu. & damno dato. Quod autem ad aliquam restitutionem teneantur, hoc modo explicatur. Dum isti milites manent in bona fide idest in sua ignorantia inuincibili, ad nullam sunt obligati restitutionem: quãdo tamen accedit mala fides, idest, quando cognoscunt belli caussam fuisse iniustam, tenẽtur ea restituere, quæ acceperũt, ratione rei acceptæ: & ad id in quo facti sunt ditiores, ut etiam supra docuimus. Damna uero illata resarcire non debent.

Septima dubitatio, an milites pugnantes sine licentia peccent mortaliter, & restituere teneantur. Cui dubitationi his dictis satisfacio.

Primum dictum, milites pugnantes sine licentia sui ducis peccant mortaliter: sed non tenentur restituere ea quæ acceperunt, si erant sua. Declaro, expugnãt milites Christiani ciuitatem obsessam a Turcis, & suas res recuperant, quas non tenentur restituere: peccant tamẽ mortaliter, si eas sine Ducis, auctoritate pugnãdo recuperant: nõ secus ac is qui sua auctoritate ab iniusto possessore rem suam, nõ seruato iuris ordine acciperet.

Secundum dictum, hi qui hac ratione inimicos inuadunt, tenentur restituere res non suas acceptas, & pro illatis damnis satisfacere. Quoniam faciunt contra iustitiam, cum sine auctoritate pugnent, non secus ac si carnifex sine iudicis auctoritate aliquẽ nocentẽ occideret.

Tertium dictum, quando adesset Principis uoluntas saltem interpretatiua, qui sic pugnant, excusari possent a restitutione. Tunc autem talis uoluntas adesset, quando milites cognoscunt id placere suo Duci, & si ab ipso peteretur facultas, quę non negaretur.

Octaua dubitatio, an in bello iniusto possit exerceri aliquis actus necessarius ad bellum, sine iniustitia. Dubitatio contingere potest, ut rem aliquo priuato explicemus exemplo, cũ captiui apud Turcas conficiunt aggeres, & ea parant quæ sunt immediate necessaria ad pugnandum, ut patet priuatim in remigantibus in bello nauali: quo casu dubitatur, an captiui remigando peccent. De quo dubio, quidam neoterici, in quibus doctor Nauarrus, sentiunt istos peccare mortaliter, & potius debere mortem pati, quam remigare. Vt huic dubitationi satisfaciam, unum, uel alterum breuiter adnotabo.

Notandum igitur est, tres actus non posse in bello animaduertere, quorum primus est is, per quem immediate hostis offenditur, ut telorum iactus: bombardarum emissio, & id genus alij: secundus, qui est proxime annexus cum actu pugnandi, ut est armorum, seu iaculorum sumministratio: tertius, qui est ueluti dispositio, & uia ad bellandum, sed ex se est indifferens, cum possit ad alium actum ordinari, ut est remigare: Qui actus adhuc tripliciter considerari potest: primo dum adhibetur in ipsa fuga, ut si Christiani insequerẽtur Turcarum triremes fugientes: secundo, cum nec ad fugam, nec ad conflictum confert: ut, cum inimicus hac, illac uagatur: postremo cum immediate adhibetur ad conflictum, & inimicorum triremes aduersus Christianos mouentur.

Notandum est deinde potissimam difficultatem esse de actu remigandi in ipso conflictu, cum triremes uertuntur in Christianos, qui iustum bellum gerũt: de qua re dupliciter loqui possumus, uno modo ex genere suo, suaque natura: altero modo practice; His notatis, ad dubitationem ualde incertam, & in utranque partem disputabilem his dictis respondeo.

Primum dictum, certũ est huiusmodi captiuos apud Turcas non posse exercere actus, immediate pertinentes ad bellum, siue ad offendẽdum: ut emittere bombardas, iacere iacula, & manus conserere. Quoniam, ut est dictum, non licet pugnare in bello iniusto: at isti actus immediate pertinent ad pugnam, igitur.

Secundum dictum, certum est posse captiuos sine culpa remigare extra conflictum, ac etiam dum Turcæ fugiunt Christianos: quia cuique reo & nocenti fugere licet: quare qui iuuat non peccabit.

Tertium dictum, captiui in conflictu belli remigantes, non peccant. Quod dictum, cum sit ualde controuersum, his probatur rationibus, quibus satis probabile redditur.

Primo, quoniam hic actus, ex se est indifferens: qui licet moraliter fiat malus ex parte eius, qui ad remigandum cogit: tamen respectu remigantis, mala intentione non inficitur; non igitur damnandus.

Secundo, in hac facti specie, duo concurrunt mala, alterum est mors remigantis, quia si cesset, occidetur: alterum captiuitas eorum, qui ex hoc actu fortasse in manus inimicorum uenient: illud est maius, hoc uero minus malum: at e duobus malis minus est eligẽdum, can. Duo, & can. Nerui dist. 13. ergo.

Tertio, quando aliquis exercet actum iniustum contra aliquem, is potest de illo iure conqueri: atqui nunquam, qui in seruitutem redigerentur de remigantibus conqueruntur, nec conqueri possunt: idque nunquam exauditum fuit: igitur non iniuste agunt.

Adde etiam, quod cum non sint in contrarium rationes

nes urgentes,nihil eſt,cur iſtos damnare debeamus.

Quartum dictum,quidquid ſit de iſto,& alijs ſimilibus actibus,ex ſe conſideratis,ſiue ſint iuſti,ſiue non, illud tenendum eſt,iſtos non peccare. Quoniam ignorantia inuincibilis eos excuſat: apprehendunt enim hoc opus tanquam licitum.

Quod ſi ex hac doctrina inferres; ſi hic actus ex ſe non eſt illicitus; igitur liceret etiam accipere ſtipendiũ ad remigandum in tali bello iniuſto.Reſpondeo negando ſequelam. Quoniam ex caritate teneor euitare grauia proximi damna; & ita propter leuem mercedẽ non poſſem tuta conſcientia in tali conflictu,ſiue bello operam meam præſtare. Vt ecce,ſi uiderem latronem, qui proxime eſſet furaturus,ſi mihi minaretur mortem, nõ teneor impedire:ſecus ſi nullum,aut minus multo malum mihi immineret.Atque de hac dubitatione hęc dicta ſufficiant.

Nona dubitatio,an ſerui capti in iuſto bello poſſint licite fugere. Ad quam dubitationem reſpondens Sotus lib. 4. de iuſt.& iure, quæſt.2.art.2.partem tuetur affirmantem;pro cuius opinione facit,§. Item ea quæ, Inſt. de rerum diuiſ.At uero opinio contraria eſt cõmunis, & uera,ac proinde retinenda.

Probatur ergo in primis ex communi ſententia, quã ſpeciatim defendit Sylu.verb.ſeruit.§.3.& Gloſ. diſt. 1. can.Ius, gentium, Turrecrem, ibidem. Et confirmatur ex humanis legibus, quibus graue pœnę genus infligitur conſulenti fugam ſeruo,ac etiam recipienti ſeruum fugitiuum.

Secundo, ſeruus captus in iuſto bello eſt uera domini poſſeſſio,ſicuti & alia quæ iuſto titulo poſſidet:igitur ſi ſeruus ſeſe ſubtrahat domino per fugam, faciet contra iuſtitiam.

Denique, ſi eſſet ſeruus pretio emptus,peccaret grauiter, & ad reſtitutionem teneretur, ſi fugeret, quod etiam Sotus concedit: at non eſt minus ſeruus iſte, qui iure belli eſt acquiſitus, quam ille;cum vtraque ſerui-

tus sit de iure gentium, igitur.

Decima dubitatio, an in die festo bellare liceat. Huic dubitationi, de qua diuus Thomas 2.2. quæst. 40. art. 4. agit, his dictis breuiter satisfacio.

Primum dictum, ex necessitate in diebus festis bellare non est peccatum: intellige, tam de bello defensiuo, quam de offensiuo, quando non posset commode acquiri uictoria, nisi die festo bellum gereretur. Ita diuus Thomas loco citato, ibi Caiet. & Ban. & est communis doctrina.

Secundum dictum, sine necessitate die festo bellare, modo non omittantur quæ sunt ex præcepto facienda, ut est audire sacrum, si adsit facultas, nullum est peccatum, nec ueniale, licet Caietanus in locum citatum diui Thomæ, & Ban. aliter sentiant. Et ratio ea est, quia in die festo, sine ullo peccato exercere licet actus, qui pertinent ad artem bellicam: ut est equorũ agitatio, & alia huius generis opera, quæ non censentur seruilia: igitur etiam bellare sine peccato licebit.

An qui rem accepit sit ad restitutionem obligatus.
Quæstio LXIIII.

ALiam nunc aggredimur explicandam restitutionis circumstantiam, qua quæritur de eo, qui restituere sit obligatus: de qua primum uniuerse, postea priuate disputabimus. Et quamuis ex disputatione quincta certum sit, restitutionem necessariam esse: tamen hic priuatim quæritur, quis nam eam facere debeat, cum de hoc aliqua possit esse dubitatio, ut ex ijs quas subijciam rationibus patebit.

Primo, si is, qui accepit restituere teneretur, sequeretur occultum furem se prodere ac manifestare debere, ad quod ex Chrysostomi doctrina tenetur nemo: seque la patet, quoniã ex re, quæ restituitur, is qui occulte accepit, manifestus fit: Vt omittam, quod cum famæ & ui

tæ periculo interdum reſtitutio fieri deberet, quod eſt a ratione & communi opinone alienum.

Secundo, is debet reſtituere, qui rem poſſidet alienam: at contigere poteſt, ut qui iuſto titulo aliquid accepit, ſine ſua culpa amiſerit: ergo iſte non tenetur reſtituere, cum neque ratione rei acceptæ, neque iniuſtæ acceptionis reddere ſit obligatus.

Tertio, qui rem ſuam ab iniuſto poſſeſſore clam & per inſidias accipit, male agit, & grauiter contra leges peccat, & tamen non tenetur reſtituere: non igitur omnes qui accipiunt ſunt ad reſtituendum obligati. Atque has rationes dubitandi cauſſa attuliſſe ſufficiat.

Quoniam uero in hac quæſtione nullæ occurrunt auctorum ſententiæ, ſola opus eſt rei explicatione; de qua legendus eſt Antonin. 2. parte. tit. 2. cap. 1. a §. 2. ubi late hac de re ſcribit. Syluester uerb. reſt. 1. Angel. uer. reſt. 5. Medina a quæſt. 7. ad undecimam, Sotus lib. 4. de iuſt. & iure quæſt. 7. art. 2. & 3. Nauar. in Enchir. cap. 17. a num. 12. ad 24. Nos in hac huius noſtri tractatus parte, primum regulas quaſdam trademus, per quas uniuerſe demonſtrabitur, quiſnam reſtituere debeat: poſtea ad priuatas difficultates accedemus: ubi priore loco de participantibus uniuerſe: poſtea de ijs qui aliquo pacto ad damnum inferrendum concurrunt: poſt hæc qua ratione iſti reſtituere debeant: in ſuper de participantibus, ſiue concurrentibus negatiue: ad hæc, an liceat ſuadere minus furtum, ſiue malum: deiniq; reſtitutione facienda ob aliquam culpam. Quod igitur ad primum in hac quæſtione nobis explicandum attinet, has ſtatuo regulas.

Prima regula, qui uult uniuerſe cognoſcere, an aliquis ſit ad reſtituendum obligatus, hæc tria ſpectet capita, ex quibus omni naſcitur reſtituendi neceſſitas, Rei acceptionem, rei retentionem, ſiue poſſeſſionem, & debitum aliquod. Ratione acceptionis is tenetur, qui rem non ſuam ſumpſit: ratione rei, is qui rem non ſuam apud ſe habet, quamuis ipſe non acceperit: ratione ue-

ro debiti, qui aliqua ratione, ad aliquid dandum est obligatus. Nomine autem rei acceptæ non tantum intelligitur res ipsa sola; quę accepta fuit, sed etiam intelligũtur fructus inde percepti: & totum id, in quo qui eam habuit, factus est locupletior, ut supra scripsimus. Vbi nota, quod interdum, non ex uno tantum capite, sed etiam ex pluribus aliquis est restitutioni obnoxius, ut ex parte acceptionis, rei acceptæ &c. Hæc regula uniuerse tradita, adhuc plenius explicabitur per sequẽtes, quibus particularius de re proposita agetur.

Secunda regula, quicunque retinet rem aliquam inuito domino restituere tenetur, siue iusto titulo acceperit, ueluti per mutuum, siue iniusto, ut per furtum. Is autem tenet rem, inuito domino, qui sine eius consensu saltem debito eam occupat.

Tertia regula, qui rem alienam accepit, uel alienauit, inscio domino, & qui ab eo accepit, qui alienare nõ potest, restituere debet. Quare, si quis quod alterius est sine uoluntate domini, aut expressa, aut tacita, sumpsit, restituere tenetur.

Quarta regula, qui rem alienam, etiam domino sciẽte, sed non consentiente, ueluti per uim, fraudem, & incussum timorem usurpauit, est ad restituendum obligatus. Sub qua regula continentur fures raptores, qui in contractibus fraude, & iniustitia manifesta utuntur, & qui per aliquem magnum timorem in hunc finem incussum aliquid ab alio acceperunt.

Quincta regula, qui ex delicto, iniuste, & proxime alicui damnum inferunt; ut qui occidunt, qui mutilãt; huc referuntur, qui ex quasi delicto aliquod nocumentum afferunt: ut iudex, qui iniquam sententiam ob ignorantiam iuris tulit, Instit. de obligat, quæ ex quasi delicto nascuntur, in princip. Et caupo, cui res sibi ab hospite commendata, surrepta fuit §. item is. Inst. eod. tit. & aliæ eiusdem generis personæ.

Sexta regula, obligatus ex contractu, uel quasi contractu, ex pacto, & promissione, etiam simplici, modo

fuerit

fuerit libera: ut emptor uenditori, & contra: ac tutor pupillo, l. 1. ff. de pactis. & instit. de obligat, quæ ex quasi contractu. §. 1. &. §. tutores, & hæredes cap. 1. de pactis. Huc referres omnes, qui naturali uel ciuili obligatione ad aliquid soluendum, uel restituendum tenétur.

Septima regula, obligatus, ex aliqua lege, uel statuto humano ad aliquid soluendum obligante. Quo referres obligationem ex iusta iudicis sententia, qua declaratur aliquid cuipiam deberi. Quod si sententia sit pœnalis, expectari potest executio.

Octaua regula, obligatus ex aliquo testamento, seu ultima uoluntate. Quo pacto hæredes obligati sunt ad legata soluenda, & ad damna a defuncto alicui illata sarcienda. ff. & C. de legit. hæred, de testam. de legat. & fideicommiss.

Nona regula, qui ex caussa aut sub conditione aliquid accepit, caussa uel conditione non existente, restituere debet: de qua re supra a nobis disputatum fuit.

Decima regula, qui aliqua ratione delinquentibus, & damnum inferentibus consentiunt: iubendo, consulendo, non prohibendo, cum debeant, & possint, & alijs modis, concurrendo, de quibus statim late disputabimus.

Vndecima regula, qui sua culpa sunt in caussa ut alteri damnum inferatur, pro damno illato restituere tenentur. Quæ autem culpa obliget, suo loco in priuata difficultate postea manifestabitur.

Duodecima & ultima, nemo qui rem suam ubicunque fuerit, accipit, eam restituere debet, etiamsi accipiendo peccare possit. Intelligitur hæc regula priuatim de ijs rebus, quæ iniusto possidentur titulo: de qua, quoniam alio loco non est nobis scribendum, propterea eam in præsentia paullo latius explicabimus.

Pro huius ergo regulæ explanatione animaduertendum est, cum quis rem suam clam recuperat, id solere appellari furtum similitudinarium; quod interdum leges puniunt. Potest autem duabus de caussis aliqui

rem suam, aut quod sibi debetur, capere: prima, cum ideo accipit, quia alius rem suam accepit: altera, quia est sibi aliquo titulo, ut ratione operum, debita. Quod attinet ad primam caussam distinguendum est, an ille iusto titulo acceperit, ut locato, commodato, & mutuo, & de hoc alio loco scribetur: an uero iniusto, ut rapina, & furto, & in hoc casu præcipue intelligenda est regula, cum ijs circumstantijs, quas inferius afferam.

Maior autem dubitatio est, quando intercedit secunda caussa, cum scilicet creditor tantum a debitore occulte surripit, quantum sibi debetur: quod sæpe famuli, artifices, & operæ conductæ efficere solent; cum non possunt, aut uix possunt, quod sibi debetur exigere. Huc etiam referrens hūc casum, cum debitor defunctus nullam mentionem fecit, de suis creditoribus in testamento, quibus satisfacere tenebatur: qui cum non possint alia ratione, quod sibi debetur recuperare, defuncti bona clam capiunt. De quibus nonnulli dubitare solent; de qua re nos ita statuimus.

Tam creditores, quam ij quorum bona iniusto titulo retinentur, possunt absque peccato, & obligatione ad restituendum, id quod sibi debetur sumere, his concurrentibus conditionibus, quas Diuus Bernardinus, & alij post eum Doctores assignant, quæ sunt istæ.

Prima, quod debitum sit certum & manifestum; & nulla ratione dubium: alias, enim ei qui sumit, si dubitationem haberet, non liceret propria auctoritate id efficere.

Secunda, quod nulla sit spes per uiam iudicii rem suam recuperandi, sine notabili detrimento: ut si non adsint testes idonei: si debitoris potentia sit maxima, ita, ut creditor cum eo in iudicio contendere non queat: aut si res in iudicium delata magnis egeret sumptibus, &c.

Tertia, quod ex hac acceptione nō sequatur propria infamia, ut scilicet, qui accipit, non habeatur pro fure:

sine

siue etiam damnum corporale, cum in foro exteriore huiusmodi similitudinaria furta puniri soleant, si probentur.

Quarta, ut inde non oriatur, scandalum, aut damnũ alterius, quod debeat ex caritate uitari.

Quinꝗa requiritur recta id facientis conscientia, hoc est, ut existimet sibi licere hac ratione suum recuperare, & id non esse furtum; omne, enim quod nõ est ex fide, id est, quod cum conscientia, & existimatione pugnat, peccatum est, ut ait Paulus.

Sexta, ut pro certo, uel uerisimili habeat, se non posse rem suam recuperare, aut quod sibi debetur obtinere, si ab ipso debitore repetat.

Addunt alii septimam conditionem, non posse accipi rem non consumptibilem usu, si aliis rebus, quæ usu consumuntur, suum recuperare liceat. Quia fortasse res ista posset esse debitori multum cara; & proinde de eius acceptione esset, cum ratione, inuitus. Si itaque omnes hæc conditiones concurrant, qui sic rem suam, & quod sibi debetur accipit, non peccabit, cum nec debitori, nec publicæ iustitiæ faciat iniuriam. At si quæ ex dictis conditionibus abesset, posset quidem peccare, sed ad restituendum non esset obligatus. Hanc doctrinam tradunt communiter Doctores, & speciatim Alexander Alens. Altisiodorens. Glossa, cap. Ius gentium. 1. dist. Innocentius, cap. Olim, de restitut. spoliat. Adrian. in quolib. & Medina quæst. 11.

Sed est hoc loco dubitatio, quid si debitor, uel hęredes defuncti debitoris suam rem agnoscerent, & eam in foro exteriori iuste repeterent; & iudex iure damnaret creditorem, qui eam accepit ad restituẽdum, an creditor teneretur huic stare sententiæ? Respondet Medina; in conscientia non esse obligatum: quia, licet sententia ex parte ferentis sit iusta; tamen re ipsa, & ex parte eius in quem fertur, iniusta est: cum iste rem suam recuperando, nemini iniuriam fecerit, ut dictum est.

Quod si dicas, iste contra legem fecit, quæ prohibet,

ne

ne quis propria auctoritate sibi ius dicat; id nihil est; quoniam, & si contra legis uerba facere uidetur, non tamen agit contra legislatoris mentem. Ea fuit legislatoris intentio in tali lege ferenda, ne, si impune liceret cuique suum quocumq. modo recuperare, sibique pro creditis compēsare, inde iniuriæ, furta, infamiæ, lites, & scandala orirentur multa: facile enim homines sibi persuaderent, sua credita esse liquida & manifesta: se non posse alia ratione suum recuperare, & id genus alia, quę omnia in pręsenti facto cessant: ac proinde lex in eo locum non habet. Neque enim legislator omnem uoluit ad suum recuperandum uiam pręcludere.

Posset etiam hoc loco dubitari, de excommunicatione, quæ solet ferri aduersus eos, qui alicuius bona, & præsertim defuncti, retinent, an is, qui modo iam dicto rem debitoris accepisset, in hanc incideret excommunicationem. Huic dubitationi, loco citato, respondet Medina distinguendo: aut sententia fertur contra eos, qui in tali casu furtum uerum commiserunt, & tunc ob ligat, omnes, qui uere furtim aliquid acceperunt: & etiam scientes, si isti quoque nominantur: uel etiam fertur contra eos, qui fecerunt furtum similitudinarium id est rē per uiam recompēsationis acceperunt, & tunc si debitum non erat liquidum, aut potuit alia uia recuperari, aut in recompensatione modum non fuit seruatus, excommunicatio uim suam in istos haberet; si re uera qui excommunicationem tulit istos etiam fures similitudinarios obligare uoluit: cuius intentio ex uerbis in mandato positis colligenda esset. Solet enim interdum ferri sententia contra fures, & eos qui deprauato animo res alienas occuparunt; interdum uero etiam cō tra alios, qui clam, & per debiti recompensationem acceperunt: quo casu extenditur etiam ad fures similitudinarios. Et tunc dubitant Doctores an isti sint uere excommunicati.

Aliqui ita arbitrantur, ob eam caussam, quod in hac compensatione facienda facile errari soleat: alij contra,

tra, ut Medina, modo conditiones allatæ concurrant. Quoniam talis sententia respectu istorum, re ipsa, est iniusta, & ita non obligat in conscientia. Quod si intentio iudicis in ferenda excommunicatione ea esset, ut res accepta restitueretur, ut postea per uiam iuris recuperaretur; & qui accepit, se hac ratione recuperare posse speraret, is sententiæ obedire deberet.

Ex quibus patet, quid dicendum sit de scientibus, contra quos fertur excommunicatio, ni reuelent, de quibus eodem modo est distinguendum, ac de ijs qui acceperunt. Atque in declarationem ultimę regulę hæc dicta sufficiant. Nunc ad priuatas quæstiones, quibus non nullę ex allatis regulis priuatim explicabuntur, deueniemus, si prius argumenta initio posita diluerimus.

Ad primum, raro, aut uix contingere potest, ut restitutio fieri nequeat sine manifestatione furis: cum satis sit per tertiam personam rem ablatam reddere. Quod attinet ad periculum famæ amittendę, supra non nihil scripsimus, ac inferius etiam scribemus, cum tractabitur quęstio, an cum famę & uitæ periculo fortunæ bona restituenda sint.

Ad secundum, infra priuata disputatione agetur, de restitutione facienda ex aliqua culpa, ubi plene, huic satis argumento fiet.

Ad tertium, hoc argumentum ex ultimæ regulæ declaratione satis aperte soluitur. His itaque regulis uniuerse positis, per quas qui restituere debeat explicatum fuit; nunc difficilem, & satis intricatã materiam de participantibus aggrediamur.

De participantibus in damno inferendo, qui & quot damni illati caussa dicantur. Quæstio LXV.



AD plenam ac perfectam explicationem illius circumstantiæ, qua quæritur, quisnam restituere debeat, non solum pertinet ea disputatio, qua de eo, qui rẽ accepit agitur, sed etiam alia, ubi, an is qui rem non accepit, ad quam tamen

men accipiendam iuuit, restituere debeat. Cum sæpe numero contingere soleat, ut plures, & quidem pluribus modis, uel ad ipsam acceptionem, uel ad rei acceptæ participationem, conueniant. Occurrit itaque nobis hoc loco, una ex præcipuis difficultatibus huius tractationis explicanda, quæ sub hoc uniuersali titulo continetur, de participantibus cũ fure, ubi hęc a nobis hoc ordine dicenda erunt.

Primo, docebimus quis dicatur uera iniustę acceptionis caussa: ubi etiam quædam communes conclusiones proponentur.

Secundo, explicabuntur omnes modi, quibus aliquo pacto ad damnum inferendum aliqui concurrerunt.

Tertio, qua ratione restitutio facienda sit a participantibus.

Quarto, de ijs agetur, qui concurrunt negatiue, cum scilicet, non impediunt, cum possint. Postremo, examinabimus, eã quæstionem, qua dubitari solet, an minus furtum suadere liceat.

Quod igitur ad primam disputationem attinet, ideo priore loco uidere uolumus, quis proprie dicatur caussa iniustæ acceptionis, quia hoc ignorato, exponi nequit, quisnam in particulari alicuius damni caussa uocari possit. De hac itaq. huius disputationis parte, duas esse inuenio scriptorum sententias.

Prima eorum, qui dicunt, eum appellari caussam iniustæ acceptionis, aut illati damni, sine quo alias delictum non fuisset factum, quod si alias factum fuisset, non est dicendus caussa. Verbi gratia, Petrus intulit cuipiam damnum, quod non intulisset, nisi Franciscus adfuisset, uel iuuisset, Franciscus dicetur caussa sine qua, Petrus non damnificasset, quę doctrina potest his rationibus confirmari.

Primo ex communiore scriptorum consensu, habetur enim pro communi, quam speciatim sequitur Alexander Aalens. 4. parte, quæst. 86. memb. 3. art. 4. Innocent. & Panormit. cap. sicut dignum, de homicidio, Syluest.

ueſt.uerb.reſt. 3. quæſt.6. Oſtienſ.tit.de homic.Adrian. in 4.quæſt.de reſtit.§.De concurrentibus cum fure:ſunt tamen qui in hanc ſententiam Adrianum non eſſe citan dum putent. Nauar.in Enchir.cap.17.num.20.

Secundo a definitione cauſſæ,quę communiter aſſignari ſolet:cauſſa eſt ea,qua poſita,ponitur effectus, & qua non poſita non ponitur effectus:quare,ſi non minus fuiſſet damnum illatum, quam ſi cooperans nó ad fuiſſet,cooperans non poteſt dici cauſſa.Quo fit,ut is dicatur cauſſa,ſine quo non ſequitur effectus.

Tertio,ex lege,Ita uulneratus ff. ad legem Aquiliam, ſi multi fures trabem portent,quam ſinguli portare ne queunt, ſinguli tenentur in ſolidum actione furti: ergo ex contrario ſenſu,ſi unus tantum portare potuiſſet,nemo teneretur, niſi pro parte; quia nemo uidetur totum portare uoluiſſe; tenentur igitur ſinguli inſolidum reſtituere,quia ſunt cauſſa ſine qua non.

Ex qua ſententia infertur, quod ſi fur ex ſe facturus alias erat furtum, ſine ſocio, eum qui ſe adiungit,non eſſe obligatum in ſolidum,ſed pro parte, quia non fuit alteri cauſſa totius furti,ſed partis.Addit Adrian.quod, ſi non erat facturus ſine ſocio, etiamſi. ſine ipſo facere potuiſſet,comes tenetur in ſolidum,quia eſt uere cauſſa ſine qua non.

Secunda ſententia aliorum, qui conantur euertere priorem ſententiam; dicuntque cauſſam efficacem eſſe illam, quæ attingit effectum,ſiue is quocum alius concurrit facturus fuiſſet, ſiue non.exempli gratia, aliquis dat conſilium latroni alias furaturo;ſi eius conſilio aliquid efficiat,dicitur uere furti cauſſa,cum effectiue con currat,licet alias ille eſſet furaturus.Ita dominus Caietanus in commentarijs art.7.q.62.diui Thomæ in ſecunda ſecundæ: Medina q. 7. cod. de rebus reſtituen.Sotus lib.4.de iuſt.& Iur.q.7.art.3.& nonnulli alij:quæ ſententia his confirmatur rationibus.

Primo quoniam ex contraria opinione ſequeretur hoc abſurdum,quod,ſi gratia exempli,aliquis dominus

mul haberet seruos, & singuli parati esset ad occidēdū eum, quem dominus iussisset, uel si statim ipse erat necaturus, quod qui occideret non esse homicidij reus; cum non sit caussa sine qua non, quia alij homicidium fecissent: quod omnino uidetur absurdum. Quare dummodo aliquis concurrat ad effectum, uere dicetur caussa, siue alius esset facturus, siue non.

Secundo, idem demonstratur ratione naturali: nam si duo ignes agant in aliquod passum, licet unus sine alio comburere potuisset; adhuc tamen uterque dicitur caussa combustionis.

Tertio, idem confirmatur ex praxi in iudiciali foro, ubi non exauditur unquam ista distinctio, si alter esset facturus, nec ne, sed omnes, qui effectum attingunt in solidum condemnantur.

Postremo, quoniam istę propositiones conditionales nihiil attinent ad mores; cum neque uirtutes, neque peccata augeant, ut arguit Medina. His itaque rationibus, & quibusdam alijs hi auctores suam comprobant sententiam. Quod autem nobis uerius uideatur, quibusdam fundamentis explicabimus.

Primum fundamentum, caussa efficiens, ut docet Aristoteles secundo libro physico, ea esse dicitur, unde incipit motus, seu operatio: ad operationem autem duobus modis potest aliquis concurrere; uno modo physice attigendo actione reali effectum, quo modo ignis producit callefactionē, & qui iugulat homicidium: altero mortaliter, non attingendo effectum, sed consilio, uel iussione, uel alio simili modo.

Rursus dicitur aliquis caussa moralis dupliciter, uel quia aliquo pacto, aliquid efficiendo concurrit; ut is, qui aliquid iubet fieri: uel negatiue, quia non prohibet effectum; ut qui tacet, & sinit aliquid efficere, cum posset impedire.

Modi autem quibus aliquis, non attingendo effectū ad illum moraliter concurrere dicitur, nouem a doctoribus numerantur, qui his carminibus continentur.

Iussio

Iussio consilium, consensus palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans non manifestans.
Currere cum fure faciunt, furtique reatum.

Ex quibus, sex priores positiue concurrere dicuntur, reliqui uero tres, negatiue tantum, de quibus seorsim disputandum erit. Huius numeri ratio, hoc pacto assignari potest.

Duobus modis quispiã est caussa, ut aliquid mali fiat uel directe, uel indirecte: directe trib. modis, uel ex parte acceptionis ad ipsam aliquo ex quattuor primis modis numeratis concurrẽdo : uel ex parte accipientis, seu dãnũ inferẽtis, quẽ quis ad se recipit, tuetur, uel aliquo modo fouet, quod significatur, nomine Recursus : uel ex parte rei acceptæ, cum sit rapinæ, uel furti particeps, quod designatur, uoce illa Participans. Indirecte autẽ tunc aliquis dicitur caussa, cum eum quem impedire potest ac debet, non impedit: uel quia non præcipit, uel consulit ne faciat, qui dicitur, Mutus: uel quia auxiliũ, quó posset obsistere, nõ exhibet, & dicitur, Non obstãs: uel quia factum occultat, non manifestando. Patet igitur cur tot numerentur, aut dicantur participantes.

Secundum fundamentum, quando aliquod damnum aut maleficium alicui infertur, tria personarum genera ibi considerare possumus: unum, quod facit damnum, uel maleficium ipsum ; ut is qui occidit, uel rem furto aufert: alterum, quod iuuat, seu concurrit uerbo tãtum, ut qui consulit, uel iubet: tertium, quod opere aliquo pacto concurrit. Et quidem hi omnes dicuntur directe concurrere, & de his est præcipua difficultas, de quibus prius uniuerse, tum speciatim de singulis dicemus. Vbi etiam adnotandum est, bifariam multos concurrere ad maleficium posse; uno modo simul, uno eodemque consensu & opere : ut si plures concordes in uineam ad damnum inferendum ingrederentur: altero modo accidẽtaliter, quando unus post alium, sine mutuo consensu nocet; ita ut quilibet per se damnum faciat.

His itaque hunc in modum expositis sententijs, & fundamentis, quod speciatim hac disputatione quæritur est, An is dicatur caussa efficax, & per se alicuius dãni illati, etiamsi alias damnum inferendum erat. Vt ecce, aliquis dat consilium furi alias furaturo, quæritur, an is, dicatur furti caussa: qui quidem secundum priorem sententiam non uidetur posse dici caussa: at uero secundum posteriorem maxime.

Prima conclusio, omnes qui inferunt damnum sua operatione, siue alius intulisset, siue non, sunt obligati ad restitutionem. In hac conclusione omnes conueniunt, tam qui in prima, quam qui in secunda sunt opinione. Differunt itaque istæ duæ sententiæ solum in modo loquendi, si quis eas diligenter perpendat: nam qui explicant modum caussę adiuuantis negatiue, hoc significare uolunt; dicitur enim caussa sine qua non, is, qui effectum producit. Quo fit, ut argumenta secundę sententiæ indirecte primam oppugnent.

Probatur hæc conclusio efficaciter argumento illo sumpto ab exemplo caussarum naturalium, quæ concurrunt ad unum effectum, quem singulæ per se producere potuissent. Similiter argumento ex philosophia morali, de duobus, qui simul furarentur unum calicé: quia ambo dicerentur caussæ efficientes furti, etiamsi unus per se furari potuisset: idem dicas de duobus qui ignem ad domum comburendam apponerent; quem unus solus admouere potuisset.

Secunda conclusio, quando multi ita concurrunt, ut per se singuli possint esse caussa, alicuius effectus, & id quod efficitur sit aptum ad totum, uel partem damni inferendam, si ad id quod unus præstiterat, necessario effectus sequebatur; is qui postea etiam sufficientem caussam adhibuit, non est censendus damni illati caussa.

Exempli gratia, quidam infixit uulnus lethale Petro, ita ut necessario inde eius mors sit futura: si alius postea accedat, & aliud lethale uulnus infligat, is non est

dicen-

dicendus caussa efficiens mortis Petri; cum eius mors absque hac secunda plaga omnino esset futura. Similiter si quis apposuisset ignem idoneum ad domum comburendam, si postea alius iterum admoueat, is non diceretur caussa combustionis, ut nunc de caussa inquirimus, quamuis uterque in foro exteriore pro maleficio puniri posset, & iure puniretur. Hanc doctrinam paullo inferius probabo, quam arbitror neminem negaturum si diligenter animaduertatur.

Tertia cóclusio, quando multi concurrunt, ita ut omnes simul efficiant unam integram caussam, ut si multi simul auferrent furtum, quod unus uel alter non potuisset auferre, omnes una dicuntur caussa & ideo omnes tenerentur in integrum, alijs non soluentibus pro rata: de qua re inferius explicatius dicetur, cũ priuatim de participantibus in re & opere instituta erit dubitatio: hic enim solum uniuerse docemus, quisnam dicatur maleficii caussa.

Quarta conclusio, quãdo multi conueniunt, sed qua si accidentarie, & non sunt caussa integra, singuli dicũtur caussa partialis, & tenentur pro sua parte, quam acceperunt. Exempli gratia, multi latrones conueniũt ad expilandam aliquam domum, & quisque tanquam priuatus latro suam partẽ accipit, quilibet debet partem a se acceptam restituere. Quoniã, ad id quisque tenetur, ad quod auferendum extitit caussa: Sed ex his, singuli partem aliquam abstulerunt, ergo illam restituere debent. Quare, non est uera sententia Innocentij cap. sicut dignum, supra citato, & Panormitani, qui dicunt, auxiliantes non teneri ad eam partem, quam acceperunt. Quãdo itaque multi simul coeunt, & damnum inferunt, & quisque suam partem accipit, solam partem acceptam restituere debent, si pars illa alias non fuisset ablata. Quod si etiam totum nõ fuisset ablatum, sine cuiusque concursu, singuli tenentur ad totum restituendũ.

Quincta conclusio, quando multi omnino accidentaliter, hoc est, cum unus est ignarus alterius, inferunt a-

liquod damnum, ut si multi uiatores uineam ingrederentur, & quisque racemum acciperet, ut nihil tandem remaneret, nullus potest dici caussa integra damni, nec etiam proprie omnes simul, cum accidentaliter conueniant, & ita nullus mortaliter peccaret, nec restituere teneretur: cum nullus notabile inferat damnum, nec sit consentient, ut alius inferat. Ita Medina, & Nauar. cap. 17. num. 30.

Quid si super huiusmodi furto esset lata sententia ex communicationis? quo casu omnes deberent restituere, cum excommunicatio feratur ob illud graue damnũ quamuis singuli peccent solum uenialiter. Sotus concedit non peccare mortaliter, nec obligari ad restitutionem: sed tamen omnes inciderent in excommunicationem: quare singuli tenerentur ad partem suam soluendam. Verum, cum excommunicatio non feratur nisi ob peccatum mortale, melius est si dicamus, eos non incidere in excommunicationem.

Sexta conclusio, nouem sunt modi, quibus aliquis potest dici moraliter caussa acceptionis, quos supra numerauimus. Patet hæc conclusio ex communi sententia, & ex ratione, quam huius numeri reddidimus.

Septima conclusio, ex his nouem modis quinque, ut plurimum, ad restitutionem obligãt, iussio, consensus, recursus, participatio, & non obsistere, cum quis potest, & debet; alij uero quattuor non itidem, cũ non soleant esse, ita caussa actionis, ut alij. Verum, de singulis statim accuratius dicemus, quando ad restitutionem obligent. Atque hęc uniuerse de concurrentibus dicta sufficiant.

Argumenta pro utraque sententia allata, non est cur soluantur, cum ea, quæ nos docuimus concludãt, & quę pro secunda fiunt, indirecte primam oppugnant.

De reſtitutione facienda ab illis, qui aliquid agendo, ſeu poſitiue ad damnum inferendum concurrunt. Quæſtio LXVI.

EXplicaturus in particulari omnes modos, quibus aliquis in damno ſeu maleficio inferendo iuuat, prius de ijs agam, per quos directe ad crimen perpetrandũ cõuenitur, qui ſunt ſex priores. Et ut rem hanc reuocemus in dubium, affero argumenta quædam quibus probabo, eos qui nihil accipiunt ad nullam reſtitutionem eſſe obligatos.

Primo, argumentor ex quibuſdam caſibus, quibus demonſtratur concurrentem opere, uel uerbo, ad nihil teneri: ut ecce, ſi fur paratus eſſet furari pretioſa uaſa, & alius ſuaderet, ut res minoris momenti auferret, & ad hoc iuuaret; iſte non teneretur reſtituere, cum non modo non inferat damnum, ſed potius utilitati eius, cuius res aufertur, conſulat. Similiter, qui conſilium uenditori daret, de uendẽda re certo pretio, credens id uenditori utilitati fore; & tamen re uera, cederet in detrimentum, is non teneretur reſtituere; quia ex regula iuris li. 6. Ex conſilio non fraudolento, non naſcitur obligatio. Denique, finge aliquem comitari eum qui uelit rem ab ipſius domino cuſtoditam auferre, ut furtum impediat; & dominum cuſtodientem timore perterritũ, quod plures ad ſe uenire uideat, rem ſuam deſerere, unde ſequitur furtum, iſte, qui comitatur nihil debet reſtituere etiamſi cauſſa furti uideatur, igitur.

Secundo, ſi qui rem non capiunt reſtituere tenerentur, id eſſet contra naturam reſtitutionis, qua redditur id, quod ablatum eſt; repugnat igitur, ut is reſtituat, qui nihil accepit.

Tertio, qui nihil accipit nullam inducit inæqualitatem: implicat igitur, ut aliquid reſtituat, cum reſtitutio inſtituta ſit ad inæqualitatẽ factã tollendã: quod non inducat inæqualitatẽ patet, q͂a nihil hẽt, quod ſuũ nõ ſit.

Quarto, qui laudat factum, aut ratum habet, non est caussa cur aliquid damni fiat, cum caussa efficiens debeat effectum præcedere, ut in illum influat: igitur male inter participantes ponuntur laudator, & is qui approbat.

In hac disputatione nihil occurrit dicendũ circa opiniones, sed solum opus est explicatione. Ad huius igitur quęstionis declarationem nota, eos qui positiue concurrunt, aut uerbo, aut opere, & præsertim participando concurrere: dicemus prius de illis, qui uerbo tũ uniuerse, tum priuate: postea de ijs, qui opere.

Rursus nota, cum quis consilio, iussuque concurrit, tripliciter id efficere potest primo, cum ita cõsilio: aut imperio mouet, ut effectus sequatur: secundo, quando effectus etiam fuisset, si imperium uel consilium adhibitum non fuisset: postremo, cum adfuit iussio, sed effectus non est secutus.

Rursus animaduertendum est, consilium posse dari dupliciter, uno modo ita, ut noua gignatur in eo cui datur de re facienda uoluntas: altero modo, ut solum augeatur, aut confirmetur iam concepta uoluntas: idemque diceres de consensu.

Prima conclusio, quando aliquis uerbo ad maleficium, uel damnum interendum concurrit, uel iubẽdo, uel consulendo, uel approbando, & effectus non est secutus, peccat quidem mortaliter, sed non est obligatus ad restituendum. Doctrina est manifesta, & ideo nulla est opus probatione.

Secunda conclusio, quando aliquis uerbo ita concurrit, ut effectus alias futurus esset, etiamsi alterius uerbũ non intercessisset, peccat quidem mortaliter, sed non est obligatus restituere: quo casu qui uerbo concurrit, non est caussa sine qua non. est conclusio contra opinionem Caietani, quam his rationibus confirmo.

Primo, iste qui hac ratione concurrit, non est caussa efficax, quia nõ influit in effectũ, ut patet ex dicto Christi, Cum Iudæ dixit, Quod facis, fac cito: quibus uerbis

non

non fuit caufsa fuæ necis, cum Iudas efset ad Chriftum tradendum determinatus: igitur, cum non influat in effectum, non erit cauffa, & proinde reftituere non debebit.

Secundo, uel generaliter omnes, qui uerbo concurrunt, confulendo, & fuadendo funt obligati ad reftituẽdum, uel non: non femper, ut ipfemet in fumma fatetur igitur aliquando tantum: at nulla eft alia ratio, fiue modus definiendi, quando aliquis non fit obligatus, nifi cũ effectus alias erat futurus, & cum ex uerbo non producitur effectus: igitur hæc regula retinenda erit.

Tertio is eft obligatus ad reftituendum; qui eft cauffa efficiens illati detrimenti, vt fupra eft demonftratũ: at qui iubet, uel fuadet id, quod alias omnino faciendum erat, non poteft dici cauffa efficax: non erit igitur ad reftitutionem faciendam obligatus.

Quarto, eft expreffa diui Thomæ fententia, in art. 7. quæft. 62. ait enim non femper effe obligatum ad reftituendum eum, qui confulit: quod non poteft ueritatem habere, nifi in præfenti cafu.

Tertia conclufio, qui uerbo ad damnum inferendum concurrunt, tanquam cauffa fine qua non, hoc eft, quando ita datur confilium, aut præceptum, aut confenfus, ut inde effectus re ipfa fequatur, peccat mortaliter, & eft ad reftituendum obligatus. Doctrina eft communiffima & certiffima, ad cuius confirmationem facit c. finale de iniurijs, & dãno dato, ubi decernitur, fi culpa tua damnum datum eft, iure fatisfacere oportet: ibidem habetur tritum illud pronũciatum, Qui cauffam damni dat, damnũ dediffe uidetur, at qui uerbo mouet quẽpiam ad damnum inferendum dat ueram damni cauffam igitur. Atque hæc uniuerfe de his modis dicta fint; nunc priuate de fingulis dicemus, ut allata doctrina, quæ alias fufficere poffet, adhuc magis explicetur: quæ autem de fingulis afferam, quibufdam dictis comprehendam.

De eo q̃ iubet, feu p̃cipit, & mãdat, hæc ftatuo dicta.

Pri-

Primum dictum, hic modus concurrēdi ad delictum per uerbum, est magis efficax, quam reliqui modi. Ratio est manifesta, quia magis influit, cum præceptum sit a caussa superiore, quæ solet magis influere.

Secundum dictum, qui iubendo concurrit peccat mortaliter, & si effectus ex iussione sequatur, tenetur ad restitutionem totius damni.

Tertium dictum, is qui exequitur mandatum, non solum peccat mortaliter, sed etiam tenetur ad restitutionem totius damni, ni fiat ab eo, qui mandauit. Doctrina est certissima, & nulla probatione eget: quam etiam communis approbat scriptorum consensus.

Quartum dictum, qui iussit, aut mandauit damnum fieri, si qui exequitur non mouetur ad damnum inferendum ex iussione seu consilio, sed alia de caussa non tenetur restituere. Ita Adrian. & canonistæ cap. ad audientiam, de homicidio: & ratio est, quia non est caussa influens: debet tamen ei constare, quod is cui mandatum est, alia caussa motus, id fecerit.

Quinctum dictum, qui mandauit, aut consilium dedit, alicui ne restitueret, & ad id faciendum eius uoluntatem mouit; quamuis iste postea ab aliam caussam nolit restiture, puta, quia sibi non placet, restituere tenetur. Ita Adrianus loco citato; & ratio est, quoniam iste aliquo tempore, quo illo restiture debebat, fuit caussa efficax, ne restitutio, fieret. Quod si postea iubeat, aut consulat, ut restituat, adhuc tamen non liberatur ad obligatione restituendi, nisi ab eo actualis fiat restitutio: quia, ut fuit caussa efficax damni, ita debet esse caussa efficax restitutionis.

Est hoc loco dubitatio quædam de eo, qui mandauit, aut consuluit homicidium faciendum, & antequā factum sequeretur, iussit, aut consuluit contrarium, sed iste cui mandatum est, non obediuit, an ille teneatur restituere, & an incidat in censuram ecclesiasticam irregularitatis, uel excommunicationis, ut si clericum occidisset.

Quod

Quod attinet ad censuras, sunt duæ sententiæ: Quidã dicunt non incurrere in irregularitatem, mandato reuocato. Ita Innocentius cap. cum ad audientiam, de homicidio, Panormit. & Ioan. Anan. ibidem. Alij, ut Felinus, capit. sicuti dignum, de homic. & Syluester uer. homic. quæst. 7. distinguunt inter mandantem, & consiliantem: qui mandauit, & reuocauit mandatum actualiter, uel uirtualiter, non incurrit irregularitem: qui uero cõsilium dedit, non est necesse, ut consilium reuocet; sed debet admonere illum in cuius pernicem dedit consilium; & hoc in genere, monendo, ut sibi caueat. Quam doctrinã commendat etiam Baldus C. mandati. l. mãdati. Quæ nobis etiã non displicet; licet Ost. aliter sentiat.

Quod attinet ad excommunicationem, Glos. c. cum quis de excommunic. lib. 6. tenet non incurrere: immo asserit, quod si non potuit mandatum dare mandatario ad reuocandum consilium antequam homicidium fieret, non est excommunicatus. Quoniam non incurritur excommunicatio, nisi homicidio perpetrato, & propter peccatum: at cum sit homicidium, iste non est in peccato, quoniam eum pœnituit, & quantum potuit, reuocauit consilium; igitur non debet pœnam incurrere.

De restitutione, nonnulli Canonistæ & Theologi, in quibus Gabriel, & Adrian. dicunt teneri ad restitutionem: quia ab obligationem restituendi, satis est, ut sequatur inæqualitas ex caussa influente, ut in hoc casu accidit. Licet ergo culpa sit remota: tamen quia sequitur inæqualitas ex caussa data, restitutio est facienda. Quo fit, ut animi mutatio, solum ualeat ad tollendam culpam. Verum aliquibus ista sententia uidetnr dura, ac propterea istum a restitutione liberum esse affirmãt: quoniam, quantum in se fuit, suum concursum remouit, & ita non debet censeri caussa istius effectus. Quare sola, & totalis caussa dicendus est ille, qui damnum infert, & ipse solus ex istorum sententia, restituere debebit. Atque hæc de eo qui iubet. De eo qui consilium dat, hæc pono dicta.

Pri-

Primum dictum, qui consilium dat minus influit in effectum, quam qui iubet. Quoniam solum disponit, & non mouet solus, ut is, qui mandat.

Secundum dictum, qui consilio mouet, restituere tenetur, etiamsi alius fui sset, qui consilium dedisset: & si eius consilio secutum est damnum, tenetur totum restituere. Quare uniuerse loquẽdo, nemo excusatur a restituendo, hoc prætextu, quod alius fecisset, uel damnum aliunde uenturum erat.

Tertium, qui consilium dat, aut sententiam alicuius confirmat ad furandum aliquid amplius, quam ille furari uolebat: tenetur ad restituendum id tantum, quod suo consilio acceptum fuit: ut si fur uolebat accipere solum decem, sed alterius consilio motus, furatus est uiginti; qui consilium dedit, debet decem restituere, etiã si dedisset consilium furandi uiginti. Hoc dixerim contra Adrianum: & ratio pro nostro dicto ea est, quia solum fuit caussa efficax surripiendi decem.

Quartum dictum, omnes qui ex officio, uel ex eminentia seu dignitate aliqua, ut sunt Aduocati, Curatores animarum, Theologi, Medici, & alij quibus fides solet, aut debet haberi, si scienter, aut ex culpabili negligentia, & ignorantia consilium nociuum præbent, sunt ad restituendum obligati. Doctrina est communis, quã speciatim Medina quæst. 7. tradit, eamque sequitur Nauarrus.

Quinctum dictum, idem dicendum est de alijs personis, quæ se ad consilium dandum ingerunt, si consilium perniciosum præbeant. Neque excusari possunt, quod bona fide dederint; cum ignoranter agant, & alienum officium usurpent. Siquidem, ubi intercedit culpa, uel imperitia, & negligentia, nihil ualet bonæ fidei prætextus, iuxta cap. si culpa tua, uel imperitia, de iniurijs, & damno dato.

Quod si idiotę & imperiti non se ingerant, sed de suo consilio requirantur, facilius ob ignorantiam excusantur, si bona fide & animo consilium non bonum præbeant:

beant:in his enim ignorantia, quæ in alijs esset crassa, censetur inuincibilis, quæ uim habet excusandi a culpa. Siquidem restituendi obligatio non ex damno illato, sed ex culpabili iniustitia nascitur, cuiusmodi reperitur in fraudolento consilio. Ex quibus dictis innumeros casus explicare licet.

Sed hic obijceret quispiam id, quod habetur. §. certum, Instit. de oblig. quæ ex delicto nascuntur, ubi dicitur, contra consiliantem non concedi actionem: igitur qui consilium dat, restituere non tenetur. Respondetur, hanc auctoritatem intelligendam esse in foro exteriore: potest etiam intelligi in eo casu, in quo alias effectus sine consilio erat futurus.

Rursus obijceret quispiam, consilium, non est caussa efficax; quia non mouet, efficaciter, sed solum disponit; igitur qui consilium dat non poterit dici caussa. Respondetur, negando antecedens: quoniam consilium in genere moris habetur pro caussa efficaci: & multa homines faciunt moti aliorum consilio, quæ alias non facerent. Atque hæc de consilio.

De consensu, qui dupliciter considerari potest, uel antequam fiat, uel post factum, qui est ueluti ratihabitio quædam, statuo hæc dicta.

Primum dictum, qui consentit damno, seu maleficio alicui inferendo peccat mortaliter, & restituere tenetur. Est communis doctrina Syluest. uer. rest. 3. quæst. 6. Nauar. in Enchir. cap. 17. numer. 133. & confirmatur ex regula illa, Agentes, & consentientes pari pœna puniũtur. Intelligendum est hoc dictum, quando ob consensum seccutum est detrimentum.

Secundum dictum, subsequens consensus, seu ratihabitio obligat ad restitutionem, quando scilicet ex hac sola caussa quis damnum dedit, quod alius esset id pro rato habiturus. Exempli gratia, ideo aliquis furatus est, uel hominem occidit, quia existimauit alium approbaturum, & pro rato, & grato habiturum, si iste pro rato habeat, restituere tenetur.

Decla-

Declarat hanc doctrinam Angelus in uerbo, furtum §. 20. quando qui nocuit,non nocuisset,nisi existimasset eum cuius caussa fecit,ratum habiturum,quæ explicatio non fuit necessaria , cum nunquam fortasse possit contingere , ut quis aliquid alterius caussa faciat , nisi existimet illi fore gratum . Verum,quando alicui opus esset gratum,non quia suo nomine fuit factum,sed alia de caussa, is non teneretur restituere,ut Nauar.bene ad notauit .

Huius dicti ratio,omissa communi auctoritate,sumitur ex regula Iuris lib.6.cap. Ratihabitionem,ubi habetur,ratihabitionem retrotrahi, & æquipollere mandato:idem habetur ex regula,Hoc iure,§. Deiecit ff. eod. at qui mandat restituere debet , igitur , & qui ratum habet.

Habent autem præfatæ regulæ uim non solum in iudicijs,sed et in maleficijs,& delictis;ut docet Glossa approbata,cap.Ratihabitionem,citato. Lege Nauar. nu. 33.cap.17.Quare,si seruus occideret domini inimicum sciens dominum approbaturum, & re uera si hoc audito,dominus diceret,eum bene fuisse, & ex sua uoluntate,restituere deberet: fuit enim caussa huius occisionis

De adulatore, seu laudatore,nomine, Palpo, in illis carminibus significato , idem dicendum est , quod de consentiente diximus, siue prius,siue posterius laudet, & aduletur;modo ex hac caussa illatum sit dânum.Verum,& qui laudat, & qui ratum habet rarius sunt caussa efficax illati damni .

De eo,qui furem recipit,qui significatur,nomine,Recursus .

Primum dictum,qui furem,tanquam furem recipit , in foro exteriori punitur:sed non eo modo,quo fur,sed ut qui opem præstat.

Nec est mirum si in foro exteriori qui furem recipit puniatur,quia præsumitur fuisse furti caussa .

Secundum dictum,quando receptio furis, aut maleficij est uere caussa ut maleficium fiat, quod alias non fieret,

ret,obligat ad restitutionem;quod non esset si fur,ut amicus,uel cognatus, uel alia de caussa reciperetur. Ita Ostiens. & Innocent. cap. sicut dignum., de homicidio Et hęc de recipiente. Sequeretur nunc ut de participante ageremus; de quo,cum latius,dicendum sit, priuatā disputationem statuemus : sed antequam eam aggredior,ad argumenta initio huius disputationis posita,respondebo,

Ad primum, qnod attinet ad primum casum in hoc argumento allatū,dicam infra in priuata quæstione,de eo qui minus malum suadet. Quid dicendum sit ad secundum casum,patet ex ijs quę diximus de consilio in quarto dicto. De tertio respondet Medina, quod si is qui comitatur caussa impediendi damnum,suam uolūtatem manifestam fecit ei, qui damnum passus est, ad nihil tenetur:si non manifestauit,& qui læsus est,potuit præsumere aduenire contra se,tunc debet restituere.

Ad secundum,satis est,ut aliquis sit caussa inæqualitatis,ad hoc vt restituere debeat,etiamsi nihil accipiat: unde patet etiam ad tertium.

Ad quartum, re vera rarius qui ratum habet dicetur damni caussa,quia ratihabitio,se sola,non gignit obligationem ad restituendum in foro conscientiæ, nisi sit caussa,ut alienum detineatur, aut pro eo non satisfiat; uel quia, qui ratum habet non prohibuit, aut non remouit voluntatem eius, qui suo nomine damnum dedit,& factum non puniuit,sed approbauit, ac proinde dignus est,qui restitutionis pœna puniatur: idem de eo qui laudat dicas.

Qua ratione a participantibus facienda sit restitutio.
Quæstio LXVII.



Vęsito proposita de restitutione facienda a participantibus, uaria habet capita: quæ prius ob oculos proponam, deinde distincte ad singula respondebo.

Participans tribus modis potest se habere. Vel enim

nim participat in opere tantum, ut qui concurrit ad damnum inferendum, & nihil utilitatis inde capit: vel re tantum, ut qui non concurrit ad furtum, sed rei furto acceptæ partē habet: uel denique & opere & re ut cū est in caussa ut furtū fiat, & partem rei alienę capit.

Rursus, in hac difficultate hęc omnia explicāda sūt, primum an participantes in opere teneantur: secundū, an in solidum: tertium, an uno restituente, alij restituere debeant: postremo, an si uni a creditore remittatur restitutio, alij sint a restituendo liberi. Et quamuis ex dictis iam satis pateat quid de participante in opere dicē dum sit; tamen, hic explicatius uniuersam doctrinam hac de re complectemur.

Antequam autem conclusiones proponantur, animaduertendum est, participantes duobus modis posse conuenire: primo quādo unus eorum est princeps caussa & auctor mali, ita ut alij non essent facturi, nisi ipso auctore, & duce. Secundo, quando omnes æqua ratione conueniunt, ita ut unus non pendeat ab alio: ubi de eo qui est caput, distinguendum est, solus fuisset aggressus nec ne.

Rursus, qui principem furti iuuant, alias non furaturi, aut accipiunt aliquid ex re furto accepta, aut non accipiunt, ut contingeret, si domum euerti ssēt, uel prædā in flumen ne caperentur proiecissent. Item distinguendum est de concurrentibus in actu, an sint caussa totius damni an uero partis tantum.

Possūt autem plures esse caussa totius damni tribus modis: primo, cum damnum non potuit ab uno solo fieri, sed a pluribus simul. secundo, quando etiam singuli potuissent; sed tamen sic conueniunt, quod unus sine alio non fecisset; ut patet in domus combustione, quā unus ex se posset sine alio incendere: tertio, quando singuli dant sufficientem caussam, licet non sint simul caussa, & unus non pendet ab alio, ut si duo incēderetur domum, & unus nesciret de alio. His ita propositis distinctionibus, has statuo conclusiones.

Prima

Prima conclusio, falsum est, uniuerse loquendo, eum qui consilio iuuat, teneri insolidum, & eum qui dat auxilium, solum in parte. Est hæc conclusio contra quosdam Iurisperitos, & speciatim contra Innocent. capi. sicut dignum, de homicidio. Quoniam, ut per consilium possumus ex parte nocere, ut supra diximus, ita per auxilium, simpliciter damnum inferre. Quo fit, ut contrariæ sententiæ fundamentum nullum sit, cum dicunt, consilium ferri in totum damnum, auxilium uero in partem damni: quia, cum plures æqualiter concurrunt, æquali modo sunt obligati, omnes nimirum in solidū.

Secunda conclusio, falsa est opinio eorum qui dicunt omnes concurrentes ad detrimentum inferendum esse æqualiter obligatos, ut priuate sentire uidetur Ostiensis. Quæ autem pro ista sententia afferuntur leges, uel sunt pœnales, & procedunt in foro exteriore, uel intelligendæ sunt, cum omnes æqualiter conueniunt. Quoniam cum possint inęqualiter concurrere, inęqualiter etiam ad restituendum erunt obligati.

Tertia conclusio, qui fuit quasi princeps, & caput aliorum ad damnum inferendum, cuius auctoritate alij mouentur, est simpliciter obligatus, & magis, quam alij, ad restituendum. Doctrina est plana, & communis, quæ probatione non eget.

Quarta conclusio, quando plures conueniunt, sub vno capite, omnes sunt obligati conditionaliter in solidum; hoc est, non restituente principali, alij restituere tenentur. Est conclusio satis manifesta ex dictis.

Quincta conclusio, uno ex participantibus in delicto restituente, alij debent ei pro rata restituere, non ratione acceptionis, sed ratione rei acceptæ, hoc est, quia retinent partem, quam debent restituenti reddere.

Sexta conclusio, cum ex damno illato nihil utilitatis perceptum est, vt patet in domus combustione, primo auctori, si ipse restituit, nihil ab alijs reddendum est; quia socij nec ratione acceptionis, nec rei acceptæ tenentur igitur: Quod si ille non intulisset damnum abs-

que socijs, aliquid ei esset reddendum, ut Sotus scribit.

Septima conclusio, quando singuli se sua sponte obtulerunt ad inferendum damnum, quisque quam accepit partem eam restituere debet; hoc est, quando non sunt simul caussa aut, non integra caussa, ut supra exposuimus, nemo tenetur in solidum, sed quisque pro sua portione. Est ergo vniuersalis regula, quando socij ita nocent, quod furti auctor sine eis non nocuisset, omnes in solidum tenentur, quando alias nocuisset, solum pec cant mortaliter, & non tenentur restituere, cum non sint caussa; quando vero sunt caussa partis damni, partem restituere debent. Ex quibus colligere licet, concur rentes, siue socios interdum esse obligatos in solidum, interdum ad partem, interdum ad nihil.

Quod attinet ad participantem in re tantùm, duo de eo quęruntur: vnum an debeat restituere, eam furti par té, quæ ad se peruenit, & de hac re nihil est dubij, quin ratione rei acceptæ, quam mala fide obtinet, restituere debeat: quod si bona fide accepit, vbi resciuerit, tenetur solum id reddere, quo factus est locupletior, vt supra scripsimus. Alterum, cui restituere debeat, & de hoc alio dicetur loco.

De participantibus in opere & re, hoc est cum singu li priuato actu concurrunt, & certam partem rei alienę accipiunt, non nihil supra diximus, nunc aliquid aliud adijciemus. Hic tres sunt casus, qui difficultaté faciunt.

Primus, de quo supra meminimus, de pluribus ingre dientibus in vineam, & quisque racemum accipit. Quia cum dominus vineę graue patiatur damnum, durum est, si dicamus ei restitutionem non esse faciendam.

Secundus de eo, qui diuersis temporibus singulos racemos, vel fructus ex alterius agro capit.

Tertius de eo, qui ex varijs agris singulas, aut paucas spicas colligeret, vel de eo, qui singulas panis, aut carnis vncias, varijs temporibus ex iusto pondere detraheret, an iste teneatur restituere, cum singula furta sint leuissima peccata uenialia: quod si non teneretur qui-

uis

uis temporis ſpatio, furando, ſine graui peccato, diues fieri poſſet. De quibus ſtatuo has alias concluſiones.

Octaua concluſio, quando illi plures ita concurrerent, vt vnuſquiſque eſſet cauſſa cur alij etiam damnũ darent, quiſque teneretur ad reſtituendum in ſolidum. Patet hęc concluſio ex dictis.

Nona concluſio, ſi ſinguli ſcirent de damno etiam per alios illato, quiſque teneretur reſtituere ſuam partem, ſub peccati mortalis pœna. Quia omnes ſciũt damnum notabile proximo fieri, aut factum eſſe, ad quod cooperati ſunt. Exiguitas autem tunc excuſaret, quando damnum non eſſet notabile.

Decima concluſio, quando ignoraretur damnum per alios illatum, ita, ut quiſque exiſtimaret ſe ſolum racemum accipere, ſtante hac ignorantia inuincibili, nemo peccaret mortaliter, & a reſtitutione quiſque eſſet liber: quod ſi damni haberetur notitia, facienda eſſet reſtitutio, vt nona concluſione eſt dictum.

Vndecima concluſio, cum ab vno ſępius infertur paruum damnum, tunc tenebitur reſtituere, cum ad eã quantitatem deuenerit, quę pro notabili damno communiter reputari ſolet. Quantum autem in particulari pro notabili damno haberi debeat, id indicio boni uiri relinquitur. Sed fingamus viginti racemos ex vinea decerptos inferre notabile damnum, an ſatis ſit vnum reſtituere, cum per reliquos non ſit illatum damnum notabile: reſpondet Medina, debere reſtitui pro omnibus: quia tunc perinde eſt, ac ſi omnes ſimul abſtuliſſet: nihil enim refert, an paulatim, an vna tantum vice notabile damnum inferas: adde etiam, quod reſtitutio ęqualitatem requirit.

Duodecima concluſio, quando vnus pluribus minuta damna inferret, ſi ratione neceſſitatis, vt poſſet viuere, ſeu familiam alere, id faceret, non peccaret mortaliter, nec reſtituere teneretur, cum nemini notabile dãnum inferat. At vero ſi diues eſſet, vel haberet vnde competenter viueret, peccaret mortaliter, & reſtituere

Hh 2 tene-

teneretur, si particularia furta ita committeret, ut magnam quantitatem acquirere intenderet. Ac si ex communi plurium sociorum cumulo, magnum quid sumeretur, sed respectu singulorum, damnũ esset minimum: vt Medinę q.10. in fine placet.

Restat aliud caput, quid dicendum sit, cum vni remittitur, aut condonatur restitutio: pro cuius rei explicatione finge casum, tres fures spoliasse mercatorem, qui duobus restitutionem condonauit, tertio minime; quęritur, an iste teneatur ad restitntionem totius damni: & missis rationibus, quę in vtramque partem fieri possent, de hac dubitatione ita statuo.

Duodecima conclusio, qui læsus fuit, cum habeat actionem in omnes, pôt cui vult actionem condonare & agere contra eum, cui nó vult actionem remittere: conclusio est manifesta, quia cum sunt plures obligationes potest una remitti, non remissa alia.

Decimatertia, illi quibus actio remissa fuit, remanẽt in conscientia obligati ad restituendum pro rata, ei qui pro toto damno satisfecit.

Decimaquarta, si læsus condonauit etiam restitutionem, & malefici fuerunt in furto pares, is cui non est condonata, tenetur restituere pro rata. Verum si is, cui condonatur fuisset primus auctor, qui alios induxisset, cæteri ad nihil tenerentur.

De restitutione facienda a participantibus in actu, sed negatiue. *Quæstio* LXVIII.

EX nouem modis, quibus aliquis conuenire potest cum alio ad damnum inferẽdum, sex hactenus explicuimus, restant alij tres, qui negatiue furem iuuant, nimirum, mutus, nó obstans, non manifestans. Quod autem isti sint ad restituendum obligati, his potest rationibus demonstrari.

Primo, illi qui consentiunt, vt supra est probatum, restituere debent; atqui omnes isti uidentur consentire,

quia

quia cum possint damnum proximi impedire, non impediunt; igitur.

Secundo auctoritate diui Hieronymi, quæ habetur c. qui cum fure, titulo de furtis, qui asserit, eos esse fures, qui furem non reuelant: qui igitur non manifestat furem tacendo, tanquam fur erit ad restitutionem obligatus.

Tertio, quia multi canones appellant homicidas omnis eos, qui cum possint alterius uitam tueri, non faciũt, ita habetur dist. 86. Can. Pasce, ubi æquiparatur is qui fratrem perire permittit, ei qui occidit. 23. quæst. 3. & dist. 83. in principio: & 22. quæst. 5. Can. Hoc uidetur, qui fratrem a peccato non reuocat, cum possit, & tacet, iniquitatem portat. Idem probare licet ex cap. sicut dignum, de homicidio, qui non occidit, sed homicidam comitatur, vt homicida punitur. Huc facit illud Prouerbiorum c. 29. qui cum fure participat (quod omnes isti facere uidentur) odit animam suam.

Quarto ex Innocentio cap. quantæ, de sententia excommunicationis, ubi ait, quod si quis uiderit clericũ male tractari, & potest eum defendere, & non defendit, incurrit sententiam excommunicationis, ergo cum iste grauiter peccet, ob quam caussam excommunicationẽ incurrit, cum non defendat, erit etiam restitutioni obnoxius.

Quincto, contra uero, posset quis arguere, quod isti, non modo non teneantur restituere, sed etiam, quod nec mortaliter peccent: quia præcepta caritatis non obligant nisi in extrema necessitate: ergo, ista necessitate remota, ni manifesto, aut nõ impedio maleficium, nihil pecco.

Vt autem auctorum opiniones circa hanc difficultatem intelligantur, animaduertendum est, ad hoc ut aliquis sit obligatus ad restitutionem, quãdo indirecte est caussa mali, tria esse necessaria: primũ ut possit impedire: alterum ut sit obligatus ad impediẽdum: postremũ, ut non impediat. Posito igitur, quod aliquis possit, de-

beat,& non impediat alterius damnum,quæritur,an sit obligatus restituere: de qua re sunt tres Doctorum sententiæ.

Prima eorum,qui dicunt, quod si facili negotio impedire possit,& non impediat,restituere debet. Vt ecce, si uiderem duos inter se pugnantes, & possem eos uerbo impedire,ne sibi mutuo nocerent,ni facio,debeo restituere ei, qui damnum fuerit perpessus. Ita Ioannes Maioris in 4.sent.distinct.15.quæst.26.Caietanus in sua summa,uerbo,Restit.modo necessitas urgeat.Ioan.Andreæ, in cap.Quāto, de sententia excommunicationis.

Secunda sententia aliorum,dicentium,quod qui potest impedire,& ex odio, non impediat, restituere debet,Ita Richar.in 4.sent.dist.15. art.4.quæst 5.Innocen. cap.quanto, de senten.excommunic.Panormit.ibidem, & uīdetur etiam Scoti.

Tertia sententia aliorum,qui existimant istos simpliciter non esse obligatos ad restituendum, nisi quando ex officio impedire tenentur.Ita diuus Tho.2.2, quæst. 62.art.7.Medin. quæst.9.& est communis opinio. Vt autem huic dubitationi satisfaciam, hæc statuo fundamenta.

Primum fundamentum,in quo afferam nonnullas distinctiones,ad facilem & plenam huius dubitationis resolutionem necessarias. Prima distinctio,duobus modis aliqua persona potest esse obligata ad remouendū damnum,uno modo ex officio, ut sunt Iudices, & ministri iustitiæ, & qui ad id faciendum pretio sunt conducti, ut Syluarum custodes:altero ratione caritatis,quę suadet, & obligat ad curandum proximi bonum: caritas enim non quærit quæ sua sunt:& unicuique Deus mandauit de proximo suo.

Secunda distinctio, aut impedimentum potest adhiberi sine detrimento prohibentis,aut nō sine detrimento;in quo etiam magnitudo & paruitas spectanda est:& pariter,an pro communi, an uero pro priuato bono sustinendum sit.

Ter-

Tertia, hic quæri potest, tum de damni restitutione, tum de solutione pœnę impositę ijs, qui cum debent, malum impedire non impediunt.

Secundum fundamentum, in quo explicanda est ratio, ob quam qui non defendunt ex caritate, non sunt obligati ad restitutionem, ut ij qui non defendunt ex iustitia. Nauarrus in Enchiridio cap. 17. num. 11. cum docuisset ex communi sententia Alexandri, Altisiodorensis, & aliorum necessitatem restituendi oriri ex transgressione uerę & specialis iustitiæ, per quam aliquod damnum cuipiam infertur, non autem ex transgressione legum caritatis, hanc assignat rationem, quod transgressio caritatis, & aliarum uirtutum, non ordinantur per se, & directe ad ablationem alicuius rei exterioris, sed solum per accidens & indirecte; quia per has uirtutes immediate & principaliter uersantur in actibus interioribus: citatque doctrinam diui Thomæ 2. 2. quęst. 85. art. 7. ad primum, & ar. 8. At uero transgressio legum iustitiæ per se uersatur circa actus externos, & ita directe ordinatur ad auferendum id, quod est alterius: iustitia enim est ad alterum: & ideo ex tali transgressione oritur obligatio ad restituendum.

1. Cæterum, hæc explicatio non omni ex parte placet: siquidem aliæ quoque uirtutes a iustitia, versantur per se circa actus exteriores: & iustitia, etiam per se & immediate refertur ad moderandas animi passiones interiores. Non igitur ista ratio sufficiens esse uidetur Dices igitur, hanc esse rationem, quod debitum in alijs uirtutibus est debitum honestatis: supra quod per virtutē iustitię additur aliud debitum, quod qui transgreditur, inęqualitatem introducit: qui enim accipiunt mercedē ad custodiendum, aut officium ad iustitiam conseruandam, si hoc ius non seruent, sunt iniqui: & alterius ius lædunt, quod non faciunt, qui non sunt iustitię debito adstricti. His ita adnotatis, ad propositam difficultatē respondebo per aliquot conclusiones: & primo dicam de ijs, qui tenentur ex officio, postea de custodibus, po-

ſtremo de alijs, qui ex caritate.

Prima concluſio, qui tenentur ex officio aliena damna impedire, ni faciant, uniuerſe loquendo, mortaliter peccant, & debent reſtituere. Patet hæc concluſio ex cōmuni doctrina, & ex ſecundo fundamento: ad hoc enim tributa, ſe ſalaria dantur, ut officio ſuo fungantur, & iuſtitiam conſeruent; quare, cum debeant, & poſſint, ſi non faciant, ſunt vera iniuſtitiæ cauſſa. Ex hac concluſione innumeros explicares caſus, qui quotidie poſſunt incidere in omnibus perſonis, quæ ex officio iuſtitię adminiſtrationem ſuſcipiunt.

Secunda concluſio, quando non poſſunt alterius bonum defendere ſine magno uitæ, uel famæ periculo, nec peccant, nec reſtituere debent. Quoniam non ſunt obligati quomodocunque ad iuſtitiam defendendam, ſed cum modo & ratione, nec ſuſcipiunt tale munus cū tanto periculo adminiſtrandum.

Tertia concluſio, pro defenſione boni communis, is qui eius curam gerit, debet uitę & famæ periculum ſubire. Quoniam pluris & faciendum publicum bonum quam priuatum: intellige hanc concluſionem cum agitur de re maioris momenti. Quod attinet ad cuſtodes, qui mercedem pro cuſtodia facienda accipiunt, de quibus alio loco nonnihil diximus, & eadem fere eſt ratio, cum ſuperioribus, ſequentes pono concluſiones.

Quarta concluſio, ſi iſti nō prohibeant damnum peccant mortaliter, & reſtituere tenentur, his caſibus exceptis: primo quando non impedirent eum, qui extrema laboraret neceſſitate: ſecundo, quando prohibitio, exēpli gratia paſcendi, eſſet iniuſta: tertio quando aliqua iuſta adeſſet permittendi cauſſa. Quod ſi dicas, qui accipiunt exempli gratia ex bonis communibus, non tenentur reſtituere; igitur nec cuſtodes, reſpondetur ex Medina, hunc eſſe priuatum caſum, in quo principalis dāni auctor non tenetur reſtiture, & qui eſt minus principalis eſt obligatus, ſed tamen ob diuerſam rationem.

Quincta concluſio, cuſtodes non tenentur ad ſoluendam

dam pœnam ipsis impositam, si permittant ex negligentia damnum fieri, nisi post sententiæ executionem. Similiter, non tenentur restituere, si quid acceperunt ab ijs, quos damnum inferre permiserunt, ut patet ex ijs quæ disputauimus de rebus ex maleficio acceptis, intellige quando non accipiunt aliquid de rebus furtiuis.

Quod si dicas, si isti uenirent in manus iudicis punirētur ut latrones, ergo restituere debent, Respōderem, istos isto pacto iure puniri, ob iustam præsumptionem.

Peteres, an si isti interrogētur a domino, an aliquem furem damnum inferentem uiderint, & negent ueritatem, ad restitutionem teneantur. Respondetur, si non interrogentur iuridice, nō tenentur respondere: si uero iuridice, & ueritatem negent, tenentur restituere, quidquid damni ex tali negatione dominus patitur. Quæ hactenus docuimus intelligenda sunt iuxta ea quæ, de restitutione ex culpa facienda postea dicemus. Quod attinet ad debitum caritatis, has subijcio conclusiones.

Sexta conclusio, qui ex caritatis officio impedire possunt, & non impediunt, idque iusta de caussa ob magnū nimirum detrimentum, quod caperent, non peccant, nec restituere debent. Est Adriani conclusio, quam confirmat hæc ratio ex diuo Thoma sumpta 2. 2. quæst. 26. quia nemo tenetur alijs subuenire, cum proprio uel alieno notabili damno.

Septima conclusio, quando nullum sequeretur damnum, aut minus damnum, quam proximus patitur, qui non occurrit, in re maioris momēti, mortaliter peccat. Quoniam quisque tenetur diligere proximum ordinate: at id requirit ordinata caritas igitur. Huc facit auctoritas illa ex Ambrosio superius citata. Potest tamen in his casibus, qui passus est damnum, ad alterius detrimētum impediendum, si id fecit extra casum necessitatis extremę, repetere damni, quod pateretur, compensationem.

Octaua conclusio, nunquam tenetur ad restitutionē, qui non defendit rem alienam, si non est obligatus ex offi-

officio, quãuis necessitas urgeat. est hęc conclusio contra duas sententias supra citatas. Quæ efficacissime probatur ex ijs, quę tota hac tractatione hucusq. diximus & ex secundo fundamento. Verum tamen est, quod qui ex odio id faceret, multo grauius peccaret. Ex his conclusionibus nonnulla colliguntur corrolaria.

Primum, nemo tenetur impedire alterius detrimentum, quando illud per iustitiam cuipiam infertur. Neque obstat illud Sapientis dictum, Prouerbiorum. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: quoniam etiam si possem eos liberare, non tamen sum obligatus cũ mors iuste infligatur. Quod si Princeps uellet capite damnatum uendere, possem illum mihi emere in seruum: potest etiam ista auctoritas intelligi de eo, qui iniuste dãnatur, ut quidam docent.

Secundum, si homo magnæ auctoritatis & grauitatis uideret aliquos inferiores notæ homines rixantes, sine uitæ periculo, etiamsi posset, illos a rixa distrahere, tamen non teneretur, quoniam id sine famæ & auctoritatis iactura facere non posset: quod si periculum esset graue, puta, mortis, & se illud impedire posse existimaret, esset ad id obligatus.

Tertium, virum doctum ac prudentem non esse obligatum ad reprehendendum aliquem concionatorem, minus prudenter de aliqua re publice loquentem: quia id non fieret sine maiori scandalo, maiorique periculo, ac perturbatione; deberet tamen priuatim postea illum corrigere. Secus dicendum esset, si concionator ille aliquid publice contra fidem diceret, tunc enim publice reprehendi posset.

Quartum, si quis ex officio esset obligatus ad concionandum, ubi esset aliquis hæreticus, qui errores disseminaret, is ex iustitia eum corrigere, & impugnare deberet, cõtrariumque docere, & quantum in se esset, persuadere: quod si non faceret, remaneret semper obligatus ad id faciendum ex iustitia. Aliter tamen dicendum esset de ijs, qui id ex officio præstare non sunt obligati,

qui

qui solum peccarent mortaliter, quando id possent efficere.

Postremum, ut alia multa omittam, si dominus præciperet suo œconomo, aut famulo, ut pecunias in pauperes dispensaret, & id non efficeret, peccaret quidem eas non distribuendo, sed non teneretur restituere: faceret enim solum contra caritatem. Atque de conclusionibus hactenus; restat ut allata argumenta soluantur.

Ad primum, negatur minor propositio: illi enim qui ex officio non debent prohibere, non dicuntur uere cõsentire, cum consensus proprie is dicatur, qui exprimitur, aut si non exprimitur, exprimi tamẽ debet. Quare, uniuerse loquendo, qui negatiue damnum inferunt, nõ semper tenentur, nec semper pecant, sed aliquando peccant, & restituere tenentur: aliquando peccant, & non tenentur restituere: aliquando neutrum.

Ad secundum ex Hieronymi auctoritate sumptum, ex qua aliqui uniuerse colligunt, omnes qui veritatem cælant teneri ad restitutionem; sed non necessario inducunt, tu hunc in modũ responderes; qui furem, aut rem furtiuam occultat, perinde peccat, ac si ipse furtum fecisset, apud Deum: secus, si ueritas in iudicio negaretur: quia tunc peccaretur contra iustitiam, si iuridice interrogaretnr.

Ad tertium, illæ omnes auctoritates intelligendæ sũt de obligatione ex caritate: addẽ ẽt, quod locutiões illæ prolatæ sunt a Sanctis Patribus per amplificationem & exagerationem, contra eos qui fratri in necessitate posito, non subueniunt. Illud autem, quod habetur cap. sicut dignum, non facit ad rem, quia non sumus in casu pari. Etenim, qui se socium præbet ei, qui uult occidere, non se habet, ut caussa negatiua, sed ut caussa iuuãs. Adde etiam quod intelligitur de pœna in exteriori foro sumenda.

Ad quartum, uariæ sunt huius argumenti solutiones, quarum prima est eorum, qui dicunt intelligendum esse de illis, qui ex officio alterius malum prohibere tenen-

nentur. Sed non uidetur bona limitatio cum vniuersaliter loquatur.


Secunda Glos. & Ioan. And. ibidem, qui aiunt intelligendum esse de omnibus, supposito tamen quod faciat ex odio. Sed neque hæc responsio placet, ob eandem rationem, quia textus uniuersaliter loquitur, adde etiã quod non includerentur illi qui ex officio id facere tenentur, si ab eis remoueres odium.

Alij restringunt ad Parochum, quando scilicet inferiores uident Parochum male tractari & non defendũt. Sed neque hæc responsio admittenda est, cum uniuerse pronuntiet. Adde etiam quod inferiores non tenentur ex officio & iustitia ad id faciendũ, sed ex sola caritate.

Dicendum est igitur Pontificem loqui in foro exteriori secundum præsumptionem: quia præsumendum est consensisse, cum potuerit iuuare, & non fecerit. At uero in foro interiori, ni re uera proprio concurrat consensu, non est excommunicatus. Adde etiam, quod fortasse uoluit illum excommunicare ob peccatum.

Ad ultimum patet ex dictis, præceptum enim caritatis obligat quando proximus est in extrema necessitate in qua ipse non potest sibi subuenire, ut patet Exod. 23. & Deuter. 22. Quod si is, qui iuuaretur esset diues, teneretur pro suscepto labore aliquid retribuere.

An aliquando liceat suadere minus furtum, siue malum, ut uitetur maius. *Quæstio LXIX.*



T plene explicetur quoddam argumenrum superius allatum, in quo hæc attingebatur difficultas; propterea a nobis hęc quæstio examinãda est: cum nõ sit a nostro instituto aliena, atque scitu indigna; & ideo, paullo accuratius examinanda erit.

Potest autem duobus modis tractari: altero quidem uniuerse, quærendo an minus malum, siue peccatũ suadere liceat: altero, contrahendo eam ad aliquod pecca

ti genus;vt ad maius, & minus furtũ : nos utroq; modo eam tractabimus, breuiter tamen. Quod autem minus malum suadere non liceat,his potest rationibus demonstrari.

Primo,auctoritate diui Pauli ad Romanos cap.3.dicentis non esse facienda mala, vt inde eueniant bona: at qui dat consilium de minori malo faciendo, vt vitetur maius, malum facit,quia mouet ad faciendum id, quod est uere malum;igitur.

Secundo,mihi,exempli gratia, non licet facere minus malum, ut aliud maius vitem: igitur neque etiam mihi licebit id alteri suadere.

Tertio,inducere ad minus malum, simpliciter loquẽdo,est inducere ad malum,quia minus malum continetur intra latitudinem mali:igitur.

Quarto,si minus malum consulere licet,licebit quoque æquale cõsulere, quod videtur expresse falsum,Ex quibus colligeres,quod is,qui suaderet minus furtum, teneretur restituere.In hac quæstione duæ sunt scriptorum sententiæ.

Prima eorum qui existimant nunquam licere suadere minus malum,vt vitetur maius:Ita Gabriel Caietanus 2.2.q.78.art.4. & quidam alij.

Secunda setentia Adriani,quolib.1.q.2. in responsione ad tertium.Sylu. ver.vsur.Nauar.& Soti in commen. in c.3. epist.ad Rom.& lib.6.de iust. & iur. q. 1.art.5. qui Doctores putant interdum licere suadere minus malum ad vitandum maius.Nos,ut huic dubitationi satisfaciamus, vnicum ponimus fundamentum, in quo duas ponemus distinctiones.

Notandum ergo est, dupliciter se habere potest is, qui vult facere maius malum: primo modo, vt cogitet de maiori malo faciendo, sed nondum habeat animum firmum ad illud perpetrandum: secundo, quando iam est animo obstinato ad maius malum committendum. Et qui hoc est affectus, rursus dupliciter se habere potest: primo,cum est determinatus ad maius malum, &

de minore nihil cogitat: secundo, cum habet animum ad utrunque malum, ita vt uelit omnino alterutrum committere, sed nondum decreuerit utrum.

Rursus, qui uult aliquem retrahere a maiori malo du pliciter se habere potest: primo offerendo ei materiam minoris peccati, ut patebit in exemplis postea afferendis: altero, suadendo, & inducendo ad minus malum. Hæc igitur dubitatio intelligenda est, quando nulla est alia uia ad uitandum maius malum, nisi suadatur minus, & quando certissimum est fore, ut grauius quis pec cet, nisi ad minus peccatum inducatur. His positis distin ctionibus, has affero conclusiones.

Prima conclusio, ei, qui est omnino paratus ad maius malum faciendum, licet proponere materiam minoris mali. Hæc conclusio his confirmatur rationibus.

Primo ex communi Doctorum sententia, Ita diuus Thomas. 2.2. q. 78. art. 4. ubi docet licere sumere ad usu ram ab eo qui est paratus dare, si propter aliquod bonum fiat. Caietanus hoc idem fatetur, Sotus, & alij.

Secundo ex facto uirorum Sanctorum. Lot Genes. 19. dedit occasionem sodomitis, ut maius uitaret pecca tum, dum dixit, se filias educturum, ut eis abuterentur, &c. Ieremiæ cap. 41. Decem uiri obtulerunt Ismaheli thesauros, ne ipsos occideret.

Tertio, præbere occasionem minus peccandi, uolenti peccare, dummodo non adsit intentio inducendi ad pec catum, non est peccare: igitur licebit. Vt exempli gratia si femina formosa proficisceretur ad ecclesiam, præberetque occasionem concupiscentiæ, etiamsi sciret mul tos eam concupiscere debere, modo id non intenderet, nihil peccaret.

Secunda conclusio, quando aliquis esset omnino paratus ad faciendum unum ex duobus inæqualibus malis, & non esset alia ratio impediendi maius, tunc liceret huic suadere minus. Hæc conclusio est contra primam sententiam in fauorem secundę, quam his rationi bus confirmo.

Primo

Primo auctoritate sanctorum,& primum Augustini, lib.de adulterinis coniugijs ca.15. & habetur 33.quęst. 11.can.si quid, ubi suadet,ut potius uxore uiuente alteram quis ducat,quam adulteram occidat.Si enim, inquit facturus est,quod nó licet,iam faciat adulterium, ut non faciat homicidium. Idem docet Gregorius lib. 32.moral.cap.55.cuius doctrina recitatur,Can.Nerui, dist.13.Idem docetur ex concil.7. Toletano,eadem dist. can. Duo, Chrysosto. hom.27.ad populum Antiochenum docet,ei, qui solitus est iurare,consulere,ut iuret per caput suum, quod est minus malum, ne iuret per Deum.

Secundo, tale consilium habet bonum obiectum,bonumque finem sine ulla mala circumstantia: erit igitur bonum: quod ad finem attinet, res est certissima; quod pertinet ad obiectum patet, ex maxima illa Aristotelica, quæ habetur etiam,Can.Duo,& Can.Nerui, ante citatis,e duobus malis minus esse eligendum. Quare, cum eum qui indifferens est ad occidendum, uel mutilandum,ad hoc suadeo,modo sit certus alterum efficere,nihil mali ei suadeo.

Tertio, si hoc consilium est malum, maxime,vt aduersarij arbitrantur, quia suadeo peccatum; quod est falsum, cum iste iam apud se constituerit alterum efficere.Adde etiã,ut de Domino Caietano loquar, quod ipsemet sententiam mutauit,in summa,uer.tyrannis.

Tertia conclusio,ei qui est paratus ad faciendum maius malum, non licet consilium dare, ut faciat minus malum: quod intelligendum est, etiamsi per hoc consilium auerteretur a maiori malo. Hæc conclusio non est ita certa,ut sunt duę superiores,cum aliqui contrarium probabile existiment.

Hanc conclusionem probant argumenta initio quęstionis facta: quoniam qui hoc suaderet, induceret, simpliciter loquendo,ad malum,cum iste nihil de hoc malo cogitet: quare, si quis suaderet hominem uolentem aliquem occidere,ad alium leuiter percutiẽdum,

is

is nō iniuste ageret, si id liceret suadere, quod est minus malū: quod omnino uidetur absurdum. Licet tamē permittere minus malū, vt uitetur maius; qua ratione permittūtur lupanaria, ut uitentur adulteria: quia permittere, non est inducere. Est etiam contrarium fortasse probabile; quod posset confirmari ex facto Lot, qui filias obtulit eis, qui de illis non cogitabant.

Hoc factum August. can. Quod ait, dist. 14. reprehendit; diuus uero Ambrosius can. offerebat sanctus, 32. q. 7. exclusat. Glossa in decret. uidens hos duos patres, & textus inter se dissentire, eos conciliare conatur. Auctor Cathenæ super Genes. excusat factum, quia Lot non proposuit filias ut illis abuterentur, sed ut hac sua liberalitate uicti, abstinerent a malo. Et re uera interdū homines ad aliquod maius malum fugiendum, solet ita se erga improbos gerere.

Et ut, quod sentio aperte fatear, nullo modo, hoc factum damnandum esse arbitror: tum quia gesta Sanctorum hominum, cum non sunt expresse mala defendenda sunt, & præsertim hoc, quod optime defendi potest, ut patet ex dictis: tum etiam quod a diuo Petro in sua 2. Canonica, cap. 2. Lot iustus appellatur. Cum autem hic iustus homo dixit, se educturum filias, ut eis abuterentur, non fuit suasio, sed simplex minoris mali propositio, Cuius verba hanc faciunt sententiam, Abstinete a iuuenibus istis, & si quid peccati committere uultis, potius abutimini filiabus meis. Est enim frequentissima apud Hebræos loquendi forma, ut quod est comparatiue intelligendum, sine particula comparatiua pronuntient, Vt cum dicitur, Cœlum transibit, &c. hoc est, potius cœlum transibit. Et si quis uellet hominem incitatum ad grauiter lædendum eum, quem unice amat, ei diceret, percute me, uel in me iniuriam istam infer, & ab amico offendendo abstine, hoc est, potius uelim me percuteres, quam illum: qui profecto nihil mali suadere uidetur. Minus itaque placet Soti doctrina, qui hoc factum reprehensione dignum putat.

Quar-

Quarta, concluſio, ſi loquamur de maiore & minore malo perpetrando in genere iuſtitiæ, ſi maius, & minus malum inferendum non ſunt reſpectu eiuſdem hominis, nulla ratione licet ſuadere minus malum. Vt ſi quis uellet furari uni centum ducatos, non licet ſuadere ut furetur alteri viginti. Quoniam unus non debet iniuſtitiam, & damnum pati pro alio. Qui igitur id ſuaderet, reſtituere teneretur.

Quincta concluſio, quando maius & minus damnum eſſent reſpectu eiuſdem, is qui diſſuaderet maius, ut fieret minus non teneretur reſtituere. Ita Adrian. & Sot. lib. 6. q. 7. art. 3. Etenim ſine iuſta ratione dominus huius damni reſtitutionem peteret, cum per huius ſuaſionem minus damnum acceperit. Quo fit, ut non ſit eadem omnino ratio de peccato contra iuſtitiam, & de ijs per quæ non uiolatur iuſtitia. Atque ex his, concluſionibus quid de propoſita difficultate ſentiẽdum ſit, plane perſpicitur: quod adhuc magis ex argumentorum ſolutione patebit.

Ad primum, qui minus ſuadet malum ei, qui eſt ad utrunque paratus, non facit malum, ut inde eueniat bonum, ut patet ex dictis: electio, n. minoris mali eſt bona.

Ad ſecundum, non eſt par ratio, quandoquidem in mea manu eſt, facere & non facere minus, uel maius malum: ſed non eſt in mea poteſtate remouere alium a maiore malo, niſi hortando ad minus, id enim ſupponimus, ut non ſit alia peccati uitandi ratio. Quo fit, ut nõ poſſim pro me capere id conſilij, quod alteri do.

Ad tertium, eodem reſpondetur modo, quo ad primum: minus enim malum in noſtro caſu, ſuſcipit rationem quandam boni. itaque qui ſuadet hominem paratum ad faciendum utrumque, non ad malum, ſed ad minus inducit.

Ad quartum, primum hoc argumentum concedi poſſet, facta comparatione æqualis mali ad æquale malũ: quamuis in eligendo altero, aliqua extare debeat differentiæ ratio.

Deinde, dicimus non esse parem rationem in utroque casu, cum inter æqualia talis comparatio fieri non possit: cum æquale malum, sit simpliciter malum; minus uero ad maius comparatum, non ita. Sed de hac difficultate hactenus: sequitur, iuxta ordinem propositum ut de eo, qui ob aliquam culpam est ad restituendum obligatus, agamus.

Quid & quotuplex sit culpa, & ob quas actiones aliquis ratione culpæ restituere teneatur.
Quæstio LXX.

DE restitutione ob aliquam culpam faciẽda, disputaturus, prius quid, & quotuplex sit culpa, & quibus actionibus aliquis teneatur de culpa, mihi explicandum est: cum sine harum rerum cognitione, quando, & quomodo ratione culpæ restitutio fieri debeat, intelligi non possit.

Disputat de hac materia Scholastici in quarto sent. dist. 15. Adrianus in materia de restit. Bartolus l. Quod Nerua ff. depos. Baldus in l. quæ fortuitis C. de pign. act. Panormitanus cap. unde commodato, Summistæ, uerbo, culpa, Nauar. in enchir. cap. 17. numer. 177. & Sylu. uerbo, restit. 3. quæst. 5. §. 2. Verum tamen est, ut Adr. & Gabriel dist. 15. q. 10. adnotarunt, quod aliter Theologi aliter Iurisperiti de culpa disputare solent.

Theologi appellant culpam omnem actum liberum deuiantem a recta ratione, seu a lege æterna: Iurisperiti uero nomine culpę intelligunt actum exteriorem deuiantem a bono; qui actus potuit impediri, humana prudentia: quod si impediri non potuit, licet aberret a bono, nomen tamen culpę amittit; quam hunc in modum definiuit Bartolus.

Culpa est deuiatio ab eo, quod bonum est, quæ per hominum diligentiam impediri poterat. Quam descriptionem, ut a Iurisperito traditam, tanquam bonam admittamus; ad cuius declarationem, aliquid breuiter subijciemus.

Animaduerte igitur, duo esse necessaria ad culpam constituendam: alterum, ut intercedat actus exterior, quo aliquis declinat a lege. Vt quidam uolēs igne purgare suum caminum, per incuriam combussit domum alienam: hic actus continet quandam deuiationem a lege, seu contra legem, & a bono. Alterum, ut sit talis deuiatio, quam homo potuisset remouere, si diligentiam adhibuisset, ut, si in exemplo allato, adhibuisset eam diligētiam, quam debebat, & adhibere poterat, ne aliena domus deflagraret. Hic itaque actus cum tali negligentia, est culpa.

In hac definitione una particula desiderari uidetur, quam tamen latenter continet; ut scilicet, iste actus nō procedat ex intentione, quia tunc esset dolus. Quando autem per nullam diligētiam humanam tali deuiationi prouideri potuisset, nō diceretur culpa, sed casus. Vt ecce, quidam habuit deposito pecuniam ab amico, quam eo in loco collocauit, ubi suam adseruare solet, in loco satis tuto: sed accidit, ut pręter omnem consuetudinem, & opinionem, eo latro peruenerit, & surripuerit: hic est quędam deuiatio a bono, cum res aliena sit sublata, sed quia nulla maiore diligentia, humano modo loquendo, impediri potuit, dicitur casus fortuitus, qui nihil aliud est, quam inopinatę rei euentus, qui prouideri, etiam per hominem diligentissimum, non potest. Atque ex his allatę descriptionis sententia patet.

Quod uerò ad diuisionem culpę attinet, culpa uniuerse sumpta, diuiditur in dolum, & simplicem culpā. Dolus est, quando uoluntaria deuiatio fit studiose, seu de industria, quando nimirum intercedit intentio errandi l.1. ff. de dolo malo, qui hunc in modum describi solet.

Dolus est machinatio, seu circumuentio, ad decipiēdum, seu fallendum alium adhibita, Glos. in Regulam, scienti, lib.6. si dolus fiat uerbis, dicitur fallacia: si opere, dicitur fraus. Lege diuum Thomam 2.2.q. 55. art.4. & q.118. art.8.

Rursus,dolus diuiditur in dolum uerum,& in dolum præsumptum. Dolus verus est,quando est manifestus, ut cum adsunt inditia,& signa euidentia doli. Verbi gratia,si quis sciuisset inimicum uersari in agro,& eo se cōtulisset,uenandi caussa,ut eum sine culpa,& quasi casu interfecisse uideretur, dum uolebat feram interficere. De quo dolo lege Bartolum,& Panormitanum locis citatis. Dolus præsumptus est, quando non adsunt inditia certa,sed ea,quę dant aliquam suspicionem.

At uero culpa simplex, est deuiatio, per negligentiam, non tamen cum fraude:cum scilicet quis ex incuria,omni remota malitia,deuiat a bono. Hanc culpam, priore relicta,de qua certum est obligare ad restitutionem,diuidūt Iurisperiti in latam,leuem,& leuissimā.

Lata culpa ex Bartolo, est incircumspecta deuiatio, quam homines,communiter pręuidere solent. Quare, cum actus exterior deuiat,& est malus habetque malitiam, quam non haberet,si adhibita fuisset ea diligentia,quam solent homines cōmuniter adhibere,lata diceretur culpa. Vt ecce, quidam accepit librum commodato,& sedens ad ianuam domus,reliquit eum per incuriam,eo in loco,ubi sedebat,& furto sublatus fuit. In hac facti specie,est lata culpa; cum homines maiorem in re sua custodienda curā adhibere communiter soleant, quam iste adhibuerit, relinquendo librum in aperto loco.

Culpa leuis est;cum intercedit aliqua diligentia,sed imperfecta;cum scilicet non est tanta, quantam homines cauti adhibere solent. Vt ecce, quidam deposuit pecunias apud hominem bonæ fidei, sed non omni ex parte,& usquequaque: accidit,ut pecuniæ amissæ sint, hæc dicetur leuis culpa. Similiter, aliquis librum commodato acceptum, reliquit domi,sed non eo in loco, quo non pateret accessus; si amittatur, id fiet ex leui culpa.

At uero leuissima culpa ea dicetur, cum non intercedit illa exquisita diligentia, quam homines prudentissi

mi adhibere solent. Vt si is, qui librum commodato acceptum posuisset in suo cubiculo, seu in capsa, sed non clausisset, & ideo sublatus est; culpa hæc dicetur leuissima, cum pauciores sint, qui talem diligētiā adhibeant.

Addidit Bartolus alias duas culpæ species, latiorem, & latissimam: latior est, quando, non solum adest negligentia, sed etiam præsumitur dolus. Vt gratia exempli, si quis amisisset rem deposito acceptam, quia non eam adhibuit diligentiam, quam adhibuit, aut adhibere solet in re sua custodienda. Vt si ille, de quo dicebamus librum suum secum tulisset, & alienum in loco aperto, & furibus exposito, reliquisset. Latissima culpa ea dicitur, quando adest dolus manifestus, quem supra definiuimus. Cæterum, in foro interno, quidquid sit de externo, non est necessaria ista ultima distinctio. Quoniam, tam latior, quam latissima, etiamsi adsit dolus, idest nocendi intentio, quod attinet ad restitutionem, ad latam reducuntur.

Quod si quis petat, quo nam pacto istæ culpæ distinguantur, responderem, primum non distingui ex parte agentis: nam aliquando poterit esse lata culpa, quæ sit sine peccato, etiam ueniali; ut quando esset erratum ex mera ignorantia: deinde, dicerem non distingui ex parte rei, quoniam in re leui, idest minoris momenti, potest esse lata culpa: & in re graui idest maioris ponderis potest esse leuis culpa. Quo fit, ut distinguantur ex parte modi agendi, secundum quem apparent maiora, uel minora interioris malitiæ signa.

Vbi illud etiam admonuerim, ciuiles culpas posse sine culpa theologica, seu apud Deum. Vt si quis relinqueret librum in platea, ex mera obliuione, sine ulla intentione, & uoluntate relinquendi: ubi ciuilem agnosceres culpam, non tamen Theologicam, seu moralem, ad quam, ut diximus, requiritur uoluntarium, quod tollitur per ignorantiam, modo ignorantia non sit culpabilis. Atque hactenus de culpæ diuisione.

Quod attinet ad actiones, ob quas aliquis tenetur re-

stituere, quando preter intentionem nocuit, tres numerari solent: actio legis Aquiliæ, Actio de pauperiæ, & Actio noxialis.

Tunc aliquis tenetur actione legis Aquilię, quando uel per se, uel per sua animalia damnum dedit, intercedente culpa: & qui hac ratione damnum intulit, totum restituere debet, lib.4.inst.tit.3.

Tunc tenetur actione de pauperie, quando quis intulit damnum per sua animalia, sed sine culpa: Quo in casu secundum leges, totum damnum reparandum est, uel tradenda sunt animalia, quæ damnum dedere, lib. 4.Instit.tit.9.

Tunc uero actione noxali, quando absque culpa illatum est damnum per seruum, l.1.ff.de noxalibus actionibus, ubi Caius: & lib.4.Inst.tit. 8. Pœna in hoc casu a legibus statuta, est ut, uel detur seruus, qui damnum dedit, uel reparetur damnum.

His hunc in modum explicatis, est grauissima disputatio, tum apud Iurisutriusque peritos, tum apud Theologos, an quando aliquis tenetur ad restituendum actione legis Aquiliæ, id est, cum intercedit culpa, intelligi debeat, de leui, uel de lata culpa: de qua quid sentiendũ sit, sequenti disputatione explicabo.

Qua culpa obliget ad restitutionem.
Quæstio LXXI.

De hac itaque proposita difficultate duę sunt doctorum sententię, prima eorum, qui dicũt hominem, qui damnum intulit, aliqua culpa, esse obligatum ad restituendum ex quacunque culpa ciuili, non tamen theologica. Ita Glossa can. consuluisti 2.q.4. Adrian. loco supra citato, uerbo, Verum in foro, Ioan. Andreę, cap. quoniam contra, de probation. Angel. uerbo, culpa. §.6. Huius sententię fundamẽtũ illud est, quia lex Aquilia est lex iusta; ergo obligat in cõsciẽtia: at ista procedit in omni culpa, igitur.

Secunda

Secunda sententia aliorum,qui existimant solum ori ri obligationem ad restituendum, quando intercedit la ta culpa.Ita sentit Innocentius cap.sicut dignum,de ho micidio,& cap.Quia plerique,de immunitate Ecclesia rum: quem alii sequuntur:ut Ioan.Anan. Panorm.cap. Quoniam contra,de probation.cap.1.de constitut. Feli nus cap.Sicut dignum, & denique Syluester verbo cul-pa,quæst. 4. Dicuntque hi auctores hac in parte forum interius discrepare ab exteriore,in quo tenetur aliquis etiam ex leui,& leuissima . Nos,quoniam nihil occurrit hic priuatim notandum, de hac re quid sentiendum sit,his conclusionibus statuimus.

Prima conclusio,quando aliquis damnum dedit per se,sine ulla culpa,ad nullam restitutionem tenetur; nō secus,ac si casu nocuisset.Intelligenda est hæc conclusio,quando ex tali damno is, qui intulit, non est factus locupletior: quia tunc id deberet restituere , quod sibi accessisset:hanc doctrinam his rationibus confirmo.

Primo,ex iure canonico,capite,si tua culpa,tit.de iniuriis.in fine capitis,ubi hæc pulcherrima ponitur sententia, Ad nihil tenetur,qui de contingentibus nihil omisit,idest is cui nulla potest adscribi culpa:idem confirmatur ex cap.Lator,tit.de homicidio,ubi admittitur ad sacros ordines,quidam, qui casu quendā occiderat.

Secundo,ex iure ciuili l. Qui foueas ff. ad legem Aquiliam , qui foueam aperuit ad capienda animalia in uia publica,tenetur de dāno dato: at uero , qui aperuit in locis,in quibus solent foueæ aperiri,ad nihil tenetur ea nimirum de caussa,quod nulla intercedit culpa : Ex quib. colligitur quo pacto intelligi debet caput, si quis aperuerit,tit.de iniurijs,ubi absque distinctione statuitur,ut qui foueam aperuerit debeat restituere: quod est limitandum,ut Glossa facit.

Tertio,qui occidit hominem casu,sine culpa occidit, non incurrit irregularitatem , ut patet capite lator , de homicidio , ergo multo minus incidere debet in obligationem restitutionis ; cum multo facilius contra-

hatur irregularitas, quam restituendi obligatio, cum illa interdum sine ulla contrahatur culpa.

Quarto, ubi nulla est culpa, non est humanus actus; quare non potest homini adscribi; ac proinde ex eo ad nullam restitutionem obligandus erit.

Denique, accedat communis Doctorum opinio, & auctoritas Glossæ cap. Si egressus, de iniurijs. ubi legem Aquiliam limitat.

Secunda conclusio, ubi adest intentio nocendi, & dãnum est illatum, semper oritur obligatio ad restituendum pro uniuerso damno, etiamsi culpa sit leuissima: & hoc in foro conscientię. Doctrina est Innocentij, & est manifestissima, quia in hoc casu intercedit iniuria, & merus dolus.

Tertia conclusio, quando non adest intentio nocendi in foro interiore, oritur obligatio ad restituendum, si intercedat lata culpa. Intelligenda est hæc conclusio, quando per se est illatum damnum, quod omni ex parte restituendum est. Hæc doctrina, patet primo ex communi sententia, & ex legibus supra citatis, quæ hoc decernunt: adde etiam, quod talis culpa æquiparatur dolo, & facit hominem dignum pœna: igitur.

Quarta conclusio leuis & leuissima culpa, ex se non obligant ad restitutionem, quæ cõclusio non est ita certa, ut est superior, quam tamen probabilem faciunt hæ rationes.

Primo auctoritas grauissimorum Doctorum, qui hoc sentiunt, ut Innocentij, Panormitani, & aliorum: quorũ iudicium facit rem ualde probabilem, in re ad praxim pertinente.

Secundo, in foro interiori non consideratur quantitas damni illati, sed culpæ & delicti, quod non est graue, nisi in culpa lata, non autem in leui, & leuissima: igitur ob has culpas nemo est obligandus ad restituendum. Ob hanc rationem Sotus lib. 4. de iustitia & iure, quæst. 7. ar. 2. docuit neminem teneri ad restitutionem pro detrimento rei commodatæ, ob leuem & leuissimã

cul-

culpam cum delictũ non sit mortale. His accedat, quod leges illæ sunt pœnales: quæ restringendæ sunt: ut omittam, quod argumentum opinionis contrariæ facile soluitur.

Quincta conclusio, probabile est eum, qui directe dãnum infert, etiamsi solum uenialiter peccet, incidere in obligationem ad restituẽdum: Quoniã is, qui cũ culpa damnum affert, dici potest caussa illius damni: tenebitur igitur ad restitutionem. Cui opinioni fauet cap. final. de Iniur. & damno dato, ubi id expresse affirmari uidetur.

Sexta conclusio, quando quis indirecte damnificat, non tenetur ad restitutionem ratione culpæ uenialis tãtum. Nam si hoc esset, multa inde orirentur incommoda: primum, quod pauci reperirentur artifices, qui passim non essent obligati ad restitutionẽ: sunt enim quã plurimæ artes & officia, in quibus facillime leui culpa peccatur, ex qua indirecte damnum proximi proficiscitur: patet id speciatim in arte medendi, cum Medici, dum sanare intendunt, potius interdum obsint, cum non summam adhibeant curam: idem dicas de aduocatis, notariis, Principibus, & aliis, qui uersantur in artibus in coniectura positis. Quæ personarum genera non possent sine magno periculo sua exercere munera. Cum sæpe ex leui culpa, magna afferãt damna. Quare, nisi negligentia sit grauis, non erunt hæ personę ad restitutionem obligandæ. Deinde, nemo reperiretur, qui cũ hoc onere uellet talia officia exercere: cum, ut dicebam, sine ueniali culpa exerceri uix queant.

Septima conclusio, quando aliquis infert damnum per sua animalia, etiam sine culpa, tenetur ad reficiendum totum damnum, aut ad dãda animalia in foro exteriori. Est communis doctrina, & patet ex cap. Si bos alienus. de iniurijs & damno dato, ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, & instit. eodem titulo.

Pro huius conclusionis declaratione, animaduerte, leges citatas, non esse intelligendas de quocũque animali,

li, inquiunt enim, tua animalia, non tamen de omnibus loquuntur, sed de illis, quę suo genere sunt mansueta, licet in illa specie aliquod animal non sit mansuetum: ut si in genere equorum, uel bouum, esset aliquis equus, uel bos ferox: nam licet boues cornu petant, dicuntur tamen mansueti, sicuti & alia gregalia animalia, excepto cane, qui non numeratur in animalib. mansuetis, sed inter ea, quę ferocia nuncupantur.

Quod si damnum illatum fuerit per animalia ferocia, ex culpa domini, ex lege Aquilia, non solum restituendum est pro damno illato, in duplo, sed dominus etiam suæ culpæ pœnam dat. Vt si leo domini culpa prodiret ex cauea, & equum occideret, duplum restitui deberet. Quod si absque domini culpa euasisset, nihil restituendum esset, ut Bartolus adnotauit. Et ratio est, quia quando animal ferox, ex se, euadit e manibus domini absque eius culpa, desinit esse domini. Lex itaque de quadrupe, non procedit de animalibus ferocibus.

Rursus animaduertendum est, hanc legem extendendam esse ad animalia, quæ non sunt quadrupedia, l. actio. ff. ad legem Aquiliam: ubi Glossa fingit casum de gallina, quæ uolans super tabulam, fędasset librum, cuius dominus, uel gallinam dare, vel damnum sarcire deberet. Idem dicendum est de columbis domesticis, de quibus superius egimus, si dent damnum cum domini eos non pascant, uel contra consuetudinem, & leges detineant.

Octaua conclusio, quando damnum illatum fuit per seruum, si non interfuit domini culpa, restituendum est secundum actionem de Noxiali: si uero cum domini culpa, actione legis Aquiliæ. Quo fit, ut seruus reputetur, ac si animal quoddam esset. ff. de actione noxiali.

Vbi notandum est, ex Instit. tit. de actione nox. § finali, non esse parem rationem de filio, ac de seruo: Quoniam, si filius noceat, actio datur in filium, quando non adest patris culpa: at quando seruus dat damnum, actio datur in dominum.

Fun-

Fundamentum, quod pro se prima sententia attulit, soluitur a Panormitano cap. si egressus titu. de iniur. ubi ait legem illam Aquiliam esse pœnalem,& nó obligare in conscientia.

Hanc responsionem refellit Felinus,cap.sicut dignũ, afferendo hanc instantiam, quia si ista solutio esset bona,sequeretur, quod neque in lata culpa facienda esset restitutio. Vnde prefactus Doctor hanc aliam affert solutionem, dicendo legem procedere ex falsa præsumptione;& ideo,cum re uera non adest id,quod lex presumit,non obligat in conscientia. Siquidem,ubi est culpa, lex presumit intentionem, ubi autem non est intentio,obligatio non oritur.

Sed, cum uideret fieri posse eandem instantiã, quia nec in lata culpa lex ista locum haberet, cũ in hoc etiã culpe genere possit esse præsumptio falsa;propterea addit,in lata culpa esse tam uehementem præsumptioné, ut æquipolleat ueritati: sed neq; hæc euasio bona est, ut patet; quia re uera fieri potest, ut res ita non sit, ut præsumitur.

Dico igitur Panormitani solutioné esse satis bonã,cũ ait istam legem esse pœnalem, quæ non obligat in foro conscientiæ.Etenim lege 2.Aquilia statuitur, ut si quis occidat quadrupedem , tantum soluere debeat, quantum plurimi fiebat illo anno, illud animalium genus: quare,cum aliquid amplius soluendum sit,quam, quãtum animal ualebat eo tempore , quo occisum fuit, hic continetur pœna.

Ad instantiam illam Felini,dicere possumus,hanc legem non esse omni ex parte, seu pure pœnalem . In eo, enim in quo ista lex conuenit cum æquitate,& iustitia naturali, præceptiua est,& obligat in conscientia:in eo autem , in quo excedit , ratione maioris restitutionis, pœnalis est. Naturæ autem consentaneum est, ut lata culpa obliget: que obligatio uigeret etiamsi non existeret lex Aquilia.In leui autem,& leuissima culpa, quod est pœnale,si lex ista non extaret,non esset: quare, tali

lege

lege remota, nullum esset præceptum, quod in his duabus culpis obligaret. Atq; de quæstione satis dubia hæc dicta sufficiant.

De restitutione facienda ab eo, qui rem iusto nomine accepit. Quæstio LXXII.

IN hac quæstione explicanda, cum in re perspicua, & plana uersemur, nihil est cur ulla argumenta, quæ difficultatem faciant, in medium afferamus. Rem igitur omnem, quibusdam positis fundamētis, per uaria capita, & dicta plane explicabimus.

Primum fundamentum, quamuis multa sint contractuum genera, ut alias in materia de cōtractibus latius dicetur; tamen, ad rem nostram commode contractum in duo genera diuidere possumus: in quorū altero res trāsfertur in alium una cum dominio: ut accidit in contractu uenditionis, & mutui: in altero uero non transfertur dominium, ut patet in locato, deposito, & pignorato. Qui hoc pacto rem alienam acceperunt, dicuntur esse obligati ad restituēdū ratione rei acceptæ, cum non habeant eius, quod acceperunt dominium. Et cum sæpe contingat, ut res hoc pacto possessa pereat, quæritur cui perire debeat, an domino, an ei, qui rem apud se habet.

Secundum fundamentum, contractus in quo non transfertur dominium triplex est: vnus qui fit in utilitatem accipientis, ut patet in commodato: commodo enim tibi equum in tuam utilitatem: secundus in utilitatem dantis, ut patet in deposito: depono enim rem meā apud te, ut eam mihi custodias: tertius uero fit in utilitaté utriusque, ut accidit in locato & pignorato: nam qui domum conducit habet eius usum, & qui locat, pensionem suæ domus percipit. Verum tamen est, quosdam etiam alios contractus posse in utilitatem utriusq. partis fieri, sed non per se primo id eis conuenit: ut patet

in emptione, & uenditione,ubi tam qui uendit, quam qui emit,utilitatem percipit.

Tertium fundamentum,ut contractus mutui,commodati,locati, & precarij (de depoſito dicam poſtea) inter ſe conueniunt,ita differunt:conueniunt,quod in omnibus intercedit utilitas accipientis: differunt autē hoc pacto.

In contractu mutui, non ſolum conceditur rei uſus, ſed etiam transfertur dominium. Mutuum enim propriæ dicitur de ijs rebus,quæ numero,pondere, & menſura conſtant,uſuque conſumuntur, ut patet §. primo Inſtit.quibus modis re contrahatur obligatio, & §.appellata l.2.ff.ſi certū petatur.In commodato, non tranſfertur dominium,ſed ſolum rei uſus.

Differt autem commodatum a locato,quod in locato non traditur rei uſus ſine pretio,in commodato uero nullum intercedit pretium, ut patet cap. unico de commodato,& tit.de commod.& locato.

Precarium differt ab alijs, quia per precarium datur uſus rei ad certum tempus, ad uoluntatem ac libitum eius qui dat.Lege prima, ff.de precarijs: cap. Precariū tit.de preca.

Rurſus differunt,quia in commodato, & locato datur certa res utenda,quod non fit in precario.Bart.l. in commod.§.ſi iure.ff.Commod.Panormitanus cap. unico,commodati,& ibi Imola.

In pignore autem non transfertur dominium, quo differt a mutuo,neque datur uſus, quo differt a locato, conducto,& precario, & eſt in utilitatem accipientis, quo a depoſitio diſcrepat.

Quartum fundamentum, in quo ſpeciatim depoſitū ab alijs contractibus diſtinguendum eſt. Depoſitum ergo diſtinguitur a proxime numeratis cōtractibus, quia in eo,nec rei ſubſtantia,ſiue dominium,nec uſus traditur: ſed ſolum res alterius cuſtodiæ committitur: in alijs uero,uel res, uel uſus traditur.l.2.& l.licet, ff.de depoſito.

Rur-

Rursus differunt,quod depositum, ut plurimum, est in utilitatem solum eius qui deponit,non autem depositarij. Potest tamen depositum fieri in gratiam depositarij, & tunc aliqua perciperetur utilitas, sicuti etiam si ratione custodiæ,aliquid emolumenti caperetur.

Vbi de depositario potest esse dubitatio, quomodo teneatur ad restitutionem, si res ex aliqua sua culpa periret.Ex his quæ posuimus fundamentis,colligo quędam dicta,quibus ad difficultatem propositam respondebo: quorum priora erunt circa mutuum, locatum,& commodatum; posteriora uero circa depositum.

Primum dictum,res locata,commodata,& mutuo data,non potest repeti ante tempus præscriptum, & si repetatur, qui repetit tenetur ad damna, quæ inde locatarius,& commodatarius,mutuatariusque percipit.Ita habetur determinatum cap.unico,tit.de commodato: & l.in commodato §.sicut ff.commod.Angelus & Syluester uerb.commod.limitant hanc doctrinam ut procedat,quando locans,& mutuans,non patiuntur simile damnum: tunc enim non tenentur ad istius damni cõpensationem.Cęterum sententia contraria est communior,& uerior,ut habet Nauarrus in Enchir.cap.17.nu.182.qui ait in utroque foro peccare. Siquidem caput citatum tit.de commodato,indistincte loquitur. Quare,cum dominus propria uoluntate rem ad certum tẽpus concesserit,debet suam fidem seruare.l.1.ff. de pactis,& cap.Qualiter,eodem titulo.Hæc communis doctrina,siue regula,quattuor recipit limitationes, quas tradit Gregorius IX. cap.Propter,de locato & commodato,& ibi Gloss.

Prima quando locans egeret,exempli gratia,sua domo ad habitandum ob aliquam necessitatem superuenientem,quę non aderat tempore locationis; modo nõ possit alia ratione sibi commode prouidere: quo casu pensio pro tempore remittenda esset.

Secunda, quando res eget refectione,ut si domus minaretur ruinam:qua refectione,seu instauratione, non

ege-

egebat tempore locationis, quo etiam casu pensionem pro rata deducere oporteret.

Tertia, quando locatarius, seu commodatarius, re locata abuteretur, etiam sine rei detrimento. Vt si abuteretur domo ad meretricium faciendum, ad latrones excipiendos, & fouendos: & tunc nihil de pacta pensione esset minuendum. Similiter, si locatarius rem locatam aliqua ratione corrumperet, & deteriorem redderet: ut si arbores cęderet, & agrum debita ratione non coleret. Quo casu nihil de pensione minui deberet; sed pro dãno illato daretur actio in iudicio, ut Panor. & Imola docent, cap. propter de locato & cond.

Quarta, quando res est locata ad plures annos, & minimum ad quinque, sed locatarius per duos annos pensionem non soluit. Vel quando ad minus tempus facta est locatio, sed statuto tempore pensio non soluitur.

Additur quincta limitatio, quando dominus rẽ suam repetit ad occurendum alicui maximo malo, & nocumento, quo alia ratione impediri non potest. At uero, qui accepit precario, tenetur restituere ad domini repetitionem, & uoluntatem: nisi id fieret cum damno notabili eius qui accepit, & nulla esset caussa repetendi, restitutio differri posset: ut habet Sylu. uerbo, precarium q. 1. & Pan. loco citato, num. 13. & alij apud Couarru. li. 3. uar. resol. cap. 15. nu. 6.

Secundum dictum, quando aliqua res accepta fuit, uel mutuo, vel commodato, uel locato, ad certum tempus, tenetur qui accepit, tempore statuto restituere, tum ratione rei acceptę, tum acceptionis. Ratio est manifesta, quia tempore elapso, nec iuste retinet, nec possidet. At uero in precario, etiam ante tempus tenetur restituere, quando qui concessit, iusta de caussa repeteret.

Tertium dictum, cum, elapso tempore, commodatarius, & mutuatarius teneantur ex duplici capite restituere, si res pereat, ipsis peribit, & ita erunt ad restitutionẽ, & ad omnia damna inde emergentia sarcienda obligati, non secus ac fur obligatus esset.

Quar-

Quartum dictum, cum aliquis accipit rem locato, aut commodato, ad certum usum,& eā ad alium usum conuertit, & peccat,& ad damna inde nascentia restituenda est obligatus. Patet hoc dictum ex l.qui iumenta ff. de furtis:de qua re lege Aul.Gellium libro 7.Noctium Atticarum c.15. Limitatur hoc dictum,ut solum procedat in eo casu,quando res fit ex tali usu deterior. Ex qua doctrina infertur, quod si in casu posito res pereat,ei,qui accepit, peribit. De qua re supra a nobis latius disputatum fuit.

Quinctum dictum, depositarius grauiter peccat, si utatur re deposita contra uoluntatem domini, & tenetur ad omnia damna inde manantia. Ita Nauarrus cap. 17.nume. 181.Ratio est manifesta,quia contrectat rem alienam inuito domino,l.furtum.ff.de condit.furti.leg. 3.C.depositi,Panor.c.1.depos. Quamuis Io. Faber. leg. 1.C.deposit.contrarium teneat,sed errat.

Limitatur hoc dictum,ut non habeat locum quando res non fit deterior, nec exponitur periculo:nec quando depositarius ita utitur,ut statim eam integram possit domine restituere,cum repetierit.Idem dicas de pignore dato ad cautelam creditoris.

Sextum dictum,quando res deposita cedit in utilitatem deponentis, non tenetur depositarius ad restitutionem,si res pereat,ob culpam leuem,uel leuissimam:nisi fuerit in mora restituendi, uel pacto se obligauerit: uerum ob latam, siue magnam culpam teneretur: ita, præter alios,Palud.4.sent.dist.15.q.2.ar.1.sed nunquam erit lata culpa,si rem alienam ita conseruet,ut rē suam custodit.

Septimum dictum,quando res deposita, cum utilitate utriusque partis seruatur,si pereat,qui custodit,tenetur restituere, oblatam culpam:idem diceres de eo qui e custodem obtulit. Et eadem est ratio de re pignore accepta,quando utrinque percipitur utilitas,cap. bona de depositis. Hinc patet,quid sit dicendum,cum mihi datur pecunia, quam alterius caussa impendere de-

beo;

beo;qua si amitterem ex lata tantum culpa tenerer. Lege Nauar.cap.17.num.181.

5 Sed hic maior difficultas restat,de commodato & locato,quando res perit,cui nam perire debeat:ad quam his conclusionibus breuiter respondeo.

Prima conclusio, si res locata & cōmodata pereat sine accipientis culpa,certum est cum qui accipit ad nullam restitutionem teneri. Quæ doctrina confirmatur primum ex l.si commodato ff.commod.Deinde hac firma ratione:quia si teneretur,aut ratione rei acceptę, & hoc non, cum non habeat rem,quæ iam perijt,& ei perire debet,qui eius habet dominium: non ratione acceptionis,quia non perijt sua culpa : igitur nulla est uia, qua iste ad restituendum obligari possit.

Secunda conclusio, si commodatarius accipiat rem in suam utilitatem,non in utilitatem eius qui rem commodat,& ipsius culpa pereat,tenetur ad restitutionem. Ita habetur cap.unico de commodato. Adde communem Theologorum, & Summistarum sententiā in uerb. commodato, & canonistarum,cap.citato. Sotus tamen lib.4.de iust.& iure,q.7.art.2.contrarium docet, duoq; dicit: primum,nunquam commodatarium teneri ad restitutionem, nisi peccet mortaliter : alterum, si peccet uenialiter, teneri ad restitutionem partis, pro ratione culpæ :sed communis opinio tanquam probabilis, sic confirmari potest.

Primo,quia uidetur rationi magis consentaneum,ut res ei pereat, cui bono est:atqui ut supponimus commodatario est utilis,igitur.

Secundo, quoniam omnes, qui res suas commodat, cum hac tacita obligatione commodare uidetur,ut nō sibi,sed commodatario perire debeant,si qua eius culpa pereant.

Tertio,si uera esset Soti opinio,raro commodatarius teneretur,ex rei commodatæ interitu,ad restitutionē, cum non facile mortaliter peccetur, in re commodata amittenda.Vt hic omittam leges,quæ,huic sententiæ fa

uent, cum uideant rei æquitatem.

Posset tamen aliquis hunc casum hunc in modum restringere, ut non teneatur ad restitutionem, nisi aliqua intercedat culpa apud Deum, seu in foro conscientiæ. Verum communis opinio, ut dixi, probabilis est.

Ex quibus colligere licet, commodatarium, si res pereat, quando eam domino remittit, non teneri ad restitutionem, modo is qui eam ferebat, esset fidelis lator: sed de hac re accuratius inferius dicetur.


Tertia conclusio, quando commodatio cedit in utilitatem eius, qui commodauit; commodatarius non tenetur ad restitutionē, nisi res eius dolo aut culpa lata pereat. Vt si seruus acciperet ornamenta, seu uestes splendidas a domino, ut ornatior appareret.

Quarta conclusio, quando res locata, uel commodata cedit in utilitatem utriusq;, si pereat, locatarius nunquam, commodatarius raro tenetur ad restitutionem, nisi sit lata culpa. Patet hæc conclusio ex toto titulo de locato, & commodato, & ex legibus supra citatis.

Quincta conclusio, mutuatarius, si res pereat, quacunque ratione, siue cum culpa, siue sine culpa, tenetur ad restitutionem. Doctrina est manifesta, quia per mutuū transfertur dominium, & propterea ei perire debet. Atque de hac disputatione hactenus.

Nunc post explicationem circumstantiæ eius, qui restituere debet: aliam aggrediemur, qua quæritur, cui facienda sit restitutio: de qua uariæ occurrūt difficultates examinandæ, quas diuersis quæstionibus discutiemus.

Cui facienda sit restitutio: de qua re communes traduntur regulæ. Quæstio LXXIII.



VNA ex præcipuis circumstantijs, quæ nobis in hac tractatione explicandę sunt, ea est, qua queritur, cuinam restituendum sit: in cuius explicatione hūc seruabimus ordinem.

Primum quibusdam propositis distinctionibus, uniuersam doctrinam, per quasdam regulas, hac de

re

delre trademus : postea,per uarias quęstiones,& dubitationes,quę hac in parte priuatam habent difficultatem enucleabimus. Quod autem attinet ad pręsentem difficultatem,an restitutio sit facienda ei,a quo res est accepta,hęc argumenta dubitationem faciunt.

Primo, multę sunt instantię, quibus probare possumus restitutionem non esse faciendam ei,a quo res accepta fuit; igitur : nam,qui accipit a seruo,debet restituere domino; qui a Monacho, monasterio ; & deniq; qui ab uxore,& filio,marito,& patri.

Secundo, restitutio est facienda ei, qui ius habet in rem : sed sæpe contingit ut non habeatur ab eo, a quo accepta fuit, ut patet in re empta a fure : non est igitur facienda ei,a quo res fuerit accepta.

Tertio,quo argumento probo semper faciendam esse ei,a quo res fuit accepta: restituere est rem in suo loco iterum statuere : igitur, qui rem apud eum statuit,a quo accepit,nunquam errabit; quod ex eo confirmatur, quia nemini facit iniuriam, qui ei restituit, a quo accepit.

Quod ad opiniones attinet, nihil est, cur in præsentia aliqtid dicamus: cum eas infra in priuatis difficultatibus simus allaturi. Antequam autem regulas uniuersas trado,quasdam afferam distinctiones, pro regularũ intelligentia,& pro ijs,quæ in hac circumstantia dicenda sunt,maxime necessarias.

Prima distinctio,res quæ restituenda est,aut accepta fuit ab iusto possessore, aut ab iniusto, ueluti a fure : & ab eo qui per fraudem, & dolum rem illam habuit, quæ rursus, uel accepta fuit contra uoluntatem habentis,uel cum uoluntate eius, qui rem illam uel ex liberalitate dedit,uel ex aliqua caussa : si ex caussa, uel absolute, uel cum conditione ; rursus uel ex caussa turpi, sed non iniusta, ut si fornicationis caussa data fuisset : uel ex caussa etiam iniusta, ut si ob iniustam sententiá ferendam,uel ad homicidium faciendum: uel denique ob caussam honestam,siue sit debita, siue non; ut exem

pli gratia, caussa abstinendi a cibis, uel a re uenerea: uel postremo accepta est, ob rem quæ pretij est capax, uel ob rem quæ non potest esse uenditioni subiecta, ut sunt res sacræ de quibus accipiendi caussis, supra scripsimus. Denique, quod ad rem attinet, potest esse dubitatio, tum de re ipsa, tum de fructibus ex re perceptis.

Secunda distinctio, dominus alicuius rei duplex est, alter proprius, ut est is, qui uere habet ius in rem ipsam: alter non proprius, ut sunt omnes ij, quibus concessus est rei usus, cuiusmodi est locatarius & cōmodatarius: uel rei custodiam, ut depositarius, & uniuersæ omnes custodes: uel rei administratio, ut sunt curatores, & tutores, atque ecclesiarum Prælati. Qui dominus rursus duplex est, aut certus, aut incertus, siue dubius: de quo etiam distingueres, an sit præsens, uel absens.

Tertia distinctio, tribus modis potuit quispiam ab aliquo rem accepisse: primo mala fide, quando uel sciebat rem non esse eius, a quo accepit, ut quando accepit a manifesto fure; uel si ignorabat, ignorantia erat crassa: quia facile cognoscere poterat fuisse furto sublatam. Vt si rem emisset a milite, qui ex bello iniusto spolia retulit. Secundo, bona fide; cum existimabat rem esse eius a quo accepit; sed tamen postea resciuit, rem esse alterius. Tertio, cum rem accepit, cum aliqua dubitatione, an re uera esset eius, qui dedit. Qui rursus potuit eam bifariam accipere, uel cum animo restituendi uero domino, ut si hac de caussa eam a fure emisset: uel sine hac intentione, sed ut eam sibi retineret. Quæ distinctio priuatim usui erit in sequenti disputatione.

Quarta distinctio, cum quærimus de eo, cui facienda est restitutio, uel loqui possumus secundum ius naturę, uel secundum dispositionem iuris humani: & rursus, uel secundum ordinē caritatis, uel pro ratione iustitiæ.

Quo etiam loco distinguere liceret de eo qui est primus auctor acceptionis rei alienæ, & de participantibus: de quibus supra disputauimus. His ita positis distinctionibus, has communes statuo regulas, per quas uni-

uniuerse, cui nam sit restitutio facienda docebo.

Prima regula, uariæ sunt omnino personæ, quibus restitutio, pro diuersa ratione, fieri potest: ut dominus, is a quo res accepta fuit, siue sit dominus, siue non, pauperes, ecclesia, fiscus, siue camera apostolica, & denique is, cui per leges restitui debet. Quare, cautus confessarius, cum restitutionem pœnitenti impositurus est, diligenter uideat, cui nam personæ satisfaciendum sit. Vt autem id efficere queat, has uniuersales animaduertat regulas.

Secunda regula, uniuerse loquendo, ei facienda est restitutio, a quo res accepta fuit: quam regulam confirmat tertia ratio superius allata. Dixi, uniuerse, quia nõ semper est facienda, ut ex ijs, quę subijciemus perspicuum fiet.

Tertia regula, uniuerse loquendo, restitutio facienda est ei, qui ius, & dominium in rem habet. Quare si res uel a domino, uel aliunde, quam a suo domino accepta fuit, domino restituenda est. Dixi, uniuerse, quoniã interdum alijs fieri potest.

Quarta regula, si res sit accepta ab eo, qui uel usum, uel custodiam, & procurationem, rei habet, uniuerse loquendo, huic restituenda erit. Primum, quia si huiusmodi personis non restitueretur, eis fieret iniuria, cum ad has personas rei conseruatio pertineat. Deinde, quoniã in foro exteriori, ab ijs, qui rei usum, & custodiam habent, res tradita iure repeti potest. Dixi, uniuerse, quoniam, interdum in foro consciẽtiæ posset restitui domino, quando id ei esset utile, & nullum damnum inde caperet, qui rem utendam, uel custodiendam accepisset. Ita Nauar. cap. 17. num. 29. Id autem tunc maxime liceret, quando timeretur, ne is a quo res accepta fuit, domino restitueret.

Ex hac regula colligitur, quod si quis rem accepit a dispensatore, ei restituere debeat, cap. Postulasti de donationibus. Itaque, cum huiusmodi personę rem iusto titulo, & bona fide possideant, illis, uniuerse loquendo,

fieri debet restitutio, etiamsi ultra tempus rem detineant: cum ipsorum sit rei acceptę suo domino rationem reddere. Quod si quis uero domino restituat, & inde qui rem habebat aliquid detrimenti capiat, is debebit illud resarcire, nisi per bonam fidem excusetur. Verum quãdo is, qui rem curaret, potius eam dissipat, ut accidere potest in Pręlato, qui ecclesiæ bona dilapidaret, ex Caietani sententia, restitutio facienda esset ecclesię; uel etiam ipsi Pręlato, eo modo, quo docet Nau. cap. 17. nu. 29.

Quincta regula, quando res non est accepta a domino, uel ab eo, qui nullum habet ius in rem ipsam, uniuerse loquendo, est restituenda domino. Quoniam restitutio obligat ratione rei acceptę, & ei danda est, qui minus habet: at huiusmodi est dominus, igitur domino reddenda erit.

Ex qua regula infertur, quod res ablata a religioso, a filio familias, a furioso, &cęt. non istis, sed religioni, patri, & curatori, restituenda sit; cum illi non sint domini: & non furi, sed domino restituendum esse, quod a fure acceptum fuit: sed hac de re statim priuata excitabitur disputatio.

Sexta regula, quando dubitatur de re accepta, cuius nã illa sit, semper est restituenda ei, a quo est accepta. Huius regulę ratio ea est, quoniam melior est conditio possidentis.

Septima regula, quando res data est ob aliquam caussam, seu sub aliqua conditione, si caussa, vel conditio non sit impleta, ei restituenda est, a quo res fuit accepta. Vt si data esset pecunia pro re iusta, uel iniusta facienda; & ad exitum non fuerit perducta. Ita Medina quęstione 2. dubio 2. conclus. 3. & Nauarrus cap. citato, num. 28.

Octaua regula, quando res ad effectũ perducta fuit, siue caussa sit turpis, siue etiam iniusta, siue honesta, si restitutio facienda est, non danti, sed pauperibus, iuxta communem sententiam fieri debet. Quoniam ex eo, quod

quod quis libere rem suam dedit, uisus est se omnino rei dominio priuare: nihil igitur est necesse, cur ei restituatur. Dixi, si restitutio facienda est, quia multi tenét, id, quod ex dictis caussis acceptum fuit, posse iuste retineri, ut patet ex ijs, quæ supra scripsimus. Leges autem quę ad detestandam turpitudinem statuunt non esse dátibus restituendum, sunt pœnales, & non obligant, ante sententiam latam: & ita non prohibent, quin danti possit restitui. Ita Medina loco citato.

Nona regula, si res per simoniam data fuit, non danti sed ecclesię in cuius iniuriam data fuit restitui debet. cap. de hoc autem, tit. de simonia. Restituitur etiam aliquando ei, qui dedit, ut patet in casu, qui habetur cap. ueniens, eod. tit. ubi statuitur restitutionem faciendam esse ab Abbate & Monachis, cuidam, quem noluerunt in monasterium recipere, nisi prius triginta solidos soluisset.

Decima regula, cum per legem aut iudicis sententiam res accepta alicui certę personæ, uel fisco applicata fuit, ei danda erit. Quo loco animaduertendum est, restitutionem interdum alicui personę, si ius naturæ, uel rationem ipsam spectemus faciendam esse, si uero ius humanum, alteri.

Vndecima, quando dominus est ignotus, facienda est pauperibus in utilitatem domini: si uero omnino absit ita ut nunquam ei fieri possit, ijsdem fiet pauperibus, nisi adsint hæredes, quibus prius facienda esset.

Quod si obijcias cap. sicut dignum, de homicidio, ubi dicitur, quod aliena non sunt pauperibus erogáda, quádo possunt suis dominis restitui, intelligitur, ut ait Medina, quando debitum est notabile. Sed de his accuratius paullo inferius scribetur.

Duodecima regula, quod alicui datum est caussa nocendi alteri, ut gratia exempli Petro, ut noceat Francisco, numquam restituendum est ei, cui facta est iniuria. Hanc regulam tradiderim contra quosdam, qui censent in his casibus restitutionem faciendá esse qui iniu

tia fuit affectus. Quoniam, huic talis res non est ulla ratione debita; quamuis in foro iudiciali posit in pœnā ei applicari: sed ante iudicis sententiam potest erogari in pauperes, ni uelit sibi retinere.

Atque hactenus de regulis uniuersalibus, hæc dicta sufficiant; quas adhuc manifestius sequentibus disputationibus explicabimus.

Argumenta allata, nihil est cur dissoluantur, cum satis explicentur ex dictis, & allatas regulas confirment. Ad alia igitur stylum conuertamus.

An res a fure, & iniusto possessore accepta, sit restituenda uero domino. Quæstio LXXIIII.

Vniuersis de eo, cui restitutio facienda est, regulis expositis, sequitur ut quasdam priuatas difficultates, quæ per allatas regulas non possunt plene explicari, priuatim discutiamus: quarum prima est, an res ab iniusto possessore accepta, uero domino restituenda sit, an uero sufficiat ei reddere a quo proxime accepta fuit. Quod autem domino restituere oporteat his confirmatur rationibus.

Primo, auctoritate legis, qui uas. §. si ego tibi. ff. de furtis, ex qua aperte colligitur eum appellari furem, qui rem alienam contrectauerit, licet eam furto non acceperit: Is igitur tanquam fur, domino restituere debet, non alteri furi, qui fortasse non restituet.

Secundo, qui domino non restituit, & credit eum nūquam rem suam a fure recuperaturum, positiue concurrit ad inferēdum damnum proximo: ergo si domino non restituat, erit ad damnum compensandum obligatus, fure non restituente, ut arguit Medina.

Tertio, si dominus sciret rem suam esse apud istum, qui a fure accepit, posset iuste illam tanquam suam repetere, & nolentem reddere per iudicem compellere - igitur debet eam domino restituere, &, si non restituat: iniuste aget, & ad damnum sarciendum erit obligatus

tus. Neque ualet, si dicas, huic licere suum pretium recuperare reddendo eã furi, quia fur posset abesse, aut iam uita discessisse: ut omittam, quod non est faciendũ hoc bonum, ut inde eueniat malum.

Quarto, restitutio est iustitiæ actus, ut supra docuimus: iustitia autem dat cuique suum: quod nõ facit qui domino non restituit: neque fit ulla iniuria latroni, si ei non restituatur, cum ipse a restitutione liberetur. De hac dubitatione hæ sunt auctorum sententiæ.

Prima sententia eorum, qui existimant posse, & debere fieri iniusto possessori, a quo accepta est, ut ipse restituat. Ita Alexan. Alensis part. 4. quęst. 86. memb. 3. art. 5. in fine, Nauarrus in Enchir. ca. 17. nu. 29. Caietanus in summa, uerb. restit. cap. 4. sed in suis commentarijs in quæstionem sexagesimam secundam, secundę, secundę aliter sensit.

Secunda sententia aliorum, qui dicunt eum qui iniusto reddit possessori peccare cõtra caritatem, sed tamẽ, non teneri amplius restituere. Ita Antonin. 2. parte. tit. 2. cap. 5. §. 2. qui Guil. citat, & Syluester, uerbo restit. 4. quæst. 1. sed quæst. 3. contra sentire uidetur.

Tertia sententia aliorum, qui sustinent restitutionẽ faciendam esse uero domino, quando mala fide res ab iniusto possessore accepta fuit. Ita Caietanus in art. 6. quæst. citatæ. Medina quæst. 10. C. de rest. Sotus lib. 4. de iust. & iur. quæst. 7. ar. 1. & 2. Henricus Harphius ser. 5. in Cantica, & uidetur Diui Thomę in 2. 2. quæst. 62. art. 6. Nos quid uerius uideatur, quibusdam præmissis distinctionibus, uarias subijciendo conclusiones aperiemus.

Præter eas igitur distinctiones, quas supra attulimus, distinguendum est de re accepta, an usu consumatur, an uero eadem conseruetur: cum de hoc duplici rerum genere diuersa uideatur ratio, & propterea nos seorsim de utroque quid sentiendum sit determinabimus.

Rursus distinguendum est, de iniusto possessore, an sit ad manus, an uero nusquam appareat. Item animad-

uertendum est rem ab iniusto possessore multis modis accipi posse, nimirum, donatione, emptione, furto, deposito, uel alio simili titulo. Itē animaduertenda est distinctio obligationis ad restituendū, quod alia oritur ex acceptione iniusta, & hęc semper obligat: alia ex re accepta, quę solum obligat, re accepta existente, aut aliqua ratione permanente. Item, reuocanda est in memoriā, distinctio superius allata de acceptione cum mala fide, uel bona, uel dubia: iuxta quæ tria capita nos uarias conclusiones statuemus.

Prima conclusio, res ab iniusto possessore scienter accepta, quocunque titulo accepta fuerit, uel domino, uel furi restituenda est. Hęc conclusio satis probabitur ex ijs, quæ dicemus in sequentibus conclusionibus, quæ habet dubitationem quandam in ijs rebus, quæ usu consumuntur, de qua re postea dicetur.

Secunda conclusio, quando res empta fuit ab iniusto possessore eo animo, ut restituatur domino, non apparēte iniusto possessore, ei restituenda est: a quo pretium recipi potest: Ita Syluester uer. rest. 3. quæst. 7. §. 4. Ostien. & Mon. Qui ergo certo sciens rem esse furto acceptam, eam modico pretio emit, ut domino restitueret, quod probabiliter crederet dominum nō posse aliter eam recuperare, idque ei fore utile, domino reddere debet, nisi fur appareat, & pretium petere potest, idque in utroque foro.

Quod eam debeat restituere, est manifestum, quia tenetur, tum ratione rei acceptæ, cum res sit aliena, tum ratione acceptionis: quia licet bono animo emat, tamē ui huius emptionis retinere non potest, cum per eā non trāsferatur dominium, cum empta sit ab eo, qui alienare non potest. l. eos C. de furtis.

Quod autem pretium possit in utroque foro repetere, præsertim si constet de uoluntate, qua rem istam emit, quæ tamen in exteriori foro non facile probari posset, patet.

Primo ex communiore sententia, de qua testatur Di-

dacus

dacus in relect. in regulam Peccatum parte 3. §. 1. num. 5. Ita enim docet Olsien. tit. de pœnit. uers. Quid de prę dam ementibus. Angelus uerb. rest. 2. Ioannes Maior li. 4. sent. dist. 15. quæst. 26. ad finem. Syluester uerb. rest. 3. quæst. 7. Ancaran. in regulam, peccatum, Cępolla cautela 10. & Ioan. Lupi. rubr. de donat. §. 65. num. 57.

Secundo ex optima auctoritate, quam Gratianus, Can. Rapinam. 14. quæst. 5. tribuit Ambrosio, quæ ait: Rapinam emere non licere, nisi ea intétione, ut cui est ablata restituatur. Cum ergo iste rem utiliter pro domino gerat, eam ratam habere debet: ac proinde pretium restituere; ad quod etiam soluendum poterit a iudice compelli.

Tertia conclusio, quando res mala fide empta fuit, & non animo restituendi, si iniustus possessor non compareat, uero domino restituenda est; sed pretium repeti non potest: Ita Sylu. loco citato. Quod pretium iure repeti non possit, patet, quia iste rem accepit, sine ulla domini utilitate, ac proinde dominus non tenetur eā pretio sibi recuperare.

Quarta conclusio, res mala fide accepta, cū iniustus possessor apparet, satis est, si ei restituatur, uero prætermisso domino. non tenetur itaque is qui a fure accepit, rem suo domino ex iustitia restituere; quamuis id ex caritate efficere possit, & interdum debeat. Hęc conclusio fauet primæ opinioni, quæ his rationibus confirmatur.

Primo, nemo tenetur ad maiorem restitutionem, quā fuerit rei ablatio, siue acceptio: igitur iste, qui a fure accepit, non est obligandus ad istam restitutionem, sed satis est, si proxime ei restituat, a quo proxime accepit, cum ad restituendum satis sit rem in suo loco reponere, unde proxime accepta fuit: quod optime fit, dum furi restituitur, apud quem, qui rem deponit, nemini facit iniuriam. Hanc rationem confirmat doctrina quędam lectione digna, quę habetur l. bona fides, ff. de deposito; unde colligitur, quod si spectemus ius gentium,

seu

seu naturæ nudum, hoc est, non explicatum, & determinatum a iure humano, restitutionē debere fieri furi.

Secundo, si iste efficere posset, ne fur rem alienā surriperet, aut surreptam restitueret, ni faceret, non offenderet iustitiam, idque uerum est ex communi omnium sententia, intellige de eo, cui ex officio non incumbit rem alienam tueri: ergo etiamsi ipse rem istam a fure acceptam domino non reddat, nihil contra iustitiam facit, si furi reddit, cum rem in pristinum statum reponat. Vnde apparet differentia inter eum, qui ex officio debet furem prohibere, ne furetur, & inter eum, qui tali obligatione nō est adstrictus: nam ille peccat contra caritatem, & iustitiam, hic uero, licet possit peccare cōtra caritatem, non tamen contra iustitiam, quamuis Sotus id speciatim affirmet.

Tertio, si iste ex iustitia teneretur, sequeretur eum in quocunque casu, debere domino restituere, quod est cōtra ipsum Sotum; sequela probatur, quia per Sotum nō tenetur restituere domino cum suo periculo, & tamen si concedat, teneri ex iustitia, debet restituere, etiamsi adsit periculum; non secus ac fur ipse, qui cum detrimēto restituere debet. nanque obligatio nata ex iustitia nō tollitur ratione detrimenti, igitur. Quod si cum Soto dicas, argumentum solum concludere, restituendum esse cum periculo, ob iniustam acceptionem, non autem cū restitutio oritur ex re accepta, ob quam caussam iste restituere debet, hoc nihil est, quia eo ipso, quo quis mala fide ab iniusto possessore rem accipit, aut se accepisse cognoscit, est ex mala acceptione possessor.

Quarto, qui rem emit a fure magis debet sibi, quam domino rei consulere, quod facit, rem furi restituendo, ut suum pretium recuperare possit, quod fortasse nō recuperaret restituendo domino, igitur.

Quincta conclusio, qui accipit a fure, interdum peccare potest contra caritatem, ni domino restituat. Vt si id sine suo detrimento posset efficere, & probabiliter crederet furem non restituturum. Si quidem cari-

caritatis lege, quantum possum, debeo æqualitatem seruare. Quando autem redderetur domino, monendus esset fur, ne iterum restitueret, ut tuta uiueret conscientia.

Sexta conclusio, qui rem a fure accepit, non tenetur eã domino restituere, si ideo aliquod notabile damnũ sibi timeret siue, ne fur eam in iudicio a se repeteret. Vt si commodato, deposito, aut locato eam habuisset. Quoniam nemo cum magno suo detrimento tenetur alterius utilitati consulere, quare satis erit, si furi restituat.

Septima conclusio, qui rem mala fide a fure accepit, nõ solum tenetur rem ipsam, uel si res in eius manu perijt, pretium restituere, sed etiam fructus, quos dominus percepisset, si rem apud se habuisset. Doctrina est certissima, & patet per l. eos, C. de furtis, & cap. Qui cũ fure, tit. de furtis, ubi Doctores.

Limitat hanc doctrinam Ioannes Medina, quæst. 10. aitque solum habere locum in ijs rebus, quæ usu non consumuntur, nec recipiunt functionẽ cum genere suo non autem in ijs quæ usu consumuntur, quas non tenetur in foro conscientiæ restituere; nisi fur ex hac receptione sit factus impotens ad restituendum. Quoniam iste non tenetur ratione rei alienæ, quia in his, quæ usu consumuntur, non transfertur res aliena, cum dominium non distinguatur ab usu: non ratione acceptionis, quia cum fur habeat unde reddat, non infertur damnũ uero domino.

At uero Couarruuias, loco supra citato, parte scilicet. 3. suæ relect. §. 1. num. 2. hanc limitationem Medinæ impugnat, & uult doctrinam esse uniuersaliter ueram, etiam in rebus, quæ usu consumuntur. Idque ex eo probat, quod is a quo accepit, non potuit rem alienam in alium transferre, & ita tenetur ratione rei acceptę. Pro qua opinione facit textus in l. Rogasti, §. ultimo. ff. si certum petatur. Vbi expresse dicitur in rebus, quę functionem recipiunt, & consumptionem, transferri dominiũ, si adsit bona fides: si uero mala, posse rem a domino

uendi-

uendicari, &c. Rursus ait teneri ratione iniustæ acceptionis, quod rem alienam, puta nummos, inuito domino contrectauerit, & ideo furtum comiserit, l. qui uas, § si ego tibi. ff. de furtis. ubi dicitur, eum etiam esse furem, qui rem alienam mala fide contractauerit, licet eam furto nó habuerit. Ex qua doctrina infertur, quod si quis fuisset inuitatus a fure ad prandium, ubi res furto acceptę essent appositæ, is teneretur ad restitutioné suę partis.

Cæterum Medinæ opinio cum illa limitatione, cum fur non redditur impotens ad restituendum, non est omnino improbabilis. Nam, qui gratia exempli furatur pecunias, non tenetur easdem numero restituere. igitur si fur illas gratis donauit, non sunt restitutioni obnoxiæ, si fur alias habeat, quas restituat. Confirmatur, si fur de disset huic alias pecunias gratis, non teneretur eas restituere, ergo neque istas, quas ab alio furto accepit. Leges autem, quæ ualde urgere hanc opinionem uidétur, intelligi possũt, in foro exteriori, uel in eo casu, in quo fur non habet unde restituat.

Octaua conclusio, in foro exteriori qui habet rem ab iniusto possessore, cogeretur eam uero domino restituere. Patet hæc conclusio ex l. in ciuilem. C. de furtis, & l. si mancipium C. de uenat.

Sed peteret hoc loco quispiá, quid sibi uelit, illud functionem in genere recipere, quod uarie a scriptorib. explicari solet, in l. 2. §. 1. ff. si cer. pet. ubi mutui datio expenditur. Res dicuntur recipere functionem in genere suo, per solutionem magis quam in specie, quæ propter naturæ, uel artis similitudinem recipiunt promiscuum usum, ita, ut una possit uice alterius fungi: Sicuti frumentum, cum frumento uinum, cum uino: oleum cum oleo, & his similia: Vel plane res dicuntur functionem recipere in suo genere, quę formalem, & substantialem habent æquipollentiam, ita quidem, ut una res fungatur uice alterius uniformiter, & substãtialiter: sic, quod non eadem res, & certa in indiuidua specie reddenda,

necess-

necessario sit, sed eadem res, & certa secundum ueram & realẽ substantiã genere & qualitate solui possit.

Atque de re mala fide accepta hactenus, nunc de re bona fide accepta, has alias conclusiones statuam, si prius illud admonuero, statim atque cognoscitur rem non esse eius, a quo bona fide, accepta fuit, eum qui retinet, incipere posſidere mala fide iuxta l.bonæ fidei, ff. de acquiren. domin. & ita iam tenetur resstituere ratione iniquę acceptionis.

Nona conclusio, qui bona fide accepit, si rem apud se habeat, tenetur eam restituere, ratione rei acceptæ. Ratio est manifesta, quia alias non tolleretur inæqualitas, quam rei dominus patitur.

Decima conclusio, si dum bona fides durauit, res alienata, aut consumpta fuit, tenetur ad restituendum id, in quo factus est dictor ex rei alienatione, uel consumptione. Quare, si consumpta fuit in cibum, id debet restituere, quod de suo impendisset, aut consumpsisset. Ita Nauar. & Couar. lib. 1. uar. resol. cap. 6. nu. 3. Vnde si rẽ dono habuisset, & eam uendidisset, deberet totum pretium restituere. Ex quibus patet quid dicendum sit, de rebus acceptis ex bello iniusto, quod bona fide putabatur iustum.

Quod si res bona fide empta fuit, rei pretium emptori a domino restituendum non erit. l. in ciuilem C. de furtis. l. si mancipium C. de rei uend. quod etiam in foro conscientiæ seruandum est, ut Caiet. in art. 6. quęstio 62. & Ioan. Maior, Syluest. & Medin. docent.

Sed hic magna est dubitatio, quando aliquis bona fide emit, & bona fide uendidit, an ueritate detecta, qui uendidit teneatur rem uenditam recuperare, & domino restituere; de qua re uarij sunt dicendi modi.

Primus Soti lib. 4. quęst. 7. art. 2. qui duo dicit. Primum, istum primum emptorem esse obligatum ad rescindendum contractum, & ad restituendum pretium. Quod probat a simili de eo, qui emeret a latrone uitrũ, & putaret esse lapillum, & bona fide uenderet; qui cognita

gnita rei falsitate, teneretur contractum rescindere. Secundum, si emptor secundus non compareret, & non sit periculum, fore ut res illa ab eo repetatur, licet qui bona fide uendidit, resciat esse alienam, ad nullam restitutionem tenetur, postquam a dominio rei liber est, cum rem non habeat, & emptori nullum damnum dederit.

Secundus Nauarri, cap. 17. nume. 8. qui ait illum qui bona fide emit, & uendidit, ad nihil teneri, uel domino, uel ei cui uendidit, nisi factus fuerit locupletior: ut si pluris uendidisset, quam emisset, quod restituere deberet, l. sed etsi, §. 1. & l. item ueniunt, §. 1. ff. de petit. hered. Itaque si bona fide emat, & uendat, & non sit factus locupletior, ad nihil tenebitur. Tenetur etiam bonę fidei uenditor de rei euictione, cap. fin. de empt. l. 1. & toto ti. ff. de euictione: a qua liberabitur cedendo actionem de euictione, quam habet contra eum, a quo bona fide emit.

Neque obstat allatum exemplum de falso lapillo; quia non est par ratio: quia ibi traditur res intrinsecus uitiosa, & ita uenditio est nulla: hic uero, res est intrinsece uera, & iusti ualoris. Immo ait, quod eadem erit in utroque casu ratio, si bona fide accepit, & dedit.

Quod si dicas, primus emptor potest per euictionem pretium a se datum repetere, ergo non potest utrunque retinere, Respondet, hoc solum concludere bonæ fidei uenditorem teneri ad concedendam actionem de euictione.

Tertius dicendi modus, aliorum, qui dicunt, eum qui rem alterius uendit, in omni casu esse obligatum ad rescindendum contractum.

Primum, quia primus emptor non est dominus, ergo non potest uendere: quod non sit dominus patet: quia non acquisiuit dominium per legem, aut per domini uoluntatem, quibus duobus modis transferuntur dominia.

Deinde, iure naturę iste contractus est nullus; ergo rescindẽdus: antecedens patet, quia primus emptor tenetur

netur reſtituere, ſi bona tollatur fides, ergo contractus ille non eſt ualidus, & conſequenter nec ſecundus. Adde etiam, quod qui rei pretium apud ſe ſeruat, rē ipſam quodammodo ſeruare uidetur. Atque hæc opinio uidetur probabilior.

Vndecima concluſio, iſte tenetur reſtituere domino, ſi quid ex re aliena utilitatis percepit. Quo fit, ut fructus ex re percepti reſtituendi ſint. Eſt doctrina certiſſima, & ueriſſima, & patet ex dictis. Reſtat nunc tertium caput, quando eſt dubia fides.

Duodecima concluſio, quando dubium eſſet, an is a quo res accipitur eſſet uerus dominus, an latro, ei facienda eſſet reſtitutio. Siquidem in dubio melior eſt cō ditio poſſidentis.

Decimatertia concluſio, qui eſt dubius an liceat rē furtiuam emere, ſi emat, peccat. Quoniam ageret contra conſcientiā, cōtra quam qui agit, neceſſario peccat.

Decimaquarta concluſio, poteſt quis emere uel dono accipere ſine peccato rem, de qua eſt dubius, an ſit alterius, modo habeat animum reſtituendi eam domino, ubi intellexerit eſſe alienam, præmittat diligentiam qua inquirat, an ſit furtiua.

Decimaquincta concluſio, diligentia adhibita, poterit rem iſtam donando, uel uendendo alienare, modo emptorem moneat, de rei conditione: quod ni faciat, tenetur in foro conſcientiæ ad damna, quæ inde emptor capere poteſt. Ratio eſt manifeſta, quia cum fraude uenderet. Ita Medina, & Couar. locis citatis.

Quare non placet Oſtienſ. opinio, qui lib. 4. de pœnitentia, dixit, eum peccare, qui rem cum fide dubia accipit: quem non nulli alij ſequuntur. Neque eorum fundamentum quicquam ualet, quod qui cum dubio aliquid agit, ſe exponit periculo peccandi; cum aliud ſit dubitare de re, an ſit furtiua, aliud, an talem rem emere liceat, ut ex dictis patet.

Decimaſexta concluſio, ſi res a principio bona fide fuit accepta, & poſtea ob rumores, uel propter aliqua

inditia cęptum est dubitari, an sit aliena, dubio extante, poterit retineri, animo restituendi domino, ac etiam uendi, animo reddendi pretium, si constiterit esse alienam. Neque enim iste bonę fidei possessori comparandus est. Quod si obijcias can. si uirgo, 34. q. 2. ubi Augustinus ait, quod bonæ fidei possessor rectissime quisq; dicitur, quandiu, se possidere ignorat alienum: quare cum iste dubitet, ignorat rem esse alienam, ac proinde cum bona fide possideat, poterit rem uendere, nec tenebitur pretium acceptum restituere: Hoc nihil urget, quia hæc auctoritas intelligitur de ignorantia positiua, qua possessor credit se nō possidere alienū, quā nō habet is, de quo loquimur, qui habet ignorantiā negatiuam.

Vltima conclusio, fructus percepti ex re, quæ dubia fide possessa fuit, uidentur esse restituendi, non secus ac si mala fide retentā fuisset. Nam re dubia existente, melior uidetur possidentis conditio. Denique quod attinet ad hanc dubitationem, de eo qui dubia fide accepit, illud dixerim, quosdam parem rationem facere, cum eo qui bona fide accepit. Et cum ad rem propositā, per uarias conclusiones satis abundanter factum sit, restat, ut argumenta contrariæ opinionis, quam quidam probabilem esse putant, respondeamus.

Ad primum, quod attinet ad auctoritatem legum, uim habent in foro exteriori, in quo iste, pro fure habetur; tamen, cum ex se nullam inducat inæqualitatē, non debet pro fure haberi.

Ad secundum, non concurrit iste ad damnum per se, sed per acicdens, & remote: potest tamen peccare contra caritatem, dum sine suo damno posset domini utilitati consulere.

Ad tertium, concędimus istum posse cogi ad rem restituendam, si apud se habeat, ut supra docuimus: uerum si iam restituit furi, etiamsi fur non restituat, ad nihil tenetur. Quod si fur absit, aut mortuus sit, suum perdere debet pretium. Nec proinde, quod furi restituit, facit bonum, ut inde eueniat malum, sed solum id, quod

ad se pertinet; &, si inde malum sequitur, si fur non restituat, furi tribuendum est.

Ad quartum, iustitiæ actus est etiam ei a quo accepisti reddere, & rem in suum statum restituere.

Quamuis autem id, quod nos sustinemus, nobis probabilius uideatur: tamen sententia contraria, & ob auctoritatem eorum qui eam sequuntur, & ob rationes, sua non caret probabilitate: quamuis omnino durum uideatur, eum qui restituit latroni, iterum ad restitutionem obligare, si latro non restituat: quod Medina, & Sotus speciatim docent. Sed dicerent, qui contra sentiunt, redditionem factam furi non esse restitutionem, sed potius æquiualere iniustę acceptioni: cum non sit actus iustitiæ, quæ dat rem sua Domino.

Quod de fure disputatum est, intelligi etiã debet, de omnibus alijs, a quibus res accipitur, cuius non sunt domini: ut est filius familias, monachus, & seruus.

An sit restituendum ei domino, qui re sua abuti uelit: uel de restitutione depositi.

Quæstio LXXV.



Niuersam superius tradidimus regulam, qua dicebamus restitutionem faciendam esse ei, qui habet rei dominium: sed quoniam potest incidere casus, ut dominus re sibi restituta abuti uelit, ideo hæc proposita est disputatio: quæ in alium locum reijci potuisset, ubi agitur, de tempore, quo facienda est restitutio. Quod autem huic domino nõ sit restituendũ, his probatur rationib.

Primo, restitutio facienda est in utilitatem eius, cui restituitur: at si redderetur domino, id quo ipse abuti posset, esset ei perniciosa; non est igitur in tali casu ei facienda. Vt ecce, si restituerem cuipiam pecunias, quibus fornicari uellet, aut prodigaliter uiuere: uel ensem, quo se ipsum perimere, aut remp. aggredi statuisset. Quo casu, non solum contra caritatem, sed etiam con-

tra iustitiam agerem: ac proinde ad restitutionem non tenerer.

Secundo, iste non habet ius in talem rem; non est igitur ei restituéda: sumptum patet; quoniam nemo habet ius ad peccandum: cum ergo uelit re sua abuti ad peccandum, ei restituere non debeo. confirmatur hęc ratio; quia in tali casu, si possém rem illam ab eo auferre, utique deberem; non igitur sum obligatus restituere.

Tertio, iste dum re sua abutitur, facit iniuriam Deo, & omnibus legibus; igitur non debeo restiture, & multo minus, quam si remp. peruertere uellet: cum magis Dei honorem, quam reip. pacem cóseruare debeamus. Atque has rationes dubitandi caussa attulisse sufficiat: Quod autem ad opiniones attinet Diuus Thomas in secunda secundæ, quæst. 62. art. 6. de hac difficultate sermonem habens, dixit, restitutionem non esse faciendã domino, quando res, ei uel alteri grauiter nocitura esset; sed posse differri in aliud tempus: uel rem apud alium deponendam esse, quam tutor conseruet.

Ex qua doctrina dominus Caietanus eodem in loco infert primo, eum peccare mortaliter, qui tempore belli iniusti, soluit ingentes pecunias domino iniustum bellum gerenti. Deinde, quod si restitutio non est facienda, cum obest tertiæ personæ, multo minus, si cederet in detrimentum Ecclesiæ. Quo fit, ut iniuste agat, qui reddit pecunias uolenti per simoniam emere beneficiũ: & multo magis qui dat pecunias mutuas huius rei caussa.

Sotus lib. 4. de iust. & iure, q. 7. art. 1. tria dicit circa hanc difficultatem.

Primum eum, qui restituit creditori uolenti iniuste agere contra se, uel contra tertiam personam peccare mortaliter contra caritatem, & iustitiam: sed hoc non probat.

Secundum, qui restituit creditori uolenti abuti solũ contra caritatem, modo possit, non restituere, peccat solum contra caritatem: ut si quis restituat pecunias creditori uolenti fornicari.

Tertium,

Tertium, eum qui reddit pecunias uolenti simoniã committere, solum peccare contra caritatem. Nos quid in hac difficultate sentiendum sit, duobus iactis fundamentis nonnullis conclusionibus explicabimus.

Primum fundamentum, in quo ponenda sunt quædã quæ pro certis in hac re habentur. Primum, certum est quod si debitor hac intentione restituat, ut is cui restituit peccet, eum quoque peccare: quo etiam casu peccaret, quamuis non restitueret. Deinde, certum est, eum, qui restituit non peccare, nisi certus sit dominum cui restituit, peccaturum. Quare tota difficultas est de eo, qui sine mala intentione reddit, sed cum scientia, quod dominus sit abusurus. In quo etiam casu certum est, quod si libenter, & prompte, sine ulla difficultate, & contentione restituat, grauiter peccabit. Nam duobus modis potest aliquis rem suam repetere: uno modo sine ulla contentione, simplici nimirum petitione; alio modo contentiose, & pertinaciter; ita ut omnino uelit eam sibi restitui.

Secundum fundamentum, duobus modis potest dominus uelle abuti re sua; uno modo contra iustitiam, ut si uelit tertiam personam, uel remp. offendere, aut pecuniam sibi restituendam iudici ad iniustam sententiã ferendam tradere: altero modo contra caritaté, ad committendum aliquod peccatum sine iniustitia, ut ad fornicandum, & prodigaliter uiuendum. Nam, si priore modo abuti uelit, qui restituit, uidetur facere contra caritatem & iustitiam, ac proinde restituendi obligationem contrahere: si uero altero modo, solum peccare mortaliter: & hoc est, quod in dubitationem uenit, an qui restituit rem, qua dominus abuti uult, solum peccet, an etiam interdum restituere teneatur. Cuius dubitationis explicatio ex eo pédet, an depositarius, & uniuerse, qui rem habet alienam, in tali casu teneatur ex iustitia, uel ex caritate rem domino non restituere. Quid autem hac in parte sentiendum sit, sequentibus conclusionibus explicabo.

Prima conclusio, ex lege naturæ uniuersè loquendo, depositum, uel res aliena restituenda est ei, qui deposuit, & ei cuius est, quisquis ille sit, ita, ut etiam hosti depositum reddendum sit. Hanc Doctrinam, quæ pluribus rationibus confirmari posset, his rationibus breuiter confirmo.

Primo, auctoritate iuris canonici, cap. Bona fides, tit. de deposito; cui accedit auctoritas legum humanarum l. Bona fides. ff. depositi: & M. Tullij libro tertio officiorum, cuius luculenta uerba paullo inferius, ad probandam secundam conclusionem afferam.

Secundo, quia, qui rem depositam domino non restituit, contrectat rem alienam inuito domino, ac proin de se reum furti facit: adde etiam, quod fidem non seruat, quæ claro naturæ homine cuique seruandam esse docemur. Vnde male, ille, ut est apud Plutarchum dixit, hostem fallere esse iustum, laudabile, & suaue: multo sapientius Tullius, qui & rationibus, & illustribus exemplis fidem hosti seruandam esse, libro primo officiorum, demonstrauit.

Secunda conclusio, eodem naturę lumine docemur, depositũ interdũ non esse restituendũ domino petenti.

Primo, patet hæc conclusio ex communi Doctorum opinione, ad quam accedat hæc luculenta M. Tullij sententia. Ergo & promissa non facienda nonnunquam, neque deposita semper reddenda sunt. Si gladium, quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens reddere peccatum sit, non reddere officium. Quod si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ, reddes ne depositum? Non credo, facies enim contra remp. quę debet esse carissima. Sic multa, quæ natura honesta uidentur esse, temporibus fiunt inhonesta. Facere promissa, stare conuentis, reddere deposita, com mutata utilitate, fiunt non honesta. Hęc Cicero.

Secundo, quoniam, ut optime arguit Angelicus Doctor, restitutio fieri debet in utilitatem eius cui restituitur: sed interdum si fiat, in illius perniciem cede-

ret: quare incidere poſſunt tempora, in quibus fieri non debet.

Tertia concluſio, quando quis uellet re ſua abuti, ſiue contra caritatem, ſiue contra iuſtitiam, is qui rem illam habet, debet, quanta poteſt contentione, conſilio, admonitione, & precibus dominum monere, ne repetere uelit, ſi ea abuſurum ſciat. Siquidem quiſque, quantum in ſe eſt, caritatis officio tenetur alterius bono conſulere; cum, ut Sapiẽs, Eccleſiaſtici 17. ait, Deus cuique mãdauerit de proximo ſuo: & homo homini debeat eſſe Deus, non lupus. Quare, qui ſecus faceret, tanquam inhumanus, ab omni humana ſocietate eijciẽdus eſſet.

Quarta concluſio, quando dominus peteret rem ſuã etiam magna cum contentione, qua uellet contra iuſtitiam abuti, qui reſtituit, cum poſſit non reſtituere, non modo peccat mortaliter, ſed etiam tenetur ad reſtitutionem, tanquam is, qui damni cauſſam dederit. Doctrina eſt communis, quam loco citato, ſine probatione tamen, ſpeciatim tradit Sotus, nos his rationibus confirmamus; quibus id potiſſimum probabitur, iſtum peccare contra iuſticiam, ac proinde eſſe ad reſtituendum obligatum.

Primo, dominus in tali caſu non habet ius ad ſuam rem repetendam, cum uelit ea contra iuſtitiam abuti: ergo, qui ei reſtituit facit contra iuſtitiam, ac proinde ad reſtitutionem erit obligatus.

Secundo, in hac facti ſpecie, ſecundum omnes leges non debeo reſtituere, ut patet ex dictis, & ex eo, quia ſum cauſſa adiuuans eum, qui iniuſte agit: ſi igitur reddo, ſum inæqualitatis cauſſa, ad quam remouendã procul dubio ero obligatus.

Tertio, ſi gratia exempli aliquis mihi commodaſſet enſem per tres dies, quem ſecundo die, ut eo contra iuſtitiam abuteretur, a me repeteret, ſi redderem, non ſecus peccarem, ac ſi meum ei commodarem, cum ille iure, ante ſtatutum diem repetere non queat. igitur nec etiam ſi ob eandem cauſſam poſt tertium repetat diem,

consequentia est manifesta; quia tribus elapsis dieb. ob huiusmodi caussam, non habet maius repetẽdi ius, quã secundo haberet die.

Postremo, iste in foro exteriore per leges humanas puniretur, non aliam ob caussam, nisi quia facit contra iustitiam, igitur.

Quod si dicas, iste petit quod suum est, igitur, qui nõ restituit, faciet contra iustitiam. Respondetur, concesso antecedenti, negatur consequẽtia, quoniam ex iustitia quandoque depositum reddendum non est, cum dominus non habeat ius petendi, ut patet exemplo pupilli, & curatoris, a quo ille, quod suum est repetere non potest: satis ergo est, si abuti uolenti conseruetur, quod suum est.

Hæc conclusio his rationibus confirmata, limitanda est, quando non sequeretur maius malum, si non fiat restitutio. Quare si ei qui restituere debet, immineret graue periculum, posset tuta conscientia rem alienam domino reddere, etiã si eũ abusurum sciret: cum nemo, cũ graui suo damno, alterius utilitati cõsulere debeat. Doctrina est diui Thomæ lib.4.sen.dist.32.quæst.unica, ar. 2.quæstiuncula 3.ad tertium.

Ex hac conclusione nonnulla infere licet.

Primum, uerum esse, quod dixit Caietanus, & ante ipsum Tullius, non esse restituendas pecunias ei, qui uult genere bellum iniustum.

Deinde, ex eiusdem sententia, non est restituendum uiro Ecclesiastico, qui bona ecclesiæ dilapidaret: cum beneficiatus non sit dominus, sed dispensator: atqui Nauarrus contrarium docet, cuius opinio non est improbabilis, si de ea loquamur parte, quæ beneficiato debetur, tanquam operario: si autem de ijs loquamur bonis, quorum solam dispensationem habet, potius Ecclesiæ, uel pauperibus restituendum esset, quibus fit iniuria. Siquidẽ, si dispensator male rẽ domini administret, potius debeo domino, quã malo dispẽsatori restituere, sed in foro exteriori ei cogerer restituere, a quo accepi.

Po-

Postea infertur, non esse restituendas pecunias usurario, qui uelit eas fœnori dare; sed possum conseruare, donec ero securus, fore, ut non amplius abutatur. Non tamen bene infertur, quod intulit Caietanus, eum qui restituit uolenti simoniam exercere, esse obligatum ad restituendum, ut bene adnotauit Sotus. Quoniam, licet simoniacus non possit emere beneficium, uel aliam rē sacram: tamen ius habet ad suas pecunias repetendas, quibus non uult uti contra iustitiam, & qui ei restituit, sine diligentia superius dicta, solum peccat contra caritatem.

Quincta cōclusio, quando dominus uult abuti re sua contra caritatem, non debeo restituere: sed si restituo non sum obligatus ad sarciendum damnum. Quod non debeam restituere, patet; quia depositum & debitum restituendum est ob utilitatem dantis. Quod ad aliquid restituendum non sim obligatus, est manifestum; quia non lęditur iustitia.

Intelligenda est hæc conclusio, quando dominus alias non esset peccaturus: quia si alias peccaturus esset, non possum, eo inuito, eius rem retinere. Intelligenda est etiam, quando id commode fieri potest, ut statim dicam.

Sexta conclusio, quando qui deposuit siue creditor instanter, & minaciter rem suam repeteret, si preces, & consilia non prosunt, possum sine peccato rem acceptā restituere, cum ea abuti uult contra caritatem.

Primo, quia ipse in tali casu habet ius ad petēdum, debeo igitur ei restituere: neq. enim sunt facienda mala, ut inde eueniant bona, ut Apostolus ait, malum autem fieret, si eo prorsus inuito, cum habet ius ad repetendum, ei non restitueretur.

Secundo in hoc casu, ad uitandum eius peccatum, non possum ab eo auferre pecunias, quas habet, ergo neque eo inuito, quas ei debeo, mihi retinere licet.

Tertio, ex lege caritatis solum sum obligatus adhibere concilium, & preces: ergo, si hæc non sufficiant non

non erit mihi uitio adscribendum, si peccabit.

Septima conclusio, quando creditor peteret rem suã, qua abuti contra caritatem uellet, si ei restituo quando non sum obligatus restituere, pecco. Quoniam est cooperari peccato, non secus ac si rem meam ei commodarem, qua abuti uellet. Cum ergo non habeat ius ad petẽdum, non debeo ei in tali casu restituere. Atque per has conclusiones plene propositæ difficultati satis esse factum arbitror, nunc ad argumentorum solutionem accedamus.

Ad primum, qua ratione hoc argumentum diluendũ sit, patet ex allatis conclusionibus: aliquando enim restituendum non est, quod hoc argumento concluditur alias uero restituendum est.

Ad secundum, eo solum tempore creditor non habet ius ad suam rem repetendam, quando ea contra iustitiam abuti uult: alias potest iure repetere, ac proinde eo omnino inuito, eam retinere non licet. solum ergo concludit in eo casu, in quo uult contra iustitiam abuti, quo casu, ut si possem deberem eam auferre, ita restituere non debeo. At uero cum creditor repetere potest, & iure repetit, etiamsi uelit ad peccandum abuti, & contra iustitiam legalem agere, ego tamen restituendo, nihil contra legem, quæ mihi restitutionem iubet, pecco.

Ad tertium, relicta quorundam minus bona responsione, nego esse parem rationem de iniustitia, qua resp. uel aliquis homo offenditur, & de iniuria, quæ quis agẽdo contra caritatem Deum offendit, quia eam iniuriam qua quispiam Deum afficit, impedire non possum, cum Deus solo animo offendi queat: quare etiamsi non restituo, adhuc ille Deum offendit: at uero iniustitiam erga homines possum prohibere, non restituendo id, quo quis proximum offendere studet. Huc etiam facit, quod Deus iniuriæ sibi illatæ uindictam sibi reseruauit, cum dixit, Mihi uindictam, & ego retribuã. Quare, & si quis ex caritate magis deberet permittere iniuriam factam homini, quam rem, quæ fit Deo: tamen ratione iustitiæ

ma-

magis dét obstare iniuriæ inferédæ homini, quam quæ infertur Deo, cum hanc impedire possit, & ad hoc ex iustitia obligetur, illam uero minime: quam eatenus impedire tenetur, quatenus iustitia patitur, id est sine iniuria eius, qui rem suam repetit.

Cui sit facienda restitutio, quando dominus est mortuus, uel est ignotus, uel res est inuenta.

Quæstio LXXVI.



QVoniam in hac quæstione uaria sunt capita, propterea facilitatis caussa, quę dicturus sũ, ad quasdam dubitationes reuocabo.

Prima dubitatio, cuinam sit faciéda restitutio quando dominus est mortuus: ad quam dubitationem respondeo his dictis.

Primum dictum, mortuo uero domino, uniuerse loquendo, restitutio faciéda est hęredibus. Primum, quia repræsentant defuncti personam. Deinde quia hęredes succedunt in debitis; igitur & in creditis succedere debent, cap. A nobis, secundo, de sententia excommunicationis, ubi hęredes compelluntur ad satisfaciendum pro defuncto: Adde etiam sententiam communem.

Secundum dictum, restitutio facienda est omnibus hęredibus. Sunt autem hæredes in triplici differentia: alij necessarij, quos testator non potest, nisi ex aliqua legitima caussa, excludere ab hęreditate; ut sunt filij: Alij, qui succedunt ab intestato, ut sunt fratres, & consanguinei: Alij denique alieni, qui extrinsecus ad hæreditatem uocantur; & his omnibus facienda est: his enim qui restituit, domino quodammodo restituit.

Tertium dictum, si hæres non statim appareret, non propterea quod est restituendum, licet dare pauperibus, sed diligenter inquirendum est, si quis extet hęres. Nam, etsi id cederet in utilitatem animæ defuncti; tamen, quia post mortem omnia amittuntur iura, & in hęredes seu creditores transferuntur, ideo ijs extantibus,

non

non est alijs dendum, quod ipsis iure debetur.

Quartum dictum, si qui restituturus est haberet, uoluntatem interpretatiuam defuncti, quod scilicet in pauperes distribui uellet, quod sibi debetur, id fieri posset, præsertim, si res non esset magni momenti.

Quinctum dictum, si facta diligentia, nullus appareat hæres, si quod restituendum est esset maioris momenti, auctoritate publica in pios usus erogandum esset. Quod si postea aliquis appareat hæres, ille erit liber a restitutione facienda hæredi. Sed in re leuiori non esset opus tanta diligentia. Ita Sotus lib. 4. de iust. & iure quæstio. 7. art. 1. in solutione ad tertium.

Dubitatio secunda, cui facienda sit restitutio, quando dominus est ignotus. De hac dubitatione Scholast. agunt in dist. 15 lib. 4. sent. Scot. q 2. Richar. quęst. 4. art. 5. Sotus loco paullo ante citato, Sylu. uerbo rest. 4. & 5. Medina q. 3. caussa decima ad quam dubitationem his dictis respondeo.

Primum dictum, non debet censeri dominus ignotus, donec per debitorem facta sit sufficiens inquisitio. Erit autem sufficiens, si fiat iudicio boni uiri, pro rei restituendæ magnitudine. Quo fit, ut si absque inquisitione debita, aliquis restitueret, & dominus postea appareret, ei iterum restituẽdum esset. Ita docet Caietanus, & est communis opinio.

Secundum dictum, facta ueri domini inquisitione, si non appareat, licet post bonorum distributionem in lucem ueniat, nihil ei restituendum erit. Quoniam debitor non debet bis, siue sua culpa restituere; qua culpa uacat, cum diligentiam ad dominum inueniendum adhibuerit.

Tertium dictum, si quod est restituendum, mala fide acceptum fuit, domini inquisitio facienda est proprijs expensis: quoniam qui male accepit, propter delictum hoc detrimentum sentire debet. Quare, si quis furto, uel rapina, uel alio iniusto titulo rem alienam accepisset, deberet suis expensis dominum perquirere.

Quar-

Quartum dictum, si res restituenda, bona fide accepta fuit, ut deposito, mutuo, uel etiam inuentione, non suis, sed domini expensis facienda est domini inquisitio. Nam, licet iste restituere debeat, non tamē suo cum detrimēto, cum nulla appareat ratio, cur hoc damnum sine ulla culpa sentire debeat.

Quintum dictum, si diligenti præmissa inquisitione, rei dominus partim sit certus, partim uero incertus, certo domino pro rata fieri restitutio debet. Exempli gratia, debeo centum nummos quattuor hominibus, ex quibus duos habeo certos, utrique dabo uigintiquinque, & quod superest, pauperibus.

Sextum dictū, si qui est restituturus certo sciret restitutionem faciēdam esse uni, exēpli gratia, ex tribus hominibus, sed cui priuatim ignoraret; non est censendus dominus incertus, siue ignotus: quare deberet inter illos rem restituendā diuidere, aut alijs consentientibus, uni dare: ni uellent per sortem tentare, cui contingeret. Ratio huius dicti ea est, quia scitur dominus in communi, cui damnum est illatum; & ideo ei, eo modo quo potest, fieri debet restitutio. Quo fit, ut sine illorum omnium consensu, debitor nihil debeat de re disponere: ne que junius remissio, a restitutione liberaret.

Ex quibus colligere licet, quod ea, quæ in bello iniusto accepta sunt, nisi priuati domini appareant, danda esse communitati, ut magistratibus, & episcopo illius loci contra quem iniuste bellum susceptum fuit, ut ipsi postea in singulos distribuant. At uero si res a priuata persona, uel familia ablata esset, ei restitui deberet.

Septimum dictum, facta diligenti inquisitione, si dominus non appareat, restituendum est pauperibus. Est doctrina communis, quæ his confirmatur auctoritatibus: can. Non sane 14. q. 5. ex Augustino, epistola 54 ad Macedonium, cap. qui habetis, tit. de usuris, & c. Quamquam, eodem titulo, lib. 6. cap. sicut dignum, de homicidio, cap. Quia plerique, de immunit. ecclesiarum, & denique Authen. omnes peregrini, C. commun. de succes.

Adde

Adde etiam rationem; quia, cum non inueniatur priuatus dominus, restituendum est domino communi, nimirum Christo, cui is restituit, qui pauperibus reddit; iuxta illud Matthęi 28. Quandiu fecistis de his fratribus meis minimis mihi fecistis. Quando autem non adessent pauperes, quod est restituendum, in alios pios usus erogari posset, ut diuus Thomas, Paludan. q. 2. art. 3. Caietanus, Syluester, & Sotus docent.

11 Octauum dictum, quamuis ista restitutio fieri possit priuata auctoritate; tamen multo melius fieret auctoritate publicæ personæ, præsertim, cum res esset maioris momenti. Primum, quia melior fortasse fieret distributio: deinde, quia si unquam dominus appareret, qui restituit esset magis tutus.

2 Tertia dubitatio; cui restituenda sint bona inuenta. Vt hæc dubitatio soluatur, animaduerte, bona inuenta esse in triplici differentia: quædam sunt de quibus certũ est paullo ante habuisse certum dominum; ut patet de crumena inuenta in platea, de mercibus integris in lito re repertis, & de alijs similibus. Quædam, quæ a multo tempore fuerunt amissa, ut sunt, quæ in aliquo antiquo reperiuntur ędificio; & uniuersè thesauri defossi. Postremo alia sunt, quę nunquam certum habuerunt dominum, ut sunt gemmæ, & lapilli. Hac posita distinctione, statuo hæc dicta.

2 Primũ dictum, Bona primi generis, hoc est, quæ paullo ante dominum habuerunt, restituenda sunt uero domino: qui per sufficientem inquisitionem inuestigandus est. Doctrina est certissima, quam supra latius probauimus: & Augustinus tanquam raptorem damnat eũ qui inuenta nõ restituit, Can. Si quid inuenisti. 14. quęs. 5. Quare, qui rem alienam inuenit, & domino non reddit, furtum committit, l. falsus, §. qui alienum. ff. de furtis: quod intellige, quando eam sibi retinet, cum sciat esse alienam.

Secundum dictum, bona inuenta huius ordinis, uero domino non reperto, sunt danda pauperibus. Est cõmunis

munis doctrina, & patet ex auctoritatibus supra citatis. Intelligendum est hoc dictum, quādo non solum dominus, sed neque eius hæres appareret. Quare, non placet eorum opinio, qui dicunt, seclusis locorum legibus, inuentorem posse sibi rem inuentam retinere, & non esse dandam pauperibus, de qua re postea disputabo.

Tertium dictum, in inquisitione domini facienda, seruanda est locorum consuetudo, siue lex. Nam pro locorum diuersitate, uarie his de bonis, quę Græci ἀδέσποτα idest sine domino uocant, sunt consuetudines. Apud Aegyptios, referente Strabone, lib. 17. & Budeo li. 3. de Asse fisco applicantur: apud Hispanos post certam diligentiam, factam ad inueniendum dominum, alicui certę personę applicatur: eadem fere consuetudo est apud Burgundos, ut Cassaneus scribit.

Non tamen probanda est consuetudo ea, quæ apud Gallos uiget, ut bona eorum, qui naufragium fecerūt, tanquam oberrantia, & incertum dominum habentia, sibi prouinciæ dominus acquirat, & idem de aliis dicas. Quoniam, etsi lex humana, uel in criminis pœnā, uel in publicam utilitatem, uel ratione legitimæ usucapionis, uel quia res a dominis habentur pro derelictis, possit alteri dominium dare: tamen, nulla ex his caussis locum habet in rebus inuentis, ut inuito domino, cuipiam tribuantur. Lege Didacum in parte 3. relect. in regulam, peccatum §. 2. nu. 5.

Quartum dictum, quod attinet ad thesaurorum inuētionem, standum est consuetudini, & legibus, pro quarum constitutione inuentus thesaurus certis personis applicandus est.

Quinctum dictum, quæ sunt tertii generis, ueniunt in dominium eius, qui primo occupabit. Quæ doctrina uniuerse intelligenda est, de omnibus rebus, de quibus probabiliter creditur nullius ante fuisse. Huc facit, §. Item lapilli, Instit. de rerum diuis. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 15. §. 2.

Quarta dubitatio, cui sit facienda restitutio, & quomodo, si a pluribus & incertis personis minutatim ali-

modo,

quid surreptum fuerit, ut fieri solet ab ijs, qui merces emptas reuendunt.

Primum dictum, quantum fieri potest, restituendum est ei, a quo acceptum est: ut cótingeret, si quis diutius officinam frequentasset.

Secundum, si hoc fieri nequit, restituendum, est personis illius loci, in quo venditæ sunt merces: Quæ restitutio fieri posset, si ijsdem hominibus uilius merces uẽderentur.

Tertium dictum, quando non est aliud remedium, restituendum est pauperibus.

Quincta dubitatio, an quę diximus bona, restituenda sint publica auctoritate, an uero satis sit, si quis per se restituat. Ratio dubitandi sumitur ex cap. Cum tu, de usuris, quo loco dicitur, faciendam esse Episcopi auctoritate, quod etiam affirmauit diuus Thomas in 4. sent. dist. 15. & nonnulli alij. At uero Scotus eadẽ dist. quæst. 5. art. 4. & Richardus ibidem ar. 5. quæst. 4. quos multi sequuntur, dicunt posse fieri propria auctoritate, cum domino expediat, ut citius fiat. Cęterum, ut supra diximus, sanum est consilium, ut publica intercedat auctoritas.

Sed si quis in his rebus restituendis negligens esset, a quonam posset ad restituendum cogi? Respondet Syl. uer. rest. 8. cogendum esse ab Episcopo, qui est pauperum pater.

Sexta dubitatio, an restitutio facienda sit pauperib. illius loci, unde oriundus erat dominus, uel unde accepta fuere. Ostien. c. Cum tu, de usuris, ita faciendum puta. Alii contra sentiunt, & satis esse existimant, si dentur pauperibus, quod magis placet. Quoniam hæc bona non datur pauperibus propter aliquod ius, quod ipsi in ea habeant, sed quia id cedit in utilitatem domini, quæ utilitas conseruatur quibuscunque pauperibus restitutio fiat.

Septima dubitatio, an qui est restituturus possit sibi ista bona restituenda applicare, si ipse sit pauper.

Primum dictum, quando quis esset certus de sua indi

gentia,

gentia, posset ubi illa bona propria auctoritate retinere, cauere tamen debet, ne id dolo, & fraude faciat: Ita Caietanus, Sotus, Iosephus, & alij.

Secundum, melius esset, ut hanc applicationem faceret consilio alterius, ueluti confessarii, præsertim si qui est restituturus de sua indigentia dubitaret. Quoniam nemo est bonus iudex in caussa propria. Expedit ergo bona restituenda in manus confessarij tradere, qui pro suo iudicio ea applicet. Atque de his dubitationibus hactenus.

Quo iure restitutio eorum bonorum, quorum dominus ignoratur facienda sit pauperibus, & ad quem eorum pertineat dispensatio.

Quæstio LXXVII.

CVm ergo multi incidant casus, in quibus restitutio pauperibus facienda est, ut communis docet scriptorum auctoritas; quæreret nunc aliquis, quonam iure pauperes in hæc bona succedant, an iure naturę, an diuino, an uero lege humana? Quod autem pauperes iure, uel naturali, uel diuino in hęc bona succedant, his confirmatur rationibus.

Primo, bona quę carent uero domino, censentur bona communia: ergo iure naturę debent esse pauperum; qui cum nihil habeant, possunt illa occupare: confirmatur, quia pauperes ob necessitatem possunt ex alienis bonis sumere, idque iure naturæ; ergo multo magis ex communibus.

Secundo, pauperes succedendo in hæc bona, sunt ueri domini: igitur non ex liberalitate, sed ex iustitia illis debentur. Confirmatur, apud Ethnicos ista bona deberentur pauperibus, non ex lege humana, uel diuina, ergo ex lege naturę.

Tertio, uidentur esse debita iure diuino, in quo habetur, ut quod superest detur pauperibus: at huiusmodi

bona superfluunt, cum non sint alicuius priuati hominis, igitur. In hac difficultate sunt hi dicendi modi.

Primus Soti lib. 4. de Iustit. & iure, quæst. 7. art. 1. ubi tria docet.

Primum, huiusmodi bona iure naturæ cedere in vsũ reip. communem. Nam post factam rerum diuisionem, si rei dominus quęsitus non inueniatur, rursus in publicum usum ueniunt.

Secundum, Christi Vicarius in rep. Christiana, cum uniuersalem pauperum curam gerat, potest hæc bona quasi communia, reip. pauperibus applicare.

Tertium, de facto Pontifex iure naturali, & diuino coactus, hæc bona pauperibus applicuit, & speciatim Alexander, cap. Cum tu, de usuris. Ex qua doctrina duo colliguntur: primum, Põtificem posse huiusmodi bona in alios pios usus erogare: ut, ad redimendos captiuos, ad reficiendas sacras ędes, & cęt. Alterum, pauperes nõ succedere in hæc bona tanquam dominos, cum ex se pertineant ad publicos usus: succedunt ergo ex Pontificis decreto.

Secundus, Didaci Couar. in relectione in regulã peccatum, parte secunda, §. 1. nu. 6. & par. 3. §. 2. num. 3. 4. & 5. & Medinę, quæst. 3. Caussa 11. Quæ sententia explicatur his dictis.

Primum, remp. in his bonis non succedere iure naturali, ita ut possit ea alicui personæ applicare, ut non cedat in utilitatem domini: possent tamen certæ personæ applicari, modo domino relinqueretur facultas repetendi, si appareret.

Secundum, huiusmodi bona dispensari posse per postatem humanam in utilitatem ipsius domini, in pios usus. Persona itaque publica, siue Pontifex solummodo tanquam publicus dispensator, in domini utilitatem hæc bona distribuit, reddendo ea suo domino in pauperibus.

Tertius dicendi modus aliorum, qui omni humano iure remoto, loquendo de bonis inuentis, dicunt ea esse

se eorum, qui inuenerunt. Quibus ea patrocinatur ratio, quod solum iure humano hęc bona tribuantur pauperibus: quare, hoc iure remoto, eorum erunt, qui inuenerunt, domino quęsito, & non inuento. Quid in hac difficultate sentiendum sit, quibusdam iactis fundamẽtis, plane explicabimus.

Primum fundamentum, bona ex quibus aliquando facienda est pauperibus restitutio, uel sunt simpliciter inuenta, quorum domini, facta inquisitione, ignorantur, uel aliquo iniusto titulo acquisita; ut per simoniã, per iniustitiam, uel alio in quo modo: quorum restitutio ex multorum sententia pauperibus fieri debet, etiã si domini sint certi. Ad bona inuenta reuocantur etiam ea, quorum domini sunt quidem noti, sed tamen, quia longissime absunt, nunquam eis fieri poterit restitutio. Par itaque horum bonorum quorum domini ignorantur, uel si sciuntur, eis non potest probabiliter restitui, censentur, hac in parte, ratio. Quo etiam reuocares casum de restitutione facienda domino mortuo, cũ eius nullus apparet hæres.

Secundum fundamentum, magnum est discrimen inter restitutionem faciendam ob iniustam caussam, per uiam iuris, & illam, quæ fit ob ignorationem domini. Nam illa fit in pœnam criminis, ex sola legis dispositione, qua remota, restitutio non esset facienda: & lege stãte, non est necessario facienda, nisi post iudicis sententiam; excepto tamen casu simoniæ, uel alio simili, cum uenditur, quod gratis dandum est: quoniam non solum ratione pœnæ, sed etiam ex natura rei facienda est restitutio, quæ ex legis dispositione, in pœnam, fit pauperibus. At uero ea, quæ fit quia dominus ignoratur, ex se, suaque natura facienda est.

Vbi animaduertendum est, humanam potestatẽ, seu Principem facultatem habere transferendi rem unius in alterius dominium, ut etiam supra obiter dicebamus uel in pœnam criminis commissi, quæ ratio non habet locum in rebus inuentis incerti domini, uel ad ipsius

reip. utilitatẽ, ut accidit in usucapione, ne dominia rerum sint incerta, ubi etiam requiritur bona fides; quæ caussa in hoc casu non reperitur: uel denique, quia res habetur a domino pro derelicta; quæ etiam ratio in nostro proposito non apparet. Dominus enim si posset, libenter rem suam recuperaret. Ex quo colligitur, harũ rerum dominum semper manere apud dominum, ac proinde in eius utilitatem, pro ipsius tacita saltem uoluntate, dispensandas esse.

Tertium fundamentum, ista bona, quorum domini ignorantur in duobus statibus considerari possunt: primo in eo statu, in quo non habentur pro derelictis a domino, ut quando non esset longum tempus, cum amissa fuere: altero, cum iam diu est, cum fuerunt amissa, & nulla est spes recuperandi amplius: ut patet in rebus amissis ex naufragio post longum tempus. De his ergo omnibus bonis, quorum est incertus, aut pro incerto habetur dominus, quærimus, an aliquo iure pertineant ad pauperes, uel ad remp. uel an eorum dominium remaneat apud incertum dominum, aut eius hæredes, ita ut resp. seu Pontifex solum possit ea dispensare in utilitatem domini, uel eo modo, quo ipse dominus probabiliter dispensari uellet, aut dispensasset. Quo etiam loco monuerim, hic duo quæri posse: unum, quod iam proposuimus, alterum, an compositiones, seu dispensationes, quas Pontifices, & Prælati super his rebus restituendis facere solent, sint tutæ in conscientia; de quo alio dicetur loco.

Prima conclusio, falsum est, bona inuenta, si dominus non inueniatur, remota humana lege, esse ipsius inuétoris. Est hęc conclusio contra tertiam sententiã superius relatam. Quoniam inuentor, neque per uoluntatẽ domini, neque per publicam auctoritatem istarum rerum, quarum malam fidem habet, cum sciat non esse suas, acquirit dominium; igitur non potest eas retinere. Posset tamẽ, si paup. esset, ut supra diximus, sibi applicare, sed, ut ibi monuim⁹, cõfessarij, uel Prælati iudicio.

Se-

Secunda cõclusio, dominium bonorũ, quorum incertus est dominus, quęcunque illa sint, siue habeantur pro derelictis, siue non, modo aliquando dominum habuerint, non transit in remp. Quoniam nulla est ratio, cur dominus priuari debeat, etiamsi ipse non speret se amplius ista bona recuperaturum: ergo dominium semper apud ipsum remanet.

Tertia conclusio, iure naturæ istorum bonorum administratio pertinet ad reip. administratorem. Est doctrina communis; & ex eo demonstrari potest, quia, cũ dominus sit incertus, communis dominus ea administrare debebit, cum id ad bonum pertineat commune.

Quarta conclusio, horum bonorum administratio talis esse debet, ut quantum fieri potest, in utilitatem incerti domini cedant. Hoc autem tunc maxime fiet, quãdo in pios conuertentur usus, uel in utilitatem publicam. Patet hęc conclusio ex eo, quod paullo ante diximus; quia cum dominium sit apud incertum dominum, ei iniuria fieret, nisi ita dispensarentur, ut ipse inde aliquid emolumenti caperet.

Quincta conclusio, conuenienter admodum factum est; ut ista bona priuatim applicentur pauperibus. Quoniam hac potissimum ratione in domini utilitatem cedunt. Adde etiam quod pauperes sunt ueluti quædam onera reip. quæ conuenienter aluntur ex his communibus bonis. Sunt etiam ista bona quasi superflua, quę ex Domini doctrina, pauperibus dari debent. Et denique cum hac ratione distributa fuerint, si dominus compareret, nihil esset, cur huic dispensationi non deberet acquiescere. Verum tamen est, quod reip. administrator, ex caussa, in uarios, sed bonos usus ista bona conuertere potest.

Sexta conclusio, pauperes non succedunt in hæc bona iure naturali, aut diuino, sed humano tantum. Quod non naturali patet, quia dominium remanet apud dominum: Non diuino; quia, quod Dominus ait, de dando superfluo pauperibus, intelligitur de superfluo ex

 proprijs

proprijs bonis: quare restat, ut iure humano succedant per quod ius eis applicantur hęc bona per modum eleęmosynę: quo fit, ut ipsi non sint istorũ bonorũ domini. Ergo, diceres, si quis ista bona eis non tribuat, non peccabit contra iustitiam, & ita non teneretur restituere; dicerem, ideo teneri, quia per ius humanum in eorum usum conuersa sunt: deinde, fieret iniuria incerto domino, in cuius utilitatem non cederent.

Ex his colligere licet, uarijs rationibus huiusmodi bona applicata fuisse pauperibus. Primum, quodammodo lege naturæ, cum fiant aliquo pacto communia, & ita sunt applicanda eis, qui rebus indigent. Deinde quodammodo iure diuino, propter auctoritatem illam citatam. Postea iure canonico, ut patet ex uarijs locis supra relatis. Postremo, ex consuetudine communi totius ecclesiæ.

Septima conclusio, horum bonorum administratio priuate ad Prælatos Ecclesiæ, & ad summum Pontificẽ pertinet. Est communis doctrina, & ex eo confirmari potest, quod, cum debeant cedere in utilitatem spiritualem domini, & in usus pios, nemini potest talis administratio congruentius tribui, quam uiris religiosis, & ijs quibus animarum salus, & pauperum cura priuatim est commissa.

Octaua conclusio, bona quæ ratione pœnę solent applicari pauperibus, pro principis uoluntate, in alios usus conuerti possunt. Ratio est manifesta: quia per iustam sententiam dominus his bonis priuatur, & in potestatem Principis ueniunt. Idem fortasse diceres de bonis incertis, quæ omnino haberentur pro derelictis: pręsertim si cum hac conditione cuipiam tribuerentur, ut agnito domino, ei redderentur. His ita positis & confirmatis conclusionibus, restat, ut argumenta pro contraria sententia allata dissoluamus.

Ad primum, negamus ista bona carere uero domino: nam cum aliquando dominum certum habuerint, ac etiam fortasse habeant, si dominus est superstes, uel

ad hæredes pertineant, nec ulla sit caussa cur dominus priuari debeat, non transeunt in alienum dominium.

Ad secundum, eodem respondetur modo: quia cum dominium maneat apud incertum dominum, non transit in pauperes. Et in lege naturæ Princeps hæc bona dispensaret, ut publicus minister, qui ex lege humana applicare posset egentibus, uel in publicam conuertere utilitatem.

Ad tertium, patet ex dictis: neq; enim ista bona sunt ex eo genere bonorum: quæ ex Domini mandato danda sunt pauperibus. Atque de hac re hactenus. Quędam alia huc aliquo pacto pertinentia, alio afferentur loco.

Vbi facienda sit restitutio. Quæstio LXXVIII.

De hac restitutionis circumstantia, cum non tam disputatione, quam explicatione sit opus, missis quæ fieri possent argumentis; primum, quid hic quæratur exponam: deinde doctorum placita recensebo: postea quasdam distinctiones proponam: postremo iuxta allatas distinctiones, uarijs conclusionibus quid tenendum sit explicabo.

Quod igitur ad primum attinet, ideo quęritur ubi facienda sit restitutio, ob eum casum, qui sæpe potest contingere, quod dominus cui facienda est, longissime absit a loco, ubi res fuit accepta, & restitui debet; & restitutio fieri non potest sine maximo incômodo, & impensis accipientis. Propterea hæc dubitatio sub alio titulo tractari solet, de restitutione facienda, quando dominus est in loco remoto; qua ratione fieri debeat.

De secundo, diuus Thomas 2.2 quęs 62. art. 5. duo docet. Primum, debitorem esse obligatum ad mittendam rem suam domino, quando res est magni ualoris, si commode fieri potest, hoc est, sine magnis expensis. Secundum, cum restitutio fieri commode nequit, ponatur res in aliquo securo loco, & moneatur dominus, ut quid de re sua fieri uelit, statuat. Sed hæc doctrina non est ab

soluta, cum non doceat, qui particulatim hac in re faciendum sit.

Sotus in 4.sent.dist. 15.q.2.artic.4.& Richardus ead. dist.art.5.quęst.4.in respons.ad 3.ad superiorem opinionem addunt, quod si res non possit mitti sine magnis expensis, expectetur dominus: quod si non ueniat, res restituenda detur cognatis: si hoc fieri non potest, detur pauperibus.

At uero dominus Caietanus in suis commentarijs in locum citatum diui Thomæ, hũc in modum distinguit, aut hæc restitutio facienda est ob iustam acceptionem, puta, ob mutuum, uel commodatum, aut ob iniustam, ut ob furtum, uel fraudem: si primo modo, dicendum est, debere fieri expensis ipsius domini, siue dominus a loco recesserit, siue debitor, modo sine dolo, & fraude abierit. Et ratio est, quia dominus mutuando, & commodando se exponit huic periculo. Si secundo modo, & debitor a loco, ubi faciẽda erat recessit, tenetur restituere cũ proprijs expensis, etiamsi sint quadruplo maiores: similiter cum dominus ab eo loco recessit, ubi factum est furtum. Ratio huius doctrinæ ea esse uidetur, quia furando huic sese periculo subiecit.

At uero Ioannes Medina Cod. de rebus restit. quæst. 2.dubio tertio, & Didacus in relect.in regulam pec.par. prima & Nauar.cap.17. num.42. alias adhuc adhibent distinctiones; nos autem ita in hac re distinguimus.

Prima distinctio, aut res est restituenda ea solum de caussa, quia est aliena, ut si bona fide possideretur, quia inuẽta, aut ab eo empta, qui putabatur dominus: aut ex contractu, uel quasi contractu, in quo potuit, uel expresse, uel tacite de loco, ubi restituendum sit, fieri mentio: uel ex delicto, & quasi delicto, ut ex furto, & fraude.

Secunda, aut restitutio potest fieri sine expensis, uel opus est expensis, & his, uel paruis: uel magnis.

Tertia, absentia, uel nata est ex parte creditoris, uel debitoris, & hoc, uel cum fraude, & iniusta caussa, uel contra sine ulla fraude, ex caussa.

Quarta

Quarta, uel creditor transmisisset pecunias suas ad eum locum, ubi est, uel non; & id, uel cum expensis, uel sine.

Postrema distinctio, aut iste habet hæredes, aut non; is præsertim, qui est in loco remotissimo, cui probabiliter nunquam poterit fieri restitutio. His ita positis distinctionibus, statuo hæc dicta,

Primum dictum, uniuerse, & regulariter loquendo restitutio fieri debet eo in loco, ubi res fuit accepta. Doctrina est cõmunis omnium, & patet ex can. episcopis, & can. Reintegrata 3. q. 1.

Secundum dictum, si res restituenda foret ex eo tantum capite, quod esset aliena, ibi restitui deberet, ubi res ipsa reperitur. Quoniam, qui bona fide, & sine culpa possidet, nihil perdere debet, cap. 2. de constit. & l. si possessor ff. de petit. hær. Vt si esset restituenda res inuenta.

Tertium dictum, si restitutio fieri debet ex contractu & in eo expressus sit locus, ibi fieri debet; si uero nõ est expressus, ibi, ubi competenter res repeti potest. Ita Nauar. loco cit. argumento cap. final. de foro compet.

Quartum dictum, quando dominus recessit a loco, ubi debitum erat soluendum, siue iniusta siue iusta de caussa recesserit, si expensæ faciendæ non sint magnæ, restitutio fieri potest expensis creditoris: intellige quando acceptio fuit iusta. Est communis doctrina, & ex eo patet, quia debitor non est talium expensarum caussa.

Quinctum dictum, quando expensæ essent magnæ, ita ut essent, uel maiores, uel æquales, aut paullo minores, quam rei restituendę æstimatio, monendus esset dominus, quid fieri uellet: & si ipse nuntium non mitteret, uel de re sibi recuperanda nihil statueret, debitor non teneretur ad rem transmittendam, uel ad damnum quodinde dominus capere posset. Quod si non posset sine maiore impensa, aut periculo moneri, melior expectanda esset occasio, uel ipse dominus, donec reuerteretur. Si autem expensę non essent magnæ, & debitor speraret dominum expensas saluturum, posset

set ex caritate rem domino absenti mittere.

Sextum dictum, quando nulla esset spes de domini reditu, uel de restitutione facienda, sine impensis, idem faciendum est, ac si bona essent incerti domini, hoc est, restituendum est hæredibus, aut consanguineis, aut, his non existentibus, pauperibus: &, si dominus superuenerit, poterit ab hæredibus rem suam repetere, non autem a pauperibus: & ideo expediret hanc restitutionem publica auctoritate fieri.

Septimum dictum, quando debitor a loco, ubi est faciēda restitutio, etiam sine fraude, recessisset, restitutio expensis ipsius fieri debet. Est hoc dictum pro sententiā diui Thomæ, & Scoti, contra opinionem Caietani; & ratio est apertissima. Quoniam dominus nullum debet sentire incommodum ex recessu istius. Verum tamen est, non teneri ad restituendum cum magnis expēsis, si sine fraude recessit: secus, si cum fraude.

Ex quibus colligere licet, depositarium non esse obligatum ad restituendum cum proprijs expensis. Quoniam ex bono opere, non debet referre damnum. Atque hactenus de eo, qui rem non iniusto titulo accepit: nunc de eo, qui ex iniusta caussa restituere debet.

Octauum dictum, si creditor, qui recessit a loco, sua bona secum cum expensis erat portaturus, tunc restitutio facienda est expensis creditoris. Alias enim dominus ex restitutione lucrum reportaret. Verum, si debitor speraret se expensas, quas fecisset recuperaturum, posset proprijs expensis mittere: alias satis esset restituere, eo in loco, ubi accepit. Ita Medina, & Syluest. uerb. rest. 4. quæst. 4.

Nonum dictum, si creditor illa bona transmissurus erat sine expensis, debitor proprijs expensis restituere debet, si expensę non sint magnæ. Quoniam creditor non debet huiusmodi damnum sentire: secus dicendum esset, si cum fraude recessisset.

Decimum dictum, quando expensæ essent maximæ, quantum est debitum ipsum, expectanda esset melior

occasio,

occasio, aut dominus ipse, qui monendus esset, atque eius uoluntas exploranda, iudiciumque boni uiri requirendum.

Vndecimum dictum, quando debitor ex iniusta acceptione fraude recessisset, & dominus re sua maxime egeret, eius expensis etiam maximis, si res esset maioris momenti, facienda esset restitutio. Quoniam sua culpa in has angustias se se coniecit. Idem dicas de eo, qui rem iusto titulo accepit, si in mora fuit restituendi: tempore enim restitutionis elapso, ille iniusto æquiparatur possessori. Ita Sotus, & Iosephus. Illud etiam uniuerse dixerim, in his casibus boni, & prudentis uiri requirendum esse iudicium.

Panormitanus in cap. cum tu, de usuris, assignat casum, in quo non opus esset mittere cum sumptibus, quãdo nimirum reperiretur aliquis, qui gratis ferret.

Nauarrus num. 43. cap. 17. ponit dubium, de quo magnam altercationem in Vrbe aliquando fuisse dicit; An is, qui dedit mutuo mille in India, cum pacto, ut certo tẽpore elapso, posset ea repetere a mutuatario ubicunque terrarum reperiretur: an si in Vrbe inuentus fuerit, teneatur soluere integra mille, an uero possit deducere cambia, quibus fit traductio illorum mille ab India ad Vrbem. Ad quod respondens ait, illum obligãdum esse ad soluendam ista mille, deductis cambijs.

Ex his colligere licet, an spoliator satisfaciat, si rem ibi ponat, unde eam accepit. Vt si quis uiatorem, qui Venetijs Romam proficisceretur in medio itinere spoliaret rebus, quas Romã erat portaturus: qui proculdubio non satisfeceret, nisi Romam mitteret. Neque obstat can. Reintegranda, 3. q. 1. quia ibi fit mentio de bonis, quæ non erant alio portanda.

Sed quid faceret confessarius, si fur nollet Romam mittere, sed tantum ibi restituere ubi furatus est, alias non restiturus; an debeat furem absoluere, cum absoluendo uideatur utilitati domini consulere. Respondet Medina, eum pessime facturum, si absoluet, modo ille

suis

suis impensis possit rem mittere: secus si non posset.

Ad extremũ, restat hic dubitatio de restitutione quæ fieri potest per nuntium, qui rem suo domino ferret, si res in itinere periret. Tractat hunc casum Petrus de Vbaldis in tract. de duobus fratribus, part. 8. num. 39. Panormitanus cap. significante, tit. de pignoribus, Medina quæst. 2. dubio tertio: ad quem respondebo quibusdam præmissis distinctionibus.

Aut nuncius per quem mittitur est fidelis, & pro tali communiter habetur, uel non est talis, cui tuto res committi posset, de cuius fidelitate probabiliter dubitare licebat.

Rursus, aut res perit, uel amittitur nuntij culpa, aut absque ulla eius culpa, sed casu aliquo. Item, res quæ mittitur, aut est illa eadem, quæ a domino accepta fuit, ut equus, pallium, & aliquid aliud simile: aut est diuersa, ita ut eius dominium transiuerit in accipientem. Itẽ aut debitor est obligatus restituere ex iniusta acceptione, ut ex furto; aut ex iusta; ut ex commodato. Denique aut nuncius est destinatus a creditore, aut certe ab ipso debitore electus, sine creditoris consensu. His ita positis distinctionibus, ab hanc dubitationẽ respondeo per hęc dicta.

Primum dictum, cum nuntius destinatus, siue electus est a creditore, quæcunque res restituenda sit, siue culpa nuntij pereat, siue non, ipsi creditori petit. Ita Medina loco citato: ratio est manifesta, quia iam restitutio facta est domino in nuntio a se destinato.

Secundum dictum, quando nõ restituitur eadem res quæ accepta fuit, si nuntius mittitur a debitore, quocunque modo pereat, ipsi debitori perit, siue nuntius sit fidelis, siue non. Doctrina est certissima & eorum, quos citaui: & ea innitur ratione, quod res perire debet ei, ad quem pertinebat: atqui in tali casu pertinet ad debitorem, ei igitur peribit.

Tertium dictũ, si res eadem restituatur, per nuntiũ fidelẽ a debitore missum, & sine eius culpa pereat; non

de-

debitori,ſed creditori peribit.Quoniam,in tali caſu res pertinet ad creditorem, cum non ſit tranſlatum dominium:& quia,ſine mittentis culpa perit,domino pereat oportet.Sicuti,ſi res locata,aut depoſita,& commodata,ſine culpa commodatarii,periret, quæ domino perit,ut patet cap.Vnico,de commodato.Ita Panormi.& Medina locis citatis.

Quartum dictum,ſi res ſit eadem, & mittatur per nũtium non fidelem,non domino,cui mittebatur, ſed mittenti peribit. Quia eius culpa perit, cum per nuntium mittat infidelem.Atque hęc ſunt, quæ de hac circunſtãtia dicenda occurrebant: nunc aliam aggredientes, an ſtatim reſtituendum ſit, unica diſputatione aperiemus.

An reſtitutio ſit ſtatim facienda, ſeu quo tempore reſtituendum ſit. Quæſtio LXXIX.



QVod attinet ad hanc circumſtantiam de tempore,quo reſtitutio eſt facienda,primum vniuerſe uim præcepti de reſtituendo, quod ad obligationem executionis pertinet,explicabo,demonſtrando quando obliget,& quando quis nouum peccatum committat,aut uetus augeat non reſtituẽdo.Poſtea diſputabo de cauſſis,quæ uel poſſunt obligationem reſtituendi tollere, aut reſtitutioné differre. Poſtremo quomodo confeſſarius ſe gerere debeat erga eos,qui nolunt,aut nõ poſſunt reſtituere, aut in aliud tempus differre contendunt. Quod autem non ſit ſtatim reſtituendum, his poteſt rationibus demonſtrari.

Primo,reſtitutionis præceptum eſt affirmatiuum:atqui,ut eſt communis doctorum opinio,& nos ſupra docuimus,præcepta affirmantia non ſemper obligant;ſed ſolum certis temporibus: igitur non eſt ſtatim reſtituendum,etiamſi quis poſſit.

Secundo,ſi debitor eſſet obligatus reſtituere,non reſtituendo ſemper,aut de nouo peccaret, aut ſaltem pec

catum augeret, quod uidetur falsum: consequentis falsitas est manifesta, quia cum quis, exempli gratia, dormit, aut non cogitat de non restituendo, nō uidetur peccare, aut peccatum augere.

Tertio, sæpe rei dominus debet uelle sibi restitutionē non fieri, aut certe non statim, ergo debitor non tenetur semper aut statim restituere: ut si gratia exempli restitutio esset impossibilis, cū ad impossibile teneatur nemo.

Quarto, quo argumento probo semper restitutionē esse faciendam: præceptum de restituendo, per nos, continetur in præcepto, Non furaberis, quod est negatiuū: at hoc præceptorum genus semper obligat: igitur. Confirmatur, qui non restituit & potest, manet in statu peccati, sed per præceptum caritatis sumus obligati ad remouendum peccatum, & ad diligendum Deum; igitur, qui rem habet alienā, ut liberetur a peccato, semper siue statim restituere debet. In hac quæstione nullas auctorum opiniones afferam, tum quia uersamur in re satis manifesta, tum etiā, quod in priuatis quæstionibus in quibus est inter eos discordia eas citabo. Antequam autem conclusiones affero, duo proponam fundaméta.

Primum fundamentum, in hac disputatione hæc explicanda occurrunt: primum quale sit hoc de restituendo præceptum, an affirmatiuum, an negatiuum: alterū, quando obliget, an semper, an certis temporibus, an statim: postremo, quando nouum committatur peccatum cum restitutio non fit: de quibus omnibus, non nihil supra quæstione sexta diximus, quæ hoc loco repetere sine necessitate nolumus: & præsertim, quod attinet ad primum; cum loco citato satis aperte docuerimus, sit negatiuum, an affirmatiuum præceptum. Cæterum, ut hoc obiter hic abscribamus, uidetur habere, aut continere in se aliquid affirmationis, cum sit actus quidam uirtutis, qua ratione certis temporibus seruari debet, & in eo per omissionem peccetur, cum alienum, quod nobis reddendum præcipitur, non restituimus: & aliquid negationis, cū nobis dicamur, ut caueamus, ne res aliena

na apud nos maneat, & ut nemini quicquã debeamus. Ratione negationis prohibet, ratione affirmationis im perat: ubi diſtinguere poſſumus, tum de actu interiore nimirum de uolũtate reſtituendi; tum de exteriore, id eſt de actuali reſtitutione.

Secundum fundamẽtum, circumſtantia temporis in hoc de reſtituendo præcepto, non eſt ita accipienda, ut in quibuſdam aliis præceptis affirmatiuis accipitur, ut in præcepto de diligendo Deo, de honorandis parentibus, & alijs generis eiuſdem. Nam, in his non ſemper adeſt materia uirtutis, aut præcepti exercendi, ut honorandi parentes, corrigendi proximum, fortiter agendi, & cæt. At uero in hoc præcepto ſeruando ſemper adeſt materia, ſi quis habeat unde reſtituat. In hoc ergo præcepto temporis circumſtantia requiritur ratione cõmoditatis, ut ſeruari debeat, quando eſt commodum tempus. Quo fit, ut cum Doctores dicunt, ſtatim eſſe ſoluendum, id intelligendum ſit, moraliter loquendo, idoneo ſcilicet tempore, non ſtatim atque quis meminit ſe reſtiturum eſſe; non cum it dormitum, non cum cœnat; ſed tempore oportuno, & commodo.

De hac quæſtione agit diuus Thomas 2. 2. quæſ. 62. art. 8. Scotus. 4. ſen. diſt. 15. quęſt. 2. ar. 4. Richar. eadem diſt. ar. 5. quęſt. 4. Medin. quæſt. 5. dub. 4. Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. quæſ. 7. ar. 4. Syluester & alii Summiſtæ, uer. reſt. De qua nos ita ſtatuimus.

Prima concluſio, qui rem habet alienã, ſiue poſſit reſtituere, ſiue non, ſiue ſit tẽpus, ſiue nõ ſit, ſemper debet habere animũ paratum ad reſtituẽdum, non dico, quod ſemper id cogitare, aut intendere debeat, ſed quod nunquam nolit, non reſtituere. Doctrina eſt per ſe manifeſta, & nulla indiget probatione.

Secunda concluſio, actus poſitiuus interior reſtituendi eſt ſtatim neceſſarius, ad hoc, ut quis liberetur a peccato, hoc eſt, ut peccatum ulterius non prorogetur. De claro, cum quis ſcit ſe iniuſte rem habere alienam, ſi uult ceſſare a peccato, debet habere actuale propoſitũ re-

Quarta conclusio, quando non restituere est continuatio prçteriti actus, non restituere, non est nouum peccatum. Quare, si quis uideret rem alienam, quam apud se retinet, & nullum de non restituendo actum produceret, iste non peccaret de nouo, sed solum in peccato perseueraret. Non secus ac si quis per diem integrum, cum mane cogitasset de homicidio faciēdo, ensem, & socios pararet, & inimicum quæret: is enim toto hoc tempore perseueraret in peccato, & perseuerando illud augeret, sed non peccaret de nouo.

Illud autem quod 4.sent.dist.15.quæst.2.art.6.ait Palud. Si continue detineo rem tuā, plus te impedio in usu eius, quā si frequenter eā subtraherē, ac proinde magis pecco, non uidetur omnino uerū. Nā magis aggrauant actus positiui, quam negatiua permansio in peccato.

Quincta conclusio, quamuis in tali casu non fiat nouum peccatum, semper tamen precedens magis, magisque aggrauatur, dum non fit restitutio. Quoniam, quo magis perseuerat in non restituendo, eo magis nocet domino, cui restituere debet. Adde etiā illud incōueniēs, quia si non aggrauaretur, non esset maius peccatum retinere alienum per unius animi spatium, quam per horam. Nunquam tamen potest esse tanta continuatio, ut æquiualeat multis actibus de non restituendo repetitis. Quo fit, ut qui diutius detinet, grauius peccet.

Sexta conclusio, quamuis circumstantia temporis aggrauet peccatum: tamen non existimo esse necessarium eam explicare in confessione: actus tamen sępius repetiti de non restituendo explicandi essent. Si quidē tunc circumstantia necessario explicanda est, cum peccati speciem mutat, quod non accidit in casu nostro: de qua re alias plura in materia de confessione.

Septima conclusio, pręceptum de restitutione facienda duo necessario requirit, ut actu seruari debeat: tempus oportunum, & facultatem, hoc est, ut debitor habeat unde restituat. Quare tempus importunum, & impotentia restituendi efficiunt, ne quis statim restitue-

re teneatur. Quod attinet ad facultatem, manifestum est, quia nemo ad impossibile tenetur. Quod spectat ad tempus, patet, quia restitutio est quidam humanus actus; actus autem humani sua habent a prudentia præfinita tempora. Quare, si quis in lecto manens cogitaret de re aliena quam possidet, non tenetur statim surgere, ut domino restituat. Neque etiam congruo tempore posito, quæcunque mora obligat sub peccato mortali; ut si restitutio quæ hodie commode fieri posset, transferatur in crastinum: modo dominus re sua omnino non indigeret.

Octaua conclusio, Restitutio actualis statim facienda est: statim dico, moraliter loquendo, quam primum commode fieri potest eo modo, quo in secundo notando, & in proxima conclusione diximus. Doctrina est cõmunis, & certa quę tamẽ his confirmatur rationibus.

Primo auctoritate diuinæ scripturæ, Leuitici ca. 19. Non morabitur, ait Dominus, opus mercenarij apud te usque mane: ubi per opus, per metonymiam, intelligitur operis merces: quo loco expresse docemur, sine mora soluendum esse, quod debetur. Confirmatur a simili, de redditione uoti, de qua Deuter. 23. dicitur, cum uotum uoueris Deo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moraberis reputabitur tibi in peccatum.

Secundo quoniam, ut cap. sæpe, de restitutione spoliatorum dicitur, non multum interest, quo ad periculum animæ, iniuste detinere, & inuadere alienum; quare, ne quis pro fure habeatur, statim restituere debet. Adde auctoritate Aug. epist. 54. ad Macedonium.

Tertio, ex differentia quæ est inter actum uirtutis iustitiæ, & aliarum uirtutum. Quoniam actus aliarum uirtutum maxime pendent a prudentia, quæ certum tẽpus, & certas circumstantias eis præscribit, at uero actus iustitiæ potissimum pendet ex natura rei, cum scilicet fieri potest; & huc pertinet, quod secundo notando scripsimus.

Nona

Nona conclusio, si quis deberet restituere ex aliquo contractu in quo soluendi tempus esset adiectum, debitor non tenetur soluere, nisi tempore completo: posset autem anticipare solutionem, & creditor teneretur acceptare, si terminus fuit in fauorem debitoris appositus: secus, si in fauorem creditoris. Ita Med. loco citato.

Decima conclusio, multi sunt casus in quibus, aut tollitur, aut differtur actualis restitutio; de quibus deinceps, late disputabimus. Vt gratia exempli creditoris remissio, & dilatio, eiusdem, aut reip. maximum detrimentum, & denique, aut expressus, aut debitus domini consensus: quod si consentire debeat, & non consentiat, nihil de eius dissensu debitor curare debet; modo ipse cum ratione, & iusta caussa non soluat, aut restitutionem differat.

Quo loco tenenda est ad multos casus explicandos hæc uniuersalis Scoti regula, quam multi approbant, & speciatim eius discipulus Ioan. de Bassolis, 4. sent. dist. 15. q. 2. art. 4. Licet alienam rem retinere, quando ex claro naturæ lumine constat, Dominum non debere uelle sibi restitutionem fieri. Quam regulam in sequentibus disputationibus, uarias explicando caussas, de quibus dubitari solet, an sint idoneæ ad restitutionis obligationem tollendam, aut prorogandam. Atque ex dictis facile est argumenta initio huius disputationis allata diluere.

Ad primum, hoc argumentum soluitur ex doctrina tradita in secundo notando: & ex eo, quod præceptum restituendi negationem continet, ob quam caussam statim cum seruari potest obligat.

Ad secundum, concedimus eum qui non restituit posse, tum de nouo peccare, tum peccatum augere, ut in conclusionibus diximus: neque id est inconueniens.

Ad tertium, concedimus quod hoc argumento concluditur, iuxta ea, quæ in postrema conclusione scripsimus; nimirum casus incidere posse, in quibus creditor non debet rem suam repetere: & tunc, iusta posita caus-

sa debitorem a restitutionis uinculo liberum esse dicimus.

Ad quartum, patet ex dictis. Ad confirmationem, falsum est hominem esse semper obligatum sub noui peccati pœna ad relinquendum peccatum, & ad diligendum Deum, & ad habendum habitum caritatis: qua de re in materia de pœnitentia, alias docendo late disputaui.

Sed quoniam sæpe incidunt casus, in quibus aut restituendi obligatio tollitur, aut certe eam differre licet, ideo omnes disputando percurremus caussas, ob quas aliquis, uel omnino a restituendo est liber, uel saltem statim restituere non tenetur.

An extrema necessitas restituendi obligationem tollat.
Quæstio LXXX.

Nonnullæ recensentur a Doctoribus caussę dum de hac materia disputant, ob quas, is qui rem alienam occupauit, a restituendo liber esse uidetur: de quibus in hac alia nostræ tractationis parte, quibusdam quæstionibus disseremus.

In qua illa sese primam caussa explicandam offert, quæ ab extrema sumitur necessitate, in qua constitutus est is, qui restituere debet: quæ quoniam diuersa habet capita, atque pro capitum diuersitate, diuersas quoque opiniones; propterea primum capita ipsa proponam, & postea de singulis disputabo. capita igitur, siue dubitationes sunt hæ.

Primum, quid dicendum sit, quando creditor, & debitor in pari uersantur necessitate.

Secundum quando ex una parte est creditor, ex altera parentes debitoris.

Tertium, cũ ex una parte est creditor, ex altera uxor & filij debitoris.

Quartum, quando hinc est creditor, inde uero fratres,

tres, uel alij consanguinei debitoris.

Quinctum, an satis sit in extrema necessitate mutuare: & an qui in extrema necessitate alienum accepit, sit obligatus restituere, cum ad pinguiorem uenerit fortunam. In hac disputatione quattuor priora explanabimus capita: de quorũ primo hę sunt auctorũ sententiæ.

Prima sententia Scoti, in 4. sent. dist. 15. q. 2. ad quinctum argumentum; Angeli uerb. restit. 3. §. 2. Rosellæ uerb. rest. 1. §. 1. Armillæ uerb. rest. 6. §. 33. Syluest. uerbo rest. 5. quæst. 2. Richardi in 4. sent. dist. 15. art. 5. quæst. 4. ad quinctum: quę sententia his tribus explicatur dictis.

Primum, in quo ponitur talis distinctio: aut necessitas creditoris præcessit necessitatem extremam debitoris, uel e conuerso: aut fuerunt simul.

Secundum, si præcessit necessitas creditoris, aut concurrit simul, tunc debitor restituere tenetur.

Tertium, si necessitas debitoris præcessit, non tenetur restituere. Hi itaque Doctores ad restitutionem obligare uidentur. Quæ sententia his duabus nititur rationibus.

Prima, quoniam, licet ius naturæ in duobus primis casibus faciat bona alias restituenda ambobus communia: tamen creditor excedit debitorẽ in iure ciuili quod obligat ad restitutionem: quare, cum habeat plura iura, bona illa ei adiudicanda erunt.

Secunda, quoniam ex contraria sententia, secundum quam debitor potest sibi aliena bona retinere, sequeretur creditorem in extrema necessitate constitutum posse spoliare alium in eadem necessitate existentem suis bonis, quod uidetur absurdum: consequentia est manifesta: quia in tali necessitate omnia sunt communia.

Secunda sententia domini Caietani in suis commentarijs in quęstionem 62. 2. 2. diui Thomę, Soti lib. 4. de Iust. & iure quæst. 7. art. 1. Tabienę uerb. resti. §. 4. quam opinionem nunc omnes communiter sequuntur, quę tenet debitorem in tali casu non esse obligatum ad restituendum.

Tertia sententia Nauarri in Enchiridio, cap. 17. num. 60. qui distinguendo huic difficultati respōdet, aut debitor habuit rem creditoris, quæ usu consumitur, ut uinum, & frumentum, & tunc non tenetur restituere: aut rem, quæ usu non est consumpta; & tunc obligatus est ad restituendum, ut si accepisset commodato equum quod etiam Sylu. adnotauit.

Nos de hac prima difficultate quid tenendum sit tribus cōclusionib. statuemus: Si primum hanc Doctrinā tanquam eorum quæ dicenda sunt fundamentū, proposuerimus. Extrema necessitas excusat debitorē a restitutione facienda. Quę doctrina cōmuni omniū scriptorū sententia est approbata, & ex ijs, quæ deinceps dicētur apertissime demonstrabitur. Hoc igitur iacto fundamēto, de re proposita ita statuo.

Prima conclusio, debitor in eadem necessitate constitutus cum creditore, non tenetur restituere. Defendimus hanc conclusionem cum secunda sententia contra primam & tertiam, ob has rationes.

Primo, extrema necessitas aufert omne ius gentium, & ciuile, & redigit homines ad ius naturæ, in quo omnia sunt communia, cap. Exijt, de uerb. sign. lib. 6. atqui in hoc iure melior est conditio possidentis, ut habetur lib. 6. de regulis iuris; igitur. Quare cum debitor possideat, nō tenetur reddere; cum sit ablatum ius gentium, quo res fiunt singulorum propriæ.

Secundo, lege naturali homo magis inclinatur, ad conseruationem suiipsius, quam alterius: ergo, cum simus in pari iure, exclusa omni humana constitutione, id seruandum est, ad quod natura magis inclinat.

Tertio, quoniam uidetur omnino arduum uelle obligare hominem ad restitutionem cū periculo uitæ suæ, ad conseruandam uitam alterius.

Quarto, accedat quod est communior recentiorum sententia: per quam possumus tuta conscientia a rigida opinione recedere, atque benigniorem sequi, quā multi sequuntur.

Se-

Secunda conclusio, si debitor fraude, uel ui rem ab alio accepisset, dum ille in extrema erat necessitate teneretur eam restituere,& se uita priuare. Est hæc conclusio contra Tabienam,qui aliter sentire uidetur. Etenim,qui in tali casu rem alienam accipit, iniuste se gerit;dum qui iuste rem suam possidet,& equali modo ea indiget,re sua priuat. Adde quod ista Tabienæ sententia aperit uiam ad uiolentiam inferendam.

Tertia conclusio, In casu posito,non tenetur debitor restituere,etiamsi per uim & fraudem rem alienam occupasset. Est hæc conclusio Soti,& patet ex ijs, quæ diximus pro prima conclusione. Quare siue iusta,siue iniusta acceptione,siue antequam in necessitaté inciderit,siue post acceperit, non tenetur debitor in tali casu restituere.

Neque argumenta in contrarium allata quicquam concludunt,non primum,quia,ut diximus, in extrema necessitate cessat omne ius gentium,& ciuile,& remanet solum ius naturæ,quod debitori possidenti fauet.

Non secundum,cuius negatur consequentia, quoniam ille qui possidet,habet ius possidentis, quo, sine graui peccato,priuari non potest:adde,quod uideretur eum interficere,auferendo rem necessariam ad uitam. Atque hæc de prima dubitatione,siue capite.

De secundo, quando creditor & parentes debitoris sunt in eadem extrema necessitate,quæritur, an magis debeat parentibus subuenire,quam restituere: de qua dubitatione sunt duæ scriptorum sententiæ.

Prima Soti lib.4.de iust.& iur.quæst.7.ar.1. in respõsione ad quartum,qui ait utramque partem esse probabilem: affirmat tamen potius debitorem debere subuenire parentibus. Quoniam parentum conseruatio uidetur quodammodo esse nostra. quare ob eam pietatem,qua uti erga parentes debemus,potius illis subueniendum esset.

Secunda sententia Tabienæ uer.rest.§.4.qui affirmat potius restituendum esse creditori, quæ sententia uide-

tur conformis doctrinæ diui Thomę: quoniam parenti bus tenemur subuenire ex nostris, non ex alienis, necessitate æquali existentæ.

Ad hanc dubitationem posses hunc in modum distinguendo respondere; aut enim eo tempore tenetur creditori restituere, cum parentes sunt in eadē necessitate, aut non tenetur, si non tenetur, potius debet subuenire parentibus, quam creditori. Exempli gratia, quidam dedit mihi pecuniam mutuam per annum: si occurrat extrema necessitas de qua loquimur, ante finem anni, tūc tali pecunia potius parentibus, quam creditori subueni re debeo. Ratio est in promptu, quoniam mutuator, nō habet ius petendi. potest igitur ille dare parentibus.

Quod si debitor tempore necessitatis ex iustitia restituere debet, potius consulat creditori, quam parentibus. Etenim creditor habet ius repetēdi suū, etiamsi pater debitoris in necessitate uersetur extrema; ei igitur restituendum est: patet consequentia, quia parentibus solum ex caritate debet, at creditori etiam ex iustitia.

At uero quando creditor non esset in extrema necessitate, etiamsi tunc restituere oporteret, posset debitor parentib. in extrema necessitate positis subuenire. Quoniam in tali casu liceret rem alienam capere.

Quamuis autem hæc doctrina uera sit, tamen, si debitor uellet domino restituere, posset. Neque fundamē tum sententiæ Soti urget; quoniam, ut diximus, filius non tenetur subuenire parentibus ex alienis bonis, sed ex suis.

De tertio capite, Sotus idem dicit, quod de parentib. dixerat, potius debere uxori & filijs consulere, quā creditori. Nos autem respondemus iuxta eandem distinctionem.

Quo loco animaduertere possumus, ista dubia ita se habere, ut primum sit magis certum, quam secundum & tertium, & secundum quam tertium, si quis in secundo & tertio Soti sententiam sequi uelit.

De

De quarto capite, seu dubitatione, respondendum est cum Soto, potius creditori restituendum esse, quam subueniendum, uel cognatis, uel fratribus: erga quos non habemus ius ita naturale, & ius pietatis, sicuti erga parentes, & filios: quare potius debemus iustitiam seruare, quam cognatis consulere.

Antequam autem huic quæstioni finem impono, hãc aliam dubitatiunculam explicabo. Si quis iurasset se restituturum tali die pecuniam creditori, & eodem die fortasse reperiretur in necessitate extrema, tenerentur ne iste, ratione iuramenti, tali die restituere?

Huic dubitationi respondet Sotus negatiue: quoniã semper excluditur extrema necessitas: ni tamen iurasset se etiam in extrema restituturum, tunc enim iuramẽtum seruari deberet.

An qui rem alienam in extrema necessitate accepit sit obligatus restituere, cum ad pinguiorem uenerit fortunam. Quæstio LXXXI.

Maxima est de re proposita apud scriptores dubitatio, ob eas quæ in utramque partem afferuntur rationes. Vt ergo rei difficultas appareat, duas quæ sunt in hac quęstione oppositas sententias cum suis fundamentis prius proponam & deinde quid sentiendum sit, uariis conclusionibus definiam.

Est ergo prima sententia eorum, qui existimant, ea quæ in extrema necessitate quacunque ratione sint accepta, restituenda non esse, quam hi sequuntur Doctores. Scotus 4. sent. dist. 15. quæst. 2. Richardus eadem dist. ar. 5. quæst. 4. ad Quinctum: Gabriel ibidem quæst. 2. artic. 2. conclusione secunda, Caietanus in comment. quęst. 62. 2. 2. art. 5. Tabiena uerbo restit. §. 4. Armilla uerbo restit. 6. §. 27. Angelus uerbo, furtum, Syluester uerbo furt. quęst. 5. qui testatur esse communem sententiam, uerum in uerb. rest. 5. quæst. 2. ait tutius esse restituere.

tuere. Sunt qui in hanc sententiã citant Ledesmam, & Sotum, atqui Sotus distinguit, ut inferius patebit. Hæc sententia his nititur argumentis.

Primo, ex ipsa naturę lege, per quam in necessitate, ut est dictum, omnia fiunt communia: quare, cum is qui rem accepit, euaserit uere dominus, cum uenerit ad pinguiorem fortunam ad restituendum obligatus nõ erit: siquidem, futurum tempus non aufert dominium præteritum semel iure acquisitum.

Secũdo ex lege ciuili, l. 1. §. cum in eadem naui, ff. ad legem Rhodiam, de iactu. ubi habetur, quod homines existentes in naui alienis mercibus onerata, si tempestate oborta, illas in mare proijciant, non tenentur postea domino mercium quicquam restituere. Ex hac itaque lege confirmari uidetur hæc prima sententia.

Tertio, dominus, siue diuites, in extrema necessitate sunt obligati ex naturę lege dare indigentibus, qui si uenerint ad pinguiorem fortunam non tenetur accepta restituere: ergo nequi ij, qui ex se alienum bonum, necessitate impulsi, occuparunt: cum, quod alias sibi dãdũ erat, ipsi acceperint, & dominus, uel expresse, uel tacite consenserit.

Quarto, si uera esset contraria sententia, sequeretur hoc maximum absurdum, quod nullum daretur tempus in quod seruandum esset præceptum de facienda eleemosyna: sequela est manifesta, quoniam nullum est tempus magis aptum, atque necessarium faciendæ eleemosynæ, quàm cum extrema urget necessitas; in qua ex contraria sententia, satis esse mutuare. Atque hęc sunt huius sententiæ fundamenta.

Secunda sententia aliorum, qui docent, eum qui alienam rem in necessitate accepit, esse obligatum ad restitutionem, cum ad pinguiorem uenerit fortunam: quã defendit Adrian⁹ in materia de restitutione, cap. Quia dictum est de, & cęt. Medina quæst. 3. Codice de rebus restituen. Nauar. in Enchir. cap. 17. nu. 61. Couarruuias 3. parte relect. §. 1. nu. 4. Panormitan. cap. Si quis, tit. de

furto,

furto.Ioan. Anan. ibid. Ioan. Lupi in rubric. de donation.§.65. nume.47. Glos.de reg.iur.in regula, Peccatum,& alij recentiores scriptores. Quæ sententia his nititur fundamentis.

Primo,ex iure canonico,cap. Si quis propter, tit. de furto,ubi quidam cogitur ad pœnitentiam agendam, ob alienam rem in necessitate acceptam; quam non restituerat,cum ad pinguiorem uenisset fortunam;igitur.

Secundo, nemo tenetur sua bona sub peccato mortali,ei qui est in extrema necessitate donare; sed satis est si libere det mutuo: ergo qui aliena bona in tali necessitate usurpat,cum poterit, debet ea restituere, sicuti & mutuatarius.

Tertio,quoniam uidetur absurdum,ut quis accipiat rem alienã,gratia exẽpli,alicuius pauperis,ob urgentẽ,necessitatẽ & quod iste postea non teneatur restituere,cũ ad pinguẽ redierit fortunã. Quã sententiã nos infra tanquam probabiliorem aliis confirmabimus argumentis. Vt autem facilius quæ dicturi sumus intelligãtur,quædam præmittendæ sunt distinctiones.

Prima distinctio, tres sunt necessitatis communiter sumptę gradus.

Primus necessitatis extremæ: est autem extrema necessitas,quando aliquis in tali statu est constitutus, ut si restitueret in extremam laberetur necessitatem. Itaque non solum is extrema necessitate laborare censetur,qui in ea jam constitutus est: Sed etiam is, qui statim in eam incideret,si quod habet alieni,id restituere.

Secundus,grauis necessitatis, quando aliquis multũ laborat,& tamen maxima cum miseria uiuit, sed citra periculum uitę,in quo is uersatur, qui in extrema est necessitate constitutus.

Tertius,est leuis necessitatis, cum quis aliquo cum incommodo uiuit, nec id habet quod sibi aliquo pacto esset necessarium.

Secunda distinctio,necessitas extrema duplex est: altera quæ dicitur necessitas simpliciter, quando quis nihil

hil prorsus possidet, quo possit necessitati suæ occurrere, ita ut nisi ei ab aliquo subueniatur, omnino perire debeat; & denique cum est ita médicus, ut nec ibi, ubi necessitatem patitur, nec alibi quicquam habeat. Altera dicitur extrema secundum quid, quando aliquid alio in loco possidet. Vt si quis extrema necessitate laboraret Venetiis, sed tamen Romæ diues esset.

Rursus, distinguere possumus de rebus, quæ usu consumuntur, & de iis, quę usu non consumuntur. Similiter de debito contractum in extrema necessitate, & de eo quod contractum fuit ante extremam. His notatis distinctionibus, has statuo conclusiones.

Prima conclusio, In extrema necessitate licet cuique accipere alienum, ad subueniendum sibi, nisi ab alijs, quod est sibi necessarium subministretur.

Primo, probatur hæc doctrina ex iure canonico, cap. exijt qui seminat, de uerb. significat. lib. 6. ubi Pontifex agens de omnium bonorum renuntiatione, ait non posse religiosis aliquid deficere, quia caritas semper erit in ecclesia, sicut & fides; & deinde addit, & quidem ubi, quod non est aliquatenus præsumendum, hæc cuncta deficerent, sicut nec cæteris: sic nec ipsis fratribus iure poli in extremæ necessitatis articulo, ad prouidendũ sustentationi naturæ uia omnibus extrema necessitate detentis, cõcessa præcluditur; cũ ab omni lege extrema necessitas sit exempta. Huc facit regula iuris, Quod nõ est: & can. sicut, de pœn. dist. 1.

Secundo, ex illa lege Rhodia, ff. de iactu, §. cum in eadem naui: ex qua colligitur ob necessitatem fieri omnia communia. Vnde glossa, in uerbo, confert, adnotauit ob necessitatem, omnia fieri communia, hoc est cõmunicanda esse. Et confirmatur ex communi scriptorum sententia, quorum loca in re manifesta citare nihil est necesse.

Secunda conclusio, in graui necessitate, si modicum accipiatur, non est peccatum; & consequenter, quod acceptum est, non erit restituendum: at uero magnum

quid

quid accipere in hac necessitate, non liceret. Prima pars huius conclusionis, patet ex Canone, Discipulos, de cõsecr. dist. 5. ubi mentio fit de Christis discipulis, qui ob talem necessitatem uellebant spicas, quas ederent: de quibus non est dicendum ob hoc factum peccasse. Altera pars probatur; quoniam ob talem necessitatem non fiunt omnia communia: & propterea esset alienum, inuito domino occupare, quod non licet.

Tertia conclusio, in leui necessitate aliquid leue accipere, non esset peccatum mortale, sed solum ueniale. Hanc conclusionem probat caput, si quis, titulo de furtis, ubi Pótifex ait, quod si quis propter necessitatem accepit, cibaria uestem, &c. si non restituit, pœniteat; exponit Glossa, ex eo quod pœnitentia imponitur, colligitur, quod modica fuerit necessitas.

Quarta conclusio, si res quæ in extrema necessitate capitur, usu non consumitur, transacta hac necessitate, restituenda est. Patet hęc conclusio ex communi sententia: omnes enim in hac doctrina conueniunt: ita Sotus, Syluester, Scotus, & alij qui negant restitutionem faciendam esse. Quam confirmare licet, ex Canone, quod pro remedio. 1. quæst. 7. ubi dicitur, quod cessante necessitate, cessare debet, quod urgebat. Quamuis hic canon pertineat ad cessationem statuti, ob necessitatem facti. Declaratur hæc conclusio hac facti specie. Quidam suos fugiens inimicos, non poterat suæ saluti consulere, nisi obuium equum conscenderet: is ubi periculum euasit, tenetur equum suo domino restituere.

Quincta conclusio, quando debitum fuisset contractum ante extremam necessitaté, & postea, qui rem accepit alienam, in extremam necessitatem incidit, is, si ueniat ad meliorem fortunam, restituere debet.

Hęc conclusio probatur euidenter ex cap. Odoardus de solutionibus, ubi habetur hic casus expressus. Quidam clericus liberatur a debito soluendo, quod contraxerat ante necessitatem; cautione tamen data, ut si quando poterit, debitum persoluat. Quare incidens ne

cessi-

cessitas, non liberat ab obligatione restitutionis.

Confirmatur argumento ducto a loco similium, de eo, qui cessit bonis, qui si ad pinguiorem ueniat fortunam, debet suis creditoribus satisfacere, l. is qui, ff. de cessione bonorum: & l. qui bonis ff. eodem. Adde, quod ait Scotus, quod in tali casu non cessat dominium, sed solum sopitur.

Sexta conclusio, quando aliquis in necessitate extrema secundum quid, accepit rem alienam, tenetur eam restituere cum commode id poterit efficere. Est conclusio ex Soti sententia, quam nemo profecto negaret, licet alij eam expresse non tradant. Exempli gratia, est aliquis, qui nunc extrema laborat necessitate, sed tamē paucis post diebus quandam consequetur hęreditatem; aut certe alibi pecunias habet: iste, si quid alieni necessitate extrema compulsus capiat, restituere tenetur. Siquidem satis esset huic homini mutuare. Adde etiam, quod nō uere extrema necessitate laborat. Quare, si rem alienam capiat, non transferetur dominium.

Quo fit, ut si quis esset occidendus, nisi se redimeret pecunijs, quas licet pęnes se non habeat, tamen potest ab amicis mutuo petere, eas restituere deberet, ut ait Sylu. quia non est in necessitate simpliciter: de quo uide D. Thomam quol. 5. q. 5.

Septima conclusio, si quis in extrema necessitate aliquid modicum accepisset, & postea ad piguiorem fortunam peruenisset, nihil restituere deberet. Patet hæc conclusio ex communi doctrina: & ea confirmatur ratione, quoniam rationabiliter pręsumeretur domini consensus, & donatio.

Octaua conclusio, quando constaret de uoluntate domini, aut de ea cum ratione haberetur præsumptio, etiā si res nōn esset ita modica, nulla esset restitutionis necessitas. Hęc doctrina, quæ est communiter recepta, hunc in modum explicatur.

Quidam rem alienam accepit, & scit re uera, aut saltem habet admodum probabilem opinionem, dominū

nolle

nolle sibi fieri restitutionem; si id sciret, uel quia solet alias donare, uel quia est ualde diues, & liberalis, & ad eleemosynam dandam facilis, nec est nimis curiosus, ac diligens in rebus suis recuperandis, ac retinendis iste esset a restituendo liber. Qui casus posset non raro incidere, & ideo diligenter animaduertendus est: sed cauendum, ne præsumptio fallat.

Nona conclusio, probabilis est sententia eorum, qui dicunt non esse faciendam restitutionem, cum res aliena quæ usu consumitur, occupata fuit in extrema necessitate simpliciter. Huius opinionis probabilitas his rationibus demonstratur.

Primo ex auctoritate illorum doctorum, qui eam sequuntur: quæ sola auctoritas profecto rem facit admodum probabilem: quam etiam duo recentiores doctores, sequuntur: quamobrem tuta conscientia eam retinere, & sequi licet.

Secundo, ex argumentis pro hac opinione factis: & maxime ex eo, quo dicitur, in extrema necessitate res fieri communes: & ex illo, quia si in extrema necessitate homo non tenetur dare, nullus est alius, casus in quo præceptum de danda eleemosyna implendum sit. Adde etiam, quod si res usu consumitur, penitus eius dominium perit.

Decima conclusio, si rationes, ac etiam auctoritatem spectemus alia quoque sententia, est probabilis, immo uidetur etiam probabilior. Quod autem sit probabilior, his rationibus demonstrari potest.

Primo, si iste non tenetur restituere, ubi factus est ditior, maxime ob eam rationem, quod in tali necessitate omnia fiunt communia: sed hæc ratio nihil necessario concludit igitur. Discursus est notus cum maiori, quæ procedit, ex fundamento sententiæ contrariæ: Minor patet, quoniam si ista caussa esset sufficiens, sequeretur, eum qui est in extrema necessitate secundum quid, & alibi esset diues, non esse obligatum restituere, quod est contra eos, qui contra nos sentiunt. Quod autem id sequatur,

quatur,

quatur, patet: quoniam, ideo huic accipere licet, quod omnia sint communia, non obligatur ergo ad restituendum, quod uos negatis. Nam nō habere pecuniam hoc loco, uel hoc tempore, non differt a pecuniarum acquisitione, quæ esse potest.

Secundo, si iste non tenetur restituere, maxime ea de caussa, quod alius in tali necessitate debebat donare id, quod ad uitam tuendam erat necessarium: uerum, hęc caussa non urget, quoniam sat est ut subueniat, commodando, aut mutuando, igitur. Maior propositio, est contrariæ sententiæ fundamentū, minor probatur illustri exemplo Iosephi, de quo Genesis cap. 47. fit mentio: qui in extrema frumenti caritate necessaria non donauit.

Tertio, si non teneretur, esset ex eo, quod iste, qui tali laborat necessitate, fit eius quod accipit uerus dominus, quod est aduersariorum fundamentum: atqui hoc fundamentum non subsistit, ut patet argumento a simili, nam mutuatarius fit dominus acceptę rei, non tamen liberatur ab obligatione restituendi, & in commodato, cum non acquiratur dominium, adhuc magis remanet restitutionis necessitas. quare cum in nostro proposito non efficiatur dominus, non cessabit restitutionis obligatio. Et esto efficiatur dominus, adhuc debet restituere, ut patet in eo, qui aliquid accepit mutuo.

Quarto, qui est in extrema necessitate constitutus, non potest accipere omnino rem alienam, tanquam prorsus suam, & tantum quantum ei libuerit, sed id solum, quod est sufficiens ad subleuandam necessitatem, & dominus non est semper obligatus donare: non facit igitur iste rem quam accepit suam, nisi ut sibi in necessitate subuenit.

Quincto, & hæc ratio ualde contrariam sententia urget, ex aliorum opinione sequeretur unum absurdum omnino intollerabile, quod est, si multi milites in extrema necessitate positi, alicuius pauperis ac miseri hominis bona inuaderent, atque eum ad extremam pene necessitatem redigerent; nulla relinqueretur uia, qua

hois

huic misero satisfaciendum esset; si isti a restituendo sunt liberi.

Accedat denique, quod difficile est extremas necessitates internoscere,& propterea securior est hæc, quam probabiliorem dicimus esse sententiam:pro cuius moderatione animaduertendum est, eos qui hanc sententiam sequuntur,non obligare eũ,qui in necessitate aliquid accepit, ad restituendum quocunque modo; sed solum,quando aliqua commoditate id facere poterit, & cum uere factus fuerit ditior.Quare iste maneret liber ad ingrediendum in religionẽ:neq; esset obligatus ad omnẽ curam adhibendã,atquẽ ad laborandum , ut omnino restitueret.Et quoniam hæc sententia uidetur in rigore disputationis multo probabilior, ideo argumenta contrariæ opinionis diluere conabimur.

Ad primum,quid sit ad hoc argumentum dicendũ , patet ex ijs quæ in probatione decimæ conclusionis attulimus.

Adde præterea,in extrema necessitate non esse omnia quacunque ratione communia,siquidem & si omnia sint communia; melior,tamen est conditio possidẽtis,a quo non licet auferre. Quare solum in hac necessitate,iure naturali,diuino,& humano datur egenti facultas,ut id possit accipere,quod sibi est necessarium,ut patet cap.citato,exijt.

Adde rursus, quod non sunt,omnia ita communia , ut dominium transeat ad eos,qui ea accipiunt,sed solũ sunt communia ratione usus.

Quod si cum quibusdam dicas, in ijs rebus quæ usu consumuntur,usum & dominium non distingui, id nõ uidetur uerum,ut alias in materia de dominio latius demonstrabitur.{Siquidem Nicolaus Tertius cõcedit Frãsiscanis usum rerum quæ usu consumuntur, sine dominio:quare,possunt aliqua esse communia,ratione usus, sed non ratione dominij . Denique, licet omnia essent communia & translatum esset dominium,tamen adhuc argumentum non concludit,ut patet in mutuo .

Ad secundum, non est par ratio, utriusque casus: quoniam, orta tempestate, ni merces proijcerentur, una cũ ipsis hominibus adhuc perirent: & ita in tali casu non remanet dominus magis damnificatus, ut ait Medina, quam si ab hominibus proiectæ non fuissent.

Ad tertium, patet solutio ex ijs, quæ dicta sunt in secunda conclusione. Sed ut adhuc melius talis diluatur ratio, animaduertendum est, diuites ijs qui sunt in extrema necessitate simpliciter, ex ijs, quæ sunt sibi superflua, esse obligatos donare: ea uero quæ sibi sunt necessaria ad suum statum decenter retinendum, non sunt obligati donare; sed sat est, si commodato, uel mutuo dent. Rursus nota qui est solum in graui necessitate, nõ potest accipere alienum, quamuis diues teneatur ei ex sibi superfluis dare. At uero, qui est in extrema simpliciter, non modo ex superfluis, sed etiam ex necessarijs ad statum alterius capere potest; id tamen solum, quod est ad sibi subueniendum necessarium. Et cum sibi subuenire queat, si commodato, uel mutuo accipiat, non ita debet accipere, quasi sibi donatum fuisset; licet diues teneatur donare. Cum naturæ ius id solum spectare uideatur, ut necessitati subueniatur. Quod fieri per mutuum potest, nulla est necessitas, cur fieri debeat per donationem: nec qui accipit, ita accipere debet, quasi sibi donatum sit. Tunc autem aliquis esset a restitutione liber, quando, & alter tenetur donare, & ipse habet ius ad accipiendum, ut donatum.

Ex his colligo solutionem allatam a Medina, & Nauarro non esse firmam. Inquiunt enim hi Doctores, ideo illum esse obligatum ad restituẽdum, quia alius non tenetur donare: quę solutio non est uniuersalis, & propterea non est bona. Siquidem non habet ueritatem in superfluis; quę debent gratis dari, ut alias in materia de eleemosyna copiosius demonstrabitur.

Ad quartum, patet ex dictis, concedo quidem debere donare superfluum, sed si non donet, alter non habet ius ad accipiendum, tanquam donatum. Atque de argumen-

mentorum solutione hactenus.

Antequam autem huic difficultati finem facio, adijciam dubitationem quandam, An diues, qui non dedit superflua in extrema necessitate, qua omnia fiunt communia, obligatus sit ad restituẽdũ egentibus. Quoniã si facta sunt communia, non minus erant pauperum; quam diuitis, qui si non dedit pauperi, quod ipsius erat, necessitate urgente, uidetur alienum retinere, ac proinde restituere debet. Huc facit auctoritas Hieronymi dicentis, Aliena conuincitur rapere, qui ultra necessaria sibi retinere probatur, & illud Ambrosii, Tantorum ergo scias bona inuadere, quantis possis, quod uelis præstare.

Ob quas auctoritates, quidam Doctores partem tenuerunt affirmatiuam, cum tamen contra omnino sentiendum sit. Quoniam, ut sæpe diximus, restitutio præsupponit rem fuisse aliquo modo eius, cui restituenda est, at res huiusmodi nunquam fuerunt sub dominio pauperum, igitur. Et eo ipso, quod ius naturæ facit omnia communia, fit, ut iure naturæ diuitis bona non sint propria ipsius pauperis, potius quam diuitis, qui ea possidet.

Adde etiam, quod supra diximus, pauperes existente necessitate, solum habere usum rerum, non autem dominium: quare, cum ob talem rationem non fiant domini, eis restituendum non erit.

Quod autem Patres illi dicunt, intelligendum est; ratione debiti caritatis: propter quod superflua pauperibus, necessitate existente, danda sunt: quod qui non facit, æquiparatur raptori ob culpam, quam committit; non tamen in obligatione restituendi. Sed de hac caussa hactenus, nunc ad aliam pergamus.

An creditoris remissio debitorem a restitutione liberet.
Quæstio LXXXII.

SEcunda caussa, quę a restitutione liberare uidetur, est creditoris remissio: quod autē hæc caussa non sit sufficiens, his rationibus persuaderi potest.

Primo ex iure canonico, cap. solicitę de restitutione spoliatorum, ubi decernitur, quod licet spoliatus cedat iuri suo, in utilitatem spoliantis: tamen spolians non absoluitur ab obligatione restitutionis: quare creditoris remissio non uidetur sufficiens caussa ad tollendum restitutionis uinculum.

Secundo, idem confirmatur ex regula iuris, qua habetur, Non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatū: quare, ut peccatum dimitti possit, actualis restitutio facienda erit: cum is solus restituere dicatur, qui rem ipsam ibi, unde accepit reponit.

Postremo, huc facit etiam alia iuris regula, qua dicitur, Per quas caussas res aliqua nascitur, per easdem dissoluitur: sed obligatio restituendi nascitur ex actuali rei acceptione: quare, sicuti animi præparatio non sufficit ad rem alienam occupandam, sed opus est ut actu capiatur, ita ad restitutionem faciendam opus est actuali rei oblatione.

In hac disputatione, quæ alias sua luce perspicua esse uidetur, sunt quattuor Doctorum sententiæ.

Prima Gerards Senensis, & quorundam aliorum, quos refert Syluester, uerbo restitutio 7. quæst. secunda, qui existimarunt non sufficere creditoris remissionem, sed opus esse, ut res ipsa, saltem, in manu domini ponatur: qui eam postea donare poterit.

Secunda sententia aliorum, ut refert. Laur. de Ridol. tract. de usur. qui existimant non esse necessariam actualem restitutionem, sed sufficere oblationem actualem.

Tertia,

Tertia, quæ affirmat neutrum esse necessarim, sed sufficere animi præparationem ad soluendum, nisi fiat remissio: ita ut, ni adsit interior restituendi uoluntas, licet remissio libere fiat, nihil ualeat. Tribuitur hæc opinio Ioanni Andreæ, in regulam Peccatum.

Quarta sententia aliorum, qui censent, nec actuali restitutione, nec oblatione, nec animo interiore opus esse, modo a creditore fiat libera remissio. Ita Glos. 2. in regulam, Peccatum, Syluester loco supra citato: Medina quæst. 3. Codice de rebus restituen. caussa secunda, Sotus lib. 4. de iust. & iure, quæst. 7. art. 4. Dominus Caietanus in summa, uerbo restit. & est communis opinio. Et quoniam hic nihil occurrit notandum, ad conclusiones ipsas accedo.

Prima conclusio, actualis restitutio non est necessaria ad tollendam restitutionis obligationem. Est hæc conclusio contra primam sententiam, quæ his rationibus refellitur.

Primo, auctoritate legis primæ ff. qui satis dare cogũtur, ubi dicitur quod, Is satis dare dicitur, qui desiderium alterius implet: ergo qui iuxta uoluntatem domini eius bona retinet, ei satisfacit. satis igitur erit eius uoluntas.

Secundo, sola domini uoluntas satis est, ut quis de nouo eius rem, sine obligatione ad restituendum, accipiat: ergo eadem uoluntas satis erit ad hoc, ut, si eam habet, retinere possit; immo multo magis, cum quid maius uideatur rem alienam de nouo accipere, quam iam acceptam retinere.

Tertio, radix obligationis ad restituendum, est iniustitia: hæc autem nascitur ex animo inuito: quare, ubĩ non est animus inuitus, non est iniustitia; & propterea furtum definitur, rei alienæ contrectatio, inuito domino: atqui quod est inuitum sufficienter tollitur per uoluntatem domini; igitur nulla remanet restitutionis ratio.

Secunda conclusio, ad restitutionem faciendam, stan

te uoluntate domini, non est necessaria actualis oblatio. Hanc conclusionem probat efficaciter proxima ratio allata pro prima conclusione. Quoniam uoluntas Domini potest esse libera sine actuali oblatione: non est igitur ista oblatio necessaria. Sed, ut adhuc magis nostra confirmetur sententia, remouendum est contrariȩ opinionis fundamentum.

Qui ergo contra sentiunt, hoc fundamento niti uidentur; quoniam dum pecunia, seu res restituenda abest, dominus inuitus cōsentire uidetur, ac proinde opus est rei præsentia. Cȩterum, hæc ratio est parum firma: quoniam id uerum esset, quando intercederet uiolentia, quæ non semper adest.

Adde etiam, quod Sotus ait, non esse necessariam omnem libertatem ad hanc obligationem tollendam, sed eam sufficere, quȩ potest esse cum absentia pecuniæ.

Adde postremo, quod communiter loquēdo, melius est pecuniam, seu rem ablatum non offerre, cum rei prȩsentia soleat homines ad auaritiam irritare. Cum ergo oblatio non sit necessaria, & aliquando obesse possit, nihil est cur adhiberi debeat.

Tertia conclusio, ut debitor a restitutionis obligatione liberetur, non est necesse, ut habeat uoluntatem restituendi. Est hȩc conclusio contra tertiam sententiam.

Vt autem nostra doctrina melius percipiatur, animaduertendum est, hæc duo longe inter se distare; aliquem liberari a culpa peccati, & ab obligatione restituendi. Nam, licet, qui non habet uoluntatem restituendi, non liberetur a peccato, quippe qui uelit in iniustitia perseuerare: tamen, si re uera dominus nolit sibi restitutionem fieri, uere liberatur ab restitutionis uinculo. Hac posita declaratione, allata conclusio, his confirmatur rationibus.

Primo, si quis haberet animum furandi centum nummos aureos, & stante hac uoluntate, eorum dominus, ei istam pecuniam donaret; is proculdubio ad restitutionem non teneretur: ergo nec etiam dum habet animum

reti-

retinendi id, quod iam habet: quod si postea animum mutet etiam a peccato liberatur.

Secundo, restituendi obligatio, ut paullo ante dicebamus, oritur ex inuoluntario: sed hic non adest inuoluntarium; igitur nec ad restituendum obligatio.

Quarta conclusio, obligatio ad restituendũ plene tollitur per liberam, & spontaneam remissionem illius, qui habet facultatem remittẽdi debitum. Sequitur hęc conclusio necessario ex dictis; ex quibus remanet satis confirmata: eget tamen aliqua declaratione.

Vt igitur uideamus an remissio sit idonea, & legitima, animaduertenda est primo persona, quę debitum remittit, an habeat facultatem remittendi; qua si careret, nulla esset remissio. Exempli gratia, si quis acciperet quippiam a filio familias, non liberaretur a restitutione per remissionẽ factam a filio, si non adesset consensus patris: similiter, qui fraudauit gabellas, non liberaretur per solam ministri condonationem; cum minister non possit donare, quod Principis est. Rursus, persona quæ remittit debet esse libera, ut remissio non censeatur coacta: ut autem non sit coacta hæ requiruntur conditiones.

Prima, ut non intercedat uis: quia tunc non esset libera. Vnde si quis ita diceret, nolo tibi restituere centum, quæ debeo, nisi donaueris quinquaginta, ista remissio non esset libera. Similiter, si creditor remitteret ex desperatione recuperandi rem suam, orta ex culpa debitoris, non censeretur remissio libera. Ait tamen Syluester loco citato, quod si intercederet tertia persona, quæ creditori diceret, faciam ut debitor tibi restituat, si aliquid ex debito ei remittere uis, puta, in exemplo allato, decem, & creditor consentiret, non esset inuita remissio.

Secunda, debet abesse metus grauis, & alicuius momenti, qui sit caussa principalis remissionis, & ad hunc finem adhibitus, ut fiat remissio: quare, si metus non esset huiusmodi, remissio teneret. Vnde, si quis remitteret

debitum ex metu contracto in tempestate remissio, esset firma. Cæterum si metus iuste incuteretur a persona publica, remissio teneret: ut si quis compelleretur a iudice ad remissionem iure faciendam, talis remissio haberetur firma.

Tertia, debet abesse fraus, quæ si adesset redderet remissioné nullá: quando hanc ob caussam adhiberetur. Exempli gratia, si quis fraudoléter minueret debitum: ex qua diminutione creditor moueretur ad remissioné faciendam: alias, si magnitudinem crediti sciret, non remissurus. Item, si fingeret se non esse soluendo: Quod si quis creditori diceret remitte huic, quoniam pauper est, & non habet unde soluat, remissio teneret.

Postrema, debet abesse ignorantia: quoniam, si adsit ignorantia quę sit caussa principalis ipsius remissionis, remissio non teneret. Exempli gratia, si qui ex crassa ignorantia existimaret se esse creditoris consanguineũ & se esse pauperem, cum re uera non esset, & ob hanc caussam facta esset remissio, profecto non teneret; cum ignorantia faciat inuoluntarium.

Vltima conclusio; debiti remissio fieri non potest cũ a iure prohibetur, quamuis libere fiat, & si facta fuerit, non sortitur effectum. Sunt autem tres casus in quibus a iure prohibetur remissio.

Primus, qui habetur cap. statutum tit. de rescriptis, li. 6 ubi decernitur, ut Legatus non possit accipere munera, nisi quæ cito consumuntur, neque expensas, nisi moderatas: ab ijs uero qui sunt admodum pauperes, nihil potest omnino recipere: & si accipiat, tenetur restituere, quamuis sponte & libere dentur.

Secundus, qui habetur cap. Exigit, & cap. Felicis recordationis, de censibus li. 6. quo loco prohibetur Visitatori recipere munera: qui non potest recipere nisi expensas modicas tempore uisitationis, & in itinere: & si recipit, tenetur restituere, non obstante quacunque remissione.

Tertius, habetur in Clementina de Hæreticis, capit.


Nolentes, quo in loco prohibetur Inquisitoribus, ne modis illicitis extorqueant pecunias, non obstante qua cunque remissione. Quare, in his tribus casibus nulla est dubitatio, cum habeamus Pontificiam in eis determinationem. Atque ex dictis facile est argumenta in contrarium allata soluere.

Ad primum, illud caput procedit ex præsumptione, quæ in uerbis sequentibus exprimitur: quoniam non ui detur uoluntarie cedere: quod si esset libera uoluntas, in foro conscientię ualeret: quamuis nulla esset in exteriore foro.

Ad secundum, si hoc argumentum quicquam probaret, sequeretur non posse dimitti cuipiam peccatum, nisi re ipsa restitueret, quod est omnino falsum: sufficit enim uoluntas libera, & efficax. Quare, regulla illa sumitur in communi, & generice: ut is dicatur restituere, qui uel formaliter, uel uirtualiter restituit; ut is facit, qui rem cum domini uoluntate retinet.

Ad tertium, obligatio ad restituendum nascitur ex uoluntario, atque ex uoluntario soluitur, ut dictum est: & ita non per solam actualem restitutionem. Atque per hęc huic sit satisfactum dubitationi.

An cessio bonorum liberet in conscientia creditorem a restitutione. *Quæstio* LXXXIIII.


QVod attinet ad hanc tertiam caussam, qua debitores ad obligatione restituendi liberari solent, cum pauca occurrant dicenda, breui disputatione me expediam.

Humanæ leges ad remouendum incommodum, quo interdum homines affici solent, cum ob impotentiam restituendi diutius in carceribus detinentur inuenerunt remedium quod, miserabile, & flebile uocant, bonorum nimirum cessionem, per quam a carcere & a debito statim soluendo liberatur, C. de his, qui bonis cedere possunt ff. de bonorum cessione.

Fit hæc bonorum cessio in manu creditoris, uel in eius absentia, in manu iudicis, & debito confesso, cum obligatione, quod si uenerit ad pinguiorem fortunam, debeat restituere, & ad restituendum cogi possit: ad quod faciendum etiam in foro interiore tenetur, l. his qui bonis. ff. de bonorum cessione. Solent autem leges ei, qui bonis cedit, tantum bonorum relinquere, ut uiuere possit, ne egeat: relinquuntur etiam suæ artis instrumenta. Facta igitur bonorum cessione, quæritur, an qui cedit sit securus in conscientia, ita, ut possit tuta conscientia retinere, quæ sunt necessaria ad uictum: de qua re hę sunt Doctorum sententiæ.

Prima Medinę, q. 3. caussa tertia, & q 5. qui duo dicit: primum, si omnia bona quæ debitor habet sunt ipsius creditoris, omnia restituenda sunt: & solum sibi retinere potest, quod creditor per uiam eleemosyne ei teneretur dare: secundum, si bona sunt ipsius debitoris, in quibus continentur artis instrumenta inhumanum uideretur, si ab eo talia instrumenta auferentur, ut creditori sufficiat. Quare, ex huius doctoris sententia, non manet tutus in conscientia, qui ex bonorum cessione aliquid, ratione uictus, sibi retinet; cum leges non possint ea quæ sunt alterius, alteri applicare. Quo fit, ut cũ uenerit ad pinguiorem fortunam, teneatur omnia restituere, quæ legis beneficio retinuit. Idẽ Adrian. Panorm. & Rauennas, cap. Cum tu de usuris, docere uidentur.

Secunda, sententia aliorum qui distinguunt de caussa unde orta fuit obligatio, in eo qui uult bonis cedere, quoniam, si orta sit ex delicto, ut ex furto, & rapina, debitor, tali iuris beneficio gaudere non debet, sed potius puniendus est: quod si orta esset ex legitimo contractu, tũc iuris beneficio gaudere potest. Quare, si quis fraudolenter aliena bona accumularet, ut splendide uiueret, & tandem in fraudem creditorum bonis cederet, ut hac ratione haberet unde uiueret, iste non esset tutus in conscientia. Ita Sotus lib. 4. de iust. & iure quæst. 7. art. ultimo.

Tertia

Tertia sententia aliorum, qui distinguunt de duplici cessione: nam altera est, quæ fit cum magno dedecore, & infamia debitoris, quibusdam actibus externis, pro locorum consuetudine, & hęc liberat cedentem ab omni restitutione, etiamsi cedens uenerit ad pinguiorẽ fortunam: altera quæ fit sine hac ignominia, & solemnitate, & hæc nõ liberat. Ita Guido. q. Delphinatus 343. quam refellit Didacus lib. 2. Variar. resol. cap. 1. num. 7.

Quarta opinio aliorum, qui putant quocunque modo cessio fiat, eum qui cedit, posse retinere id, quod leges concedunt. Ita Didacus loco proxime citato, & par. 1. in relect. in regulam peccatum, num. 2. & Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 86. Nos quid de hac caussa sentiendum sit, his decernimus conclusionibus.

Prima conclusio, bonorum cessio, præter alios effectus, hunc priuatim parit, ut debitor in foro exteriori conueniri non possit: potest enim per cessionem contra actorem excipere. Quod priuilegium non habet locum, nisi durante egestate, cuius caussa hoc beneficium conceditur. Quare, cum uentum fuerit ad pinguiorem fortunam, nõ poterit qui cessit hac se exceptione tueri.

Secunda conclusio, qui fraudolenter eo modo, quo Sotus ait, bonis cedit, non est tutus in conscientia per bonorum cessionem. Neque enim hoc beneficium a lege concessum, debet ei patrocinari, qui per fraudẽ uult aliena bona occupare.

Tertia conclusio, cessionis bonorum beneficium, nõ solum ijs, qui ex contractu, sed etiam ijs, qui ex delicto debent, patrocinari debet. Placet nobis hac in parte Didaci, & Nauarri sententia, quam nonnulli alij sequuntur: eamque hæc firma ratio corroborat. Quia tale beneficium inductum est a lege humana caussa egestatis, quæ caussa apud Deum sufficienter excusat, tam eũ qui ex delicto, quam qui ex contractu debet.

Quarta conclusio, qui cessit bonis potest tuta conscientia retinere, quæ per leges permittuntur. Siquidẽ ex humana, ex caussa, ut patet in pręscriptione, potest

transferre dominium, quare qui bonis cedit, poterit hoc priuilegio uti: cum præsertim fundatum sit in lege naturæ, quæ docet, ut ab eo qui nõ hẽt nõ possimus repetere: Adde, quod ista lex cedit in bonum cõmune, ad cuius cõseruationem priuatorum bona conuerti possunt.

Quincta conclusio, qui bonis cessit, cum uenerit ad pinguiorem fortunã, restituere debet. Est communis doctrina: & ex eo patet, quia cum hac obligatione cedit.

Sexta conclusio, qui cessit, cum uenit ad pinguem fortunam, non tenetur ea restituere, quæ legis beneficio sibi concessa fuere. Patet ex quarta conclusione, quia lex potuit hæc bona huic applicare; quare non tenetur ea restituere. Quando autem aliquis non cessisset bonis, dum in egestate manet, omnia deberet restituere, si quę tunc retinuit, aliena erant.

Septima conclusio, in pœnis pecuniarijs, quę debentur publico, non fit bonorum cessio; sed talis pœna conuertitur in corporalem, qua soluta, illa cessat. Et hæc de hac caussa nobis dicenda fuere. Plura quæ pertinent ad forum ciuile, si quis uidere capit, legat Didacum lib. 2. uar. resol. cap. primo, nu. 6. & sequentibus.

An rei alienæ præscriptio, & iuris iudicisque auctoritas, a restitutione liberent.
Quæstio LXXXIIII.


Duas caussas hac quæstione explicandas proponimus. Quod uero ad prioris caussæ explicationem attinet multa quæ de præscriptione in materia de dominio, ubi est locus proprius de hac re agendi disputantur, in præsentia omittentes, ea breuiter attingemus, quæ ad nostrum propositum proxime facere uidentur.

Dicam igitur, quid sit præscriptio, qui & contra quẽ possit pręscribere, quæ res sint pręscriptionis capaces, & quę conditiones ad præscribendum sint necessariæ; & postremo an pręscriptio liberet a restitutione: d

pri- e

primo. Præscriptio, uniuerse sumpta, quę sub se usucapionem continet, a qua in eo differt., quod usucapio fit rerum mobilium, hæc uero immobilium, hoc pacto definiri solet, Præscriptio est acquisitio dominii per continuam possessionem temporis lege definiti, l.3.ff. de usu cap. Vel cum Panormitano, Est ius quoddam ex tempore congruens, auctoritate legum uim capiens, pœnam negligentibus inferens, & finem litibus imponens.

Quæ descriptio traditur per suum genus, cum dicitur ius, est enim dominium quoddam, seu dominij acquisitio, hac particula designata: cui adduntur quædam caussæ loco differentiæ: caussa efficiens primaria est legum auctoritas: secundaria, tempus: motiua, hominum negligentia in rebus suis curandis: finalis, ut imponatur finis litibus.

De secundo, non potest quiuis præscribere, sed solum is, qui proprio nomine potest possidere, cap. si diligenti, de pręscript. Vnde, nec seruus, nec mente captus, nec creditor, nec usufructuarius, nemo denique, qui nō est capax rerum, seu iurium, quæ tenet. Quoniam, de ratione pręscriptionis est possessio: quare, qui non possunt possidere, aut nomine suo non possident, non præscribunt. Quamuis seruus domino, & tutor pupillo, ac etiā mente captus, aliquo pacto possint præscribere, de quibus, alibi.

Neque contra omnes fieri pręscriptio potest: siquidē contra eum, qui est impotens, uel adeo impeditus, ut rem suam in iudicio repetere nequeat, non currit præscriptio; quia deest caussa inducens ad pręscribendum, nimirū negligentia. Quare, contra eū qui est mente captus, contra minorem, contra absentem, contra excommunicatum, nisi fuerit in mora petendæ absolutionis, & denique contra eum qui iusto metu impeditur ne rē suam repetat, non currit præscriptio. Similiter, non currit quocunque tempore, ut tempore belli, & pestis, & quando deest iudex, aut si adest, est malignus.

Neque res omnes sunt pręscriptioni obnoxiæ, ut sunt

res

res sacræ, uel Ecclesiæ, & ius decimarum a laicis, tributa, quæ Principi debentur, quæ ad publicum usum sunt instituta, limites prouinciarum, & iurisdictionis, liber homo, res furto & ui acquisitæ ante tempus triginta annorum, & denique contra obedientiam, & procurationem ratione uisitationis debitam præscribi non potest, cum minister sit sua mercede dignus.

Quæ autem ad præscriptionem de iure requiruntur, sunt, bona fides, continua possessio per tempus lege definitum, negligentia eius contra quem prescribitur, titulus, & quod res sit præscriptionis capax ab eo, qui præscribit. Quare, si quid horum desit, non fit præscriptio: quæ tunc incipit currere, quādo ista omnia adsunt: quæ si non simul adsint, tunc incipit, quando aduenit postremum, quod ad præscribendum est necessarium.

Tempus uero ad præscriptionem requisitum, uarium est pro rerum, personarum, & obligationum uarietate, de quo uide Sylu. uer. præscrip. q. 6. de qua re nihil est cur hoc loco nos longum texamus sermonem.

Quod attinet ad bonam fidem, est regula iuris lib. 6. qua habetur, quod Possessor malę fidei nullo tempore prescribit. Quo loco queri solet, an cum dubia consciētia currat, seu ualeat præscriptio; de qua re uarię scribitur: nos breuiter dicimus, si dubitatio sit de facultate, retinendi rem licite, excludit bonam fidem, nec permittit ualere prescriptionem: similiter, si sit de re, an sit aliena, tollit bonam fidem, si dubium sit probabile: quod dixerim contra Glos. & Pan. cap. de prescri. si uero esset de aliqua accidentali rei conditione non tolleret. His ita prenotatis, pretermissis quinq; hac de re opinionibus, his conclusionibus quod tenendum sit statuo.

Prima conclusio, potuerunt leges humanę per prescriptionem, seruatis conditionibus numeratis, efficere, ut quod prius erat unius, ueniat in dominium alterius.

Primo, quoniam id est necessarium ad conseruandam, ac retinēdam ciuium concordiam: per hanc enim

legem

legem multę reſecantur lites,& ſedātur odia:quę alias ſępiſſime, tali lege remota, in rep.excitarentur,ſi poſt quodcunque tempus,quod ſuum eſſe aliquis ſibi perſuadet,id ſibi repetere liceret.

Secundo,quia Princeps & legiſlator iuſte poteſt aliquem ſuo dominio priuare,ſi quid committat, quod ſit reip. perniciosum, cuiuſmodi eſt negligentia multorum annorum in rebus ſuis curādis: dum nec eas colit, nec conſeruat,& fructus ex eis per ſe, uel per alium nō capit: quę culpa per præſcriptionem conuenienter punitur.

Secunda concluſio,poſſeſſor malę fidei nullo tempore pręſcribit. Ita habetur de regulis iuris lib.6.& cap. finali de pręſcript.Declaratur hęc concluſio,is dicetur poſſeſſor bonę fidei,qui ſuum eſſe putat, quod ipſe poſſidet:is uero malę,qui ſcit eſſe alienum, quod retinet, & conſcientiam ſibi dictare id reſtituendum eſſe, quę conſcientia facit pręſcriptionem illicitam. Vel cum Adriano dicas,quando fides eſt ſine peccato,ut eſſet, ſi quis retineret rem alienam,quia probabiliter credit dominum donaturum,aut non requiſiturum,non impedit pręſcriptionem,quādo uero eſt cum peccato maxime. Quare, ut inquit Adrianus, ius canonicum, non tollit omnino leges ciuiles,quę de præſcriptione agunt. Vbi nota,quod non ſolum dicitur poſſeſſor malæ fidei, qui a principio, ſed etiam qui ante finitum tempus ſe rem alienam poſſidere nouit.

Tertia concluſio,per legitimam præſcriptionem,qui rem alienam poſſidet,liber eſt a uinculo reſtitutionis. Legitima cenſetur præſcriptio, quando adſunt omnes conditiones requiſitę. Quare,ſi peracta præſcriptione aliquis certo ſciat rem, quam poſſidet fuiſſe alterius domini,poteſt tuta conſcientia illam retinere.Ita Med. quæſ. 18. Nauar.cap 17.nu.85. qui hanc concluſionem declarans,de canonica pręſcriptione ait intelligendam eſſe:quia ciuilis pręſcriptio, quæ etiam cum mala fide procedit,non excuſat.Quare regnorum leges,uel Ciui

tatum

tatum statuta, quæ decernunt post aliquot annos elapsos debitum peti non posse ab eo, qui scit se debere, in foro conscientię non excusant.

Atque de hac caussa hactenus, nunc de alia breuiter dicamus.

Quod ergo attinet ad iuris, uel iudicis auctoritatem dubitari solet, an hanc ob caussam aliquis liberetur a restitutione, ex sententia a iudice lata, uel alicuius legis constitutione: & quod liberetur, his potest confirmari rationibus.

Primo ex Augustini auctoritate, quæ habetur 23. quæst. 4. Can. Qui peccat, ait enim Augustinus, neminé peccare; qui legis auctoritate utitur. Quare, qui iuris auctoritate nixus, rem aliquam retinet, non erit ad restitutionem obligandus. Similiter, qui ex iudicis senté tia aliquid retinet, cum iudex ex legibus sententiá pronunciet, tuta conscientia retinebit.

Secundo, huiusmodi retentio est ab omni iniuria aliena, quia non nascitur iniuriæ occasio, unde iura nascũtur. C. unde ui, l. Meminerunt, & quod iure fit, ut ait Augustinus, Can. Quid dicam, 14. quæst. 4. iuste fit. Quod ergo iure retinetur, omni uacat iniuria.

His tamen non obstantibus, non est uerum uniuerse, iudicis sententiam, aut legis auctoritatem semper a restitutionis uinculo liberare. Vt patet in bonorum cessione, quæ ab iure ciuili admittitur, cum mala fide: at uero secundum conscientiæ leges non tenet, ut supra dicebamus. Similiter ius humanum permittit, ut emptor possit retinere, quod citra dimidium iusti pretii defraudauit, quod conscientiæ lex non concedit. Nonnullas itaque iniquitates leges humanæ permittunt, & sæpe ex falsa præsumptione procędunt, ut maiora uitentur mala. Similiter, iudices sæpe in sententia ferenda errant, uel quod non est præsumendo, uel ex falso testimonio iudicando. De hac caussa, ita statuo.

Prima conclusio, quando ius non est permissiuũ, sed concessiuum, ita ut aliquid alicui uelit applicare, & do-

dominium transferre, tunc, qui hac auctoritate nixus rem retinet alienam, non est ad restituendum obligatus, ut patet in bonorum cessione, & præscriptione: secus, si quid solum permitteret, aut actionem concederet, aut repetitionem negaret.

Secunda conclusio, quando iudicis sententia est solum declaratiua, si præsumptioni, uel falsæ probationi innitatur, nō liberat a restitutionis obligatione, quod si ex ueritate procedat, maxime, modo constet ei, pro quo lata est.

Tertia conclusio, si sententia non sit declaratiua iuris alterius partis, sed priuatiua ex caussa, per quam res au fertur a possidēte, & alteri applicatur, qui accepit, non tenebitur restituere, nisi sententia in re sit iniusta. Vide Panorm. cap. 1. de concess. præbandarum, & Medinam, caussa septima, quæstio. tertia.

Ex quibus colligitur, eū pro quo iniusta lata est sētētia, a qua qui cōdemnatus fuit non appellauit, non esse tutum in conscientia, si sciat iniuste latam fuisse: nisi condemnatus spontaneę iuri suo cedere uideatur: quod non esset, si ob timorē, uel impotentiam nō appellaret.

Argumēta in contrarium allata, facile soluuntur: procedunt enim de lege cōcessiua & de sentētia iuste lata.

Examinantur septem caussæ, de quibus dubitari solet, an a restitutione liberent. Quæstio LXXXV.

NE singulas caussas, quæ aliquando ab obligatione restituendi liberare possunt, aut liberare uidentur, singulis disputationibus lō gius quam par est, prosequar; hac unica quæ stione, per quasdam dubitationes nōnullas alias breuiter perstringam.

Prima dubitatio, an si debitor restituat ei, cui creditor debet, liberetur a restitutione facienda domino a quo rem accepit. Exempli gratia, ego debeo Francisco decem, totidem ipse debet Ioanni, si ego inuito, uel in-

scio Francisco illa decem do Ioanni, sum ne libèr a restituẽdo? de qua dubitatione hæ sunt auctorũ sentẽtię.

Prima Bartoli, qui cũ distinctione respõdet: si ego, & Ioannes ob eandem caussam sumus debitores, puta, si ego conduxissem domum a Francisco, qui eandem ab Ioanne conduxerat, tũc si Ioanni soluo, non teneor amplius soluere: quod si ex dispari caussa, adhuc Francisco soluere deberem.

Secunda sententia aliorum, qui simpliciter respondentes, dicunt, eum qui certę personę debet, peccare, si ea inuita, & inscia alteri soluat, & creditorem aduersus eum, quam habet actionem non amittere. Nec ualet si dicas, eum non peccare, qui facit, quod creditor facere debuisset: sicuti non decet priuatum hominem, eum occidere, quem iudex capite damnare debuisset.

Tertia sententia aliorum, qui dicunt, eum qui hoc pacto debito satisfacit, peccare quidem, sed tamen a restitutione liberari. Speciatim autem hac de re hęc docet Medina q.3. caussa quincta.

Primum, si res in specie esset reddenda, quę fuctionẽ non admittit, non esset sine culpa, si quis immediate creditori non redderet, nisi ad alteri reddendum iudicis auctoritas, aut primi creditoris consensus non adesset.

Secundum, si res debita functionem admittat, nec sit res in specie reddenda, tunc sine culpa potest creditori creditoris satisfieri: modo fiat sine fraude, & damno primi creditoris. Quoniam, etiamsi id eo inuito soluat, nemini præiudicat, nisi forte sibi, quia primus creditor potest contra ipsum agere.

Tertiũ, facta tali pacto solutione, in foro conscientię tollitur obligatio. Nos de hac re ita statuimus.

Prima conclusio, Qui hoc pacto solueret, in foro exteriori iterum conueniri posset: de quo foro quidquid sit, certum est in foro conscientiæ illam Bartoli distinctionem nihil efficere.

Secunda conclusio, qui soluit ei, cui creditor debet, creditore inuito, peccat. Primum, quia cum adsit uis illa, non

la,non poteſt fieri ſine culpa: neque eſt priuatæ perſonæ quempiam ad iuſtitiam conſeruandam cogere. Deinde,quia qui a quopiam pecunias accipit,implicite obligatur ad reſtituēdum ei,a quo accepit.Denique, quia alias aperiretur uia ad multas lites faciendas.

Tertia concluſio,qui ſic reſtitueret,in foro conſcientiæ eſſet a reſtituendo liber, ſi creditorem monuiſſet. Quoniam facta eſſet æqualitas,ſine ulla iuſtitiæ uiolatione,igitur.Quare multo magis liber cenſeretur, ſi de creditoris conſenſu facta fuiſſet ſolutio.

Secunda dubitatio,an compenſatio,quæ fit inter debitorem & creditorem, quando creditor tantundem debet, liberet a reſtitutione. Verbi gratia Paullus ex una parte debet Ioanni decem,ex altera Ioannes Paullo totidem, quæritur, an ſi inter ſe debitum remittant, ſint a reſtituendo liberi:de qua re Panormitanus cap. Bona fides,de depoſito,ita ſentit.

Primum, ſi res hinc inde debitæ conſiſtunt in pondere, numero, & menſura, ita ut functionem admittant, locum habet compenſatio: ſi uero res debitę ſint diuerſæ,ut ſi tu mihi equum,ego tibi pecunias reſtituere deberem non eſt compenſationi locus: quia fortaſſe mea poteſt intereſſe habere equū, & tua habere pecunias.

Secundum, etſi hoc teneat in utroque foro, quando creditor poteſt aliter rem ſuam ſine incommodo recuperare: tamen,ſi ſine incommodo non poſſit,qui pecunias habet in utroque foro poteſt tute retinere: qui uero equum habet,ſecūdum leges retinere nequit. Quod iniuſtum putetur, ut quis in rebus ſuis diminutionem patiatur,ob pecuniam debitam.

At uero Syluefter, uerbo emp. & uerbo furtum q. 12.Gloſ.cap.Final.de depoſito, dicunt poſſe compenſationem fieri in quattuor caſibus.

Primo, quando non poteſt alio modo id quod ſuum eſt recuperari.

Secundo,cum poteſt recuperari,ſed tamen cum maxima iactura & damno,atque labore.

Tertio, quando debitum est certum & liquidum: quando enim debitum esset incertum non posset fieri.

Quarto, quando fit in rebus, quæ patiuntur compensationem. Habet autem compensatio locum in omnibus debitis, preter quam in deposito, ut habetur cap. Bona fides; idque ob fidelitatem in hoc contractu seruandam; in quo res fidei depositarij committitur. Habet etiam locum in delictis, seu in actionibus, quæ ex delicto oriuntur: similiter in pœnis. Debita autem debent esse uel utrinque liquida & certa, uel utrinque dubia; quoniam, si ex una parte sint dubia, non admittitur cōpensatio: quia tunc obstaret mala fides. Nec refert in foro conscientiæ, quod debita sint eiusdem rationis, uel diuersæ. Itaque existimo in omni debito fieri posse quādo adest prima cōditio; secus iudicem adire oporteret.

Sed hic suboritur dubitatio; quid dicendum sit, si ex una parte est debitum reale, ex altera uero debitum ex promissione, præsertim addito iuramento, quo confirmata est promissio. Vt ecce, ego tibi debeo centum ex contractu emptionis; tu mihi totidem debes ex promissione, quæritur an in hoc casu fieri possit compensatio.

Medina loco supra citato, respondet cum distinctione: si is, qui promisit, absolute promisit, non cum hac intentione dandi tantundem ei, qui sibi debet, non habet locum compensatio: obstat enim promisio, quæ perpendenda est ex animo promitttentis, quoniam in hoc casu, quamuis mea promissio sit obligatoria, tamē non tollit illam realem. Si uero non fuit intentio determinata ad dandum centum de nouo, sed in genere, habet locum compensatio.

At uero Syluester, uerbo Pactū q.4. & Caietanus contra sentiunt; nimirum locum habere simpliciter, posita illa prima conditione: dicunt preterea interdum locum non habere; ut si promissio facta fuisset ex ioco non serio.

Tertia dubitatio, an religionis ingressus liberet a debiti solutione: de qua re possem late disputare; sed tamen

men breuiter quid sentiendum sit aperiam, dûab. prius recensitis opinionibus.

Prima opinio est diui Thomæ 2.2.quæst.ultima, asserentis debitorem per ingressum religionis cedendo bonis, liberari a debito, quo prius tenebatur; quę opinio nonnullis argumentis confirmari posset, de quibus uide Medinam.

Secunda sententia Gersonis part. 2. qui ad casum in terminis respondit, cui multi Doctores Parisienses subscripserunt, eum male agere, qui, cum possit in sæculo creditoribus satisfacere, per religionis ingressum se inhâbilem reddit: nec propterea, si postea possit, est a restituendo liber. Quare, si debitor per artem & industriã siue facultates, quas habebat potuisset creditoribus satisfacere, non potest se impotentem per ingressum religionis reddere, quod his rationibus confirmatur.

Primo, quoniam, tum iure naturæ tum diuino ad id tenetur.

Secundo, quia non potest cum alterius detrimento id efficere, ad quod efficiendum non est obligatus: cum non sint facienda mala, ut inde eueniant bona.

Tertio argumento ducto a simili, de seruo, qui non potest ingredi religionem sine consensu domini: nec secundum diuum Thomam filius sine patris uoluntate, si eum possit in graui necessitate sustentare. Non licet itaque debitori in creditoris fraudem religionē ingredi.

Quod autem post ingressum non remaneat liber, ex eo patet. Quod obligatio posterior, non tollit priorem, ut patet, Cap. Veniens, & capite, intellecto, de iureiurã. adde etiam, quod sicuti totum monasterium non est liberũ a debitis pecuniarijs, ita neque religiosus, qui est monasterij pars. Quare, si qua honesta uia poterit ꝓ debitis satisfacere, erit ad id obligatus, ut Medina docet.

Quod si dicas, is qui bonis cedit, est liber, igitur, & iste qui bonis cedendo religionem ingreditur. Respondetur, esse quidem liberum, quod non possit in carcerē detrudi, aut alicui seruituti subijci, sed non est liber ab

obligatione quærendi modum ad satisfaciendum creditori, a qua qui bonis cedit, non est liber.

Neque ualet ratio ducta a simili, de eo, qui contraxit matrimonium, & tamen ante consummationem potest religionem ingredi: quia, id est priuatum priuilegium a Christo factum, & Sanctorum exemplis comprobatũ. Adde etiã quod ante consummationem, nõ dum est data rei, seu corporis possessio, & ita adhuc remanet libertas q̃dã: at in casu nostro debitor est realiter obligatus.

Quod si obijcias de eo, qui iurasset se daturum Ioanni centum, qui, non obstante hoc debito per promissionem cõtracto, adhuc potest religionem ingredi; dicetẽ licere quidem propositum mutare in melius, quod qui facit, non uiolat iuramentum, cap. peruenit, de iureiurando; sed non est par ratio in casu nostro. Quod, si ingressus profiteatur, tenebit professio, ob libertatem, quã talis persona habet: quod non habet locum in seruo, & uxore; cum non sint sui iuris.

Quarta dubitatio, an si creditor sit excommunicatus, debitor liberetur a restitutione, uel restitutionem protrahere possit: de qua dubitatione, sunt duæ Doctorum sententiæ.

Prima quorundam Canonistarum tenentium partẽ affirmatiuam. Ita Felinus cap. Inter alia, de sententia excommunicat. Panormitanus cap. Veritatis, de dolo & contumacia: Decius cap. Intelleximus de iudicijs. Adrianus quæst. 3. de clauibus, Glos. cap. absolutos, de hæreticis: quę opinio his nititur fundamentis.

Primo, argumento a simili: quia Monachus non tenetur obedire Abbati excommunicato, nec clericus Episcopo, Can. Sacerdos 2. quęst. 7. neque uasalli domino 14. quæst. 6. Can. Hos sanctorum, & Can. iuratos.

Secundo auctoritate pontificia, cap. intelleximus citato, ubi excommunicatus non admittitur ad agendum in iudicio: extra de sententia excõmunicat. Cap. Quod in dubijs, & cap. Inter alia, ubi habetur, neminem a culpa excusari, qui cum excommunicatis communicat, nisi eos,

si eos,quos Gregorius excipit.in cap. Quoniam multos 11.q.3.ubi nõ excipiuntur debitores pecuniarii,igitur.

Tertio,quo argumento glossa citata utitur: si quis alĩcui ex obligatione,uel promissione tenetur,intelligitur eum teneri,si alter in eo statu permanserit,ut cum eo cómunicare liceat,ut colligitur,cap.Quemadmodum,de iureiurando: cum ergo excommunicatus, non permaneat in tali statu,igitur.

Secunda sententia aliorum,qui contra sentiunt, non liberari a restitutione, etiamsi sit nominatim excõmunicatus, & publicus percussor clerici. Ita Innocentius cap.ueritas,de dolo & contumacia. Ancharan. Can. penul.15.quęst.6.Maior dist.18.quæst.4. in quartum sent. Syluester,uerbo excommunic.5.quæst.12.Medina q.3. caussa noua,Didacus Couarruuias in relect.in regulam Peccatum,par.1.num.7.Francus cap.1.de except. lib.6. Innoc. in dicto cap.Veritatis.Archid. & Doctores Can. penul.15.quæst.6.ad quam dubitationem nos his conclusionibus respondemus.

Prima conclusio, si creditor non sit nominatim excommunicatus,nec publicus percussor clerici, debitor non liberatur a restitutione, neque solutionem debiti ob hanc caussam protrahere potest. Doctrina est communis; quoniam cum hoc genere excommunicatum communicare licet,ut patet ex concilio Basilien. & Lateran. sub Leone 10.

Secunda conclusio,si loquamur de excommunicato creditore, quo cum commercium habere non licet, si debitum solum ex promissione, non autem re contractum sit,probabilis est prima opinio,quod per excommunicationem creditoris suspendatur debiti solutio. Ita Medina loco citato. Quoniam uerba promissiua iuris interpretationem admittunt: & promissio semper intelligitur salua,seu excepta superioris auctoritate:cũ ergo per legem non mihi liceat cum isto agere,non teneor obligationem soluere.

Tertia conclusio, excommunicatio debito reali su-

perueniens non tollit, nec impedit restitutionem.

Primo, quoniam hæc obligatio est multo maior, quã illa, qua debemus ab excommunicato abstinere, cum hæc oriatur ex iure humano, illa uero ex omni iure, humano scilicet, diuino, & naturali. Quare cum plura cócurrũt præcepta ea seruari dent, quæ magis obstringũt.

Secundo, non est minor, uel certe est eiusdem ordinis obligatio illa, qua uxor tenetur marito debitum reddere, & filius patri, quam ea, qua debitor tenetur suo creditori satisfacere: sed illa per excommunicationem superuenientem non tollitur, ut patet ex capit. Quoniam 11. quæst. 3. & familia licite potest communicare cum eo, cui subditus est, ut patet cap. Si uero, de sent. excommun. igitur.

Postremo, contractus cum excommunicato celebratus, est firmus & debita inde contracta sunt soluenda: igitur contractus ante excommunicationẽ celebratus, ob superuenientem excommunicationem non tollitur, nec impeditur: quamuis ipsis excommunicatis non detur actio ad repetendum in iudicio, cap. si uero, de sententia excomm.

Neque argumenta in contrarium allata obstant: non primum, quoniam ideo illis personis non est præstanda obedientia, quia per excommunicationem impeditur iurisdictio, & dominandi potestas: unde patet etiam ad secundum: tertium potest procedere iuxta sensum secundæ conclusionis.

Quincta dubitatio, an ignorantia inuincibilis, hoc est, cum quis nec scit, nec potuit, aut debuit scire, se cuipiam debere, liberet ab obligatione restitutionis.

Respondetur affirmatiue; talis. n. ignorãtia facit omnino actum inuoluntarium, & excusat ab omni peccato. Ignorantia itaque inuincibilis, seu probabilis, tam iuris, præsertim obscuri, quam facti, donec durat a restitutione excusat, l. Quod te. ff. de reb. cred. Ita docet Nauar. ut alios omittam, cap. 17. num. 55. & 82. Quare, qui emeret rem a fure non excusaretur per ignoran-

tiam iuris: nec qui emeret a milite calicem: quia in his non esset ignorantia probabilis. At uero si quis esset dubius, non esset tutus in conscientia, nisi diligentiam adhiberet, ut de ueritate certior fieret. Quare, qui dubitaret, deberet consulere uiros doctos, & bonos; non tamē eos, quos iuxta suam uoluntatē sibi responsuros putaret.

Sexta dubitatio, an officia præstita creditori liberent a restitutione. Quidam existimarunt, beneficij concessionem, seu procurationem factam creditori liberare a restitutione. sed isti errant, ut bene Nauar. num. 81. adnotauit; quia esset simonia: secus tamen, si id ex grato animo fieret. At uero per procurationem aliorum officiorum, quæ est pecunia æstimabilis & uendi solet, restituendi obligatio tolli posset.

Septima dubitatio, an amissio libertatis excuset. Qđ hæc caussa non excuset, probari potest ex lege ueteri Exod. 22. ubi fur, qui restituere non poterat, uenditioni erat obnoxius; immo debitor ciuilis seipsum, aut filios uendere debebat, Leu. 25. & 4. Reg. 4. Verum, etsi eadem lex a rep. hoc tempore sanciri posset: tamen in christiana rep. nunquam id factum fuit: immo sancitum est, ne quis ad hoc compellatur, Auth. sed hodie, C. de action. & obligat. & cap. 2. de pignor. ubi Gloss. Ratio huius doctrinæ ea esse uidetur, quia libertas est quoddam maximum bonum, quod non bene pro toto uenditur auro. Posset tamen aliquis ad satisfaciendum creditori, se tanquam seruum illi credere.

Octaua dubitatio, an rei interitus liberet a restitutione. De hac re uide Sylu. uer. rest. 7. quæst. 5. & Nauar. c. 17. nu. 88. cui dubitationi satisfieri potest per ea, quæ supra, quæstione uigesimaoctaua, diximus.

Atque de his minoribus dubitationibus, hactenus. Nunc ad aliam caussam pergamus, de qua est maior difficultas, ac propterea integra disputatione erit examinanda.

An compositiones, quas faciunt creditores cum Prælatis liberent eos ab obligatione restituendi.

Quæstio LXXXVI.

VT huius quæstionis difficultas intelligatur, animaduertenda est consuetudo quædam, quæ adhiberi solet, cum debita sűt in certa. Accedit ergo debitor ad Prælatum, quo cũ quandam conuentionem facit, quę compositio, seu dispensatio appellatur: soluit.n. aliquam debiti partem, quam Prælatus applicat pijs operibus, & dat debitori facultatem retinendi tuta cõscientia aliquid eius, quod alias, si quantum restituere, & cui restituere sciuisset, restituere debuisset. Quæritur ergo, an huiusmodi compositio reddat tutam debitoris conscientiam; & quod hæ compositiones non sint securæ, his potest rationibus persuaderi.

Primo, Pontifex, seu Prælatus non habet temporale dominium super huiusmodi bonis; neque.n. est omniũ rerum temporalium dominus, ut est per se manifestũ: non poterit igitur ex his bonis aliquid per gratiam alicui applicare.

Secundo, gratia non potest cuipiam fieri cum præiudicio tertiæ personę, at id cõtingeret, si per compositionem aliqua bonorum incertorum pars debitori tribueretur; esset enim in præiudicium pauperum, quibus de iure talia bona tribuenda sunt: igitur.

Tertio restitutio debet fieri secundum uolũtatem domini expressam, uel tacitam; atqui non est uerisimile illorum bonorum dominum, uelle quicquã ex eis debitori applicari, sed potius in suæ animæ utilitatẽ pauperibus elargiri; igitur.

Quarto, si potest donari aliqua istorum bonorũ pars, eadem ratione posset donari totum: idque, non solum Prælatus ecclesię summus, vt Pontifex, sed etiam Episcopi, & Principes seculares possẽt efficere: quę omnia

uidentur abſurda. In hac difficultate hę ſunt Doctorum opiniones.

Prima ſententia multorum, qui tenent Pontificē non habere talem poteſtatem, & cōſequenter nec eam alijs concedere poſſe: quo fit, ut nec in Principe ſęculari ſit: quæ opinio allatis nititur fundamentis.

Secunda aliorum, qui diſtinguunt de bonis eccleſiaſticis, & aliis bonis: in eccleſiaſticis poteſt, Pontifex id facere, quia conſtitutus eſt eorum diſpenſator: in alijs uero, ſi ſint ſubiecta ſuę iuriſdictioni, poteſt, ſic uti & alij Principes: ſi uero non ſint ſubiecta, poteſt diſpenſare quando neceſſitas urgeret. Habet enim Pontifex indirectam poteſtatem circa bona temporalia; quibus debent præferri ſpiritualia bona. Ita Turrecrem. in quam opinionem citatur etiam Paludanus.

At uero Medina quæſ. 3. cauſſa undecima, ſimpliciter reſpondet huiuſmodi compoſitiones fieri poſſe, & debitores, licere tuta conſcientia, quod ſibi conceditur, retinere. Nos aliquibus concluſionibus, noſtram ſententiam aperiemus.

Prima concluſio, qui defendunt Pontificem eſſe dominū omniū bonorum, etiam temporalium, facile cōcederent, poſſe has compoſitiones facere. An autem re uera ſit dominus, non eſt huius loci exponere, ſed alibi in materia de dominio hanc difficultatem examinabo.

Secunda concluſio, quando dominus eſt certus, talis diſpenſatio nullo modo eſſet tuta in conſcientia. Patet hęc concluſio, quia non fieret ſine iniuria alterius perſonę: nam ut eſt multorum opinio, Pontifex non eſt directe dominus omnium bonorum temporalium.

Tertia concluſio, debitor qui uult tuta cōſcientia uenire ad compoſitionem, debet prius omnem adhibere curam, in inueniendo uero domino, ita ut non poſſit eſſe tutus in conſcientia, niſi bona illa, quę habet, habeātur omnino pro derelictis, & dominus ſit omnino incertus. Concluſio eſt manifeſta, quia hæc bona nō ueniunt in poteſtatem diſpenſatoris, niſi ſint hac rōne effecta.

Quarta conclusio, qui fraudolẽter, aliorum bona occuparet, ut multis collectis pecunijs ad compositionem ueniret, non esset per compositionem tutus in conscientia: qua ratione caupones, & artifices, qui paulatim a pluribus, & ignotis hominibus aliquid iniuste capiunt, errare possunt. Patet hęc conclusio ex ijs, quæ supra diximus de bonorum cessione; quæ cum fraude locum non habet.

Quincta conclusio, Pontifex habet facultatem faciẽdi compositionem seu dispensandi in bonis incertis.

Primo, eo ipso quo bona sunt incerta, cedunt potissimum in utilitatem pauperum, quorum Pontifex, tanquam uniuersalis Pastor, curam habet: ergo potestatẽ habet in illis cum ratione dispensandis: Sicuti cum ratione dispensat in bonis ecclesiasticis.

Secundo, eo ipso, quo huiusmodi bona carent domino, pertinent ad publicam administrationem; ergo ab aliquo qui remp. gerit debent administrari: at hoc munus nemini congruentius conuenire potest, quam summo Pontifici, tanquam omnium pauperum tutori; poterit igitur, cum ratione, in hoc bonorum genere dispensatione uti.

Tertio, non minus ius acquiritur Deo, in uoto sibi facto adimplendo, quam sit acquisitum pauperibus in bonis incertis possidẽdis: sed Pontifex, ex caussa, potest dispensare in uoto Deo facto, & illud in aliud commutare, ut patet tit. de uoto, & uoti redemptione: igitur poterit etiam cum eo qui possidet bona incerta, ne ea omnia pauperibus eroget, ex caussa dispensare.

Quarto, Pontifex dispensat in iure humano, caussa existente, & dispensatio tenet, ut omnino exploratũ est: at bona incerta humano iure sunt pauperibus debita; poterit igitur summus Pontifex in hoc iure ex caussa dispensare. Minor propositio patet ex ijs, quæ alio loco de hoc bonorum genere diximus: quoniam solum ex nostris bonis iure naturali, & diuino tenemur dare pauperib⁹, nõ aũt ex alienis, ut sũt bona incerta; igitur.

Quin-

Quinctò, non minus debentur ministris ecclesiæ decimæ, & primitię, quã debeantur incerta bona pauperibus: atqui Pontifex, ex caussa, decimas in toto, uel in parte a ministris aufferrè, & laicis applicare potest, ut est manifestum; igitur.

Postremo, potest creditor, ut facilius suos debitores ad soluendum commoueat, eis aliquam debiti partem condonare: ergo idem poterit efficere Pontifex, ratione istorum bonorum, quorum procuratio, ad ipsum, tanquam ad uniuersalẽ omniũ pauperũ curatorẽ, pertinet.

Sexta conclusio, ut ista dispensatio sit congrua, & debitorem liberet in conscientia, creditor debet aliquid soluere, seruata proportione: ita ut non possit esse tutus si quid minimum soluat, (ut quibusdam in locis fieri solet) cum debitum est maximum. Primum, quia id non fieret sine iniuria, & detrimento pauperum, ac etiam reip. Deinde, quoniam id uideretur esse omnino pręter mentem eorum, quorum essent illa bona. Postremò, daretur occasio improbis ad aliorum bona occupanda; & ad fingendam creditorum incertitudinem.

Septima conclusio, qui habet huiusmodi bona incerta, quæ pauperibus sunt eroganda, non debet differre compositionem, expectando, gratia exempli, aliquod Iobeleum, quoniam restitutio est statim facienda, & toto illo tempore, quo debitor eam facere potest, & nõ facit, manet in peccato mortali. Ex his, quæ conclusa sunt, nonnulla colligere licet.

Primum, posse Pontificem legata ad pias caussas, & alicui certæ personæ, uel loco applicata, cum ratione, ad aliquam aliam piam caussam transferre, ut ad diui Petri fabricam.

Secundum, qua ratione, in Iudęorum conuersione, cum isti multa, aut fere omnia habeant per usuram, acquisita, quorum domini fortasse ignorantur, Pontifex possit illis per dispensationem, uel ex toto, uel ex parte aliquid donare, quod tamen non liceret, si essent bona certa.

Po-

Postremum, quomodo fieri possit, ut quis liberetur a uinculo restitutionis, non soluendo etiam si debitum remittatur a domino. Atque his conclusionibus, huic sit satisfactum disputationi. Argumenta in contrarium allata ex dictis facile diluuntur.

Ad primum, esto Pōtificem, uel Prelatum, aut etiam Principem non esse istorum bonorum dominum, est tā men dispensator; & propterea ex caussa, potest de his bonis disponere; sicuti tutor de bonis pupilli.

Ad secundum, non fit gratia cum præiudicio alicuius, sed cum utilitate pauperum, & eorum, quorū sunt ista bona, cum hac ratione ab iniustis possessoribus recuperantur, quæ alias fortasse recuperari non possent.

Ad tertium, eodem respondetur modo: nanque interdum etiam ipsi domini aliquid donant, ut rem suam recuperent: præsertim cum de rebus sibi restituendis incertitudinem habent.

Ad quartum, negatur sequela, quia dispensatio non debet esse dissipatio: & ideo, licet possit donare partem, non proinde sequitur debere donare totum, ob allatas caussas.

An ratione detrimenti quod quis patitur in rebus suis, possit non restituere, aut restitutionem differre.

Quæstio LXXXVII.

INter alias caussas, ob quas is qui debet, a restitutionis uinculo interdum liberatur, aut restitutionem protrahere potest, ea recensetur, quæ sumitur a magno detrimento, quod restituendo caperet. Vt autem huius quæstionis quæ alio loco poni potuisset, status plene percipiatur, animaduertēdū est ex domino Caietano, incōmodū, quod quis restituendo pati potest, tripliciter se posse habere.

Primo, cum magnum est debitum, quod restituēdum est, cui qui uult satisfacere, magnum quoque percipit damnum: ut si quis deberet restituere centum nummos

aureos,

aureos, quos si restituet, detrimẽtum magnum sentiet, quia hac carebit pecunia. Et ob huiusmodi damnum, nemo liberatur a restitutione facienda.

Secundo, quando ex restitutione ei qui debet cessabit magnum lucrum: ut, exempli gratia, si ijs bonis, quæ sunt restitutioni obnoxia, debitor mercaturam faceret: neq; etiam huiusmodi dãnũ a restituẽdo liberat.

Postremo, quando ob restitutionem, aliquis patitur magnum detrimentum in suis bonis. Vt ecce, si quis non posset restituere, ni uenderet domum, & illam uẽdere non potest, nisi minimo pretio, ita ut ex tali uenditione maximum perciperet damnum; & in hoc casu intelligẽda est proposita dubitatio, An aliquis cum magno suorum bonorum detrimento restituere debeat. Quod autem huiusmodi damnum non excuset, his rationibus confirmatur.

Primo, idem est non restituere, atque aliena occupare: & aliena occupare non licet, nisi in extrema necessitate: ergo quodcunque quis patiatur damnum extra necessitatem extremam, restituere debebit: confirmatur, ex doctrina diui Pauli ad Romanos, cap. 13. ubi nos docet, ut nemini quicquam debeamus: quare, modo quis habeat unde restituere possit, sẽper debebit restituere.

Secundo, si uera esset sentẽtia contraria, maxime, ob id, ne quis cum dãno maiore restituendo, iacturam existimationis faceret: at hoc nihil est; quia pari ratione liceret furari, ne amitteretur fama, quod falsũ est, igitur.

Tertio, qui aliena bona occupat, sese huic periculo subijcit, ut cum hoc distrimento restituere debeat: quare hæc caussa non poterit eum a restitutione liberare, cum libera uoluntate uoluerit, se tali periculo subijcere. In hac difficultate hæ sunt scribentium sententiæ.

Prima sententia eorum qui dicunt, debitorem in tali casu posse differre restitutionem; cum hac tamen limitatione, si creditor non idem patiatur damnum. Ita Scotus 4. sent. distinc. 15. q. 2. art. 4. Gabriel eadem dist. q. 2. art. 2. conc. 2. Syluester, uerb. res. 5. q. 3. Anton. 2. par. tit. 2.

tit.2.cap.8.Nauar.in Enchir.cap.17.nu. 56. Huius sententię fundamentum illud est, quoniam tali casu posito creditor consentire tenetur.

Secunda sententia Raymundi in sua summa, quem refert Syluester loco citato, quam sequitur Adrianus in materia de bello, circa finem, qui Doctores affirmāt debitorem esse obligatum ad restituendum, etiamsi ad mendicitatem redigatur, Excipit tamen Adrianus casum, quando quis multos haberet creditores, & nō posset omnibus satisfacere, haberet tamen artem per quā processu temporis laborando restitueret: tunc enim ei suę artis instrumenta retinere liceret, hoc enim casu existimandum est creditores consensuros, cum de eorū utilitate agatur. Eandem sententiam sequitur Medina quęst.5. Cod. de rebus restituen.

Tertia sententia Soti, lib.4. de iust. & iure. quęst.7. ar. ult. qui respondet cum distinctione, an aliquis teneatur ex iniusta, uel iusta acceptione: nam, si ex iniusta tenetur, restituere debet, iuxta modum secundæ opinionis, si uero ex iustā, iuxtā modū primę. Vt quid in hac quęstione tenendum sit aperiam, nonnullas subiiciam distinctiones, per quas, quid probabilius uideatur, facile patebit.

Prima, aut damnum quod potest pro uenire creditori est tantum, uel quasi tantum, ut illud, quod patitur debitor, uel est paruum, aut fere nihil. Hoc autem detrimentum potest esse uel circa res ipsas, & pecunias, ut si minoris rem suam deberet uendere, quam ualet; uel circa decentiam status; ut si prius habebat quattuor famulos, postea necesse sit solum uiuere cum duobus.

Secunda distinctio, aut est aliqua spes, ut iste, qui nō potest in præsentia soluere, post paucos dies possit, aut certe nulla est spes, & si quæ est, omnino dubia est.

Tertia, aut iste qui restituturus est, in magna est necessitate constitutus bona fide, cum scilicet, casu uel fortuna in necessitatem incidit, aut certe mala fide, fraude nimirum, uel dolo, se in talem coniecit statum, ne restitue-

tueret: nô dico ea de caussa, quia prodigus fuit, aut quia lusit, aut cum luxu uixit, sed hoc animo rem suam alienauit, ut liberaretur a restitutione. Vt ecce, quidam habebat duo millia aureorum, sed intra paruum tempus debebat restituere mille, exposuit duo millia negociatione, unde factum est, ut tempore restitutionis non possit sine magno damno restituere, hic intercedit fraus. Idem dicas de eo, qui scienter uidit futurum damnum, quod ex restitutione poterat manare, & tamen rē suam distraxit. His ita positis distinctionibus, has statuo conclusiones.

Prima conclusio, ratione damni, quod percipitur in rebus, quando oritur ex parte magnitudinis debiti, non licet restitutionem differre. Est doctrina communis, quā speciatim tradidit Dominus Caietanus.

Primo, quoniam ista damni magnitudo nō est in proprijs boni, & re uera nihil detrimenti suis in rebus debitor capit: quare hæc caussa non est sufficiens ad restitutionem tollendam, aut differendam.

Secundo, illud ex contraria doctrina sequeretur absurdum, quod qui plura furaretur, melioris esset conditionis, quam qui pauca: quia minus esset ad restituendum obligatus.

Postremo, quia si est magnum detrimentum debitori, esset etiam magnum creditori, cuius multo melior debet esse conditio, cum res restituenda ipsius sit.

Secunda conclusio, detrimentum lucri quod capitur ex re restituenda, non est iusta, & idonea caussa ad protrahendam restitutionem. Hæc conclusio confirmatur ijsdem rationibus, quibus prima: adde etiam quod illa bona non poterat retinere antequam, ea negociationi & lucro exponeret.

Vnde regula illa, quæ solet dari de lucro cessante, ex quo licet interdum restitutionem differre, intelligenda est, quando lucrum percipitur ex rebus suis.

Tertia conclusio, quando res restituenda extat, & debitor non est in extrema necessitate constitutus, tene-

tur statim restituere, etiamsi statum mutare deberet; ut si quis haberet apud se redditus alienos. Patet hæc conclusio ex prima; quia non patitur detrimentum in re propria. Quare, si quis haberet alienas possessiones, eas statim restituere deberet, etiamsi status mutandus esset.

Quarta conclusio, debitor non est obligatus ad restitutionem statim faciendam, cum detrimento, uel animæ, uel corporis, uel etiam famæ. Ratio est in promptu, quia nemo debet pati tantum damnum in bonis superioris ordinis, ut statim restituat pecunias, seu bona fortunæ, quæ sunt infimi ordinis, estque hęc doctrina cómunis, & speciatim Scoti Caiet. & Gabrielis. Quare, si ex restitutione oriretur damnum reip. uel detrimentũ animæ, aut corpors, & famæ restituentis, aut alterius personæ, non esset statim faciẽda. Verum, si res esset magni momẽti, & famę iactura parua, statim faciẽda esset.

Quincta conclusio, quando aliquis pateretur graue damnum, quod nasceretur ex fraude, teneretur statim restituere: quoniam fraudi nihil patrocinari debet.

Sexta conclusio, qui restituturus est ex iniusta acceptione, aliquod maius damnum perpeti debet, quam creditor. Quoniam in hoc casu adest maior restituendi ratio, quam si iuste accepisset, cũ intercesserit culpa, propter quam aliquam meretur pœnam.

Septima conclusio, debitor non est obligatus ad redigẽdum se ad mẽdicitatẽ, ut statim restituat. Est hæc cõclusio cõtra secũdã opinionẽ, quę uidetur nimis rigida.

Primum, quia talis restituendi ratio, non est in usu; & id iure quidem optimo, quoniam non posset fieri sine famæ iactura.

Deinde, quoniam si esset uerum Adriani fundamentum in primo argumento positum, sequeretur, quod nó liceret artifici retinere instrumenta suæ artis, quod tamen ipse affirmat. Nam in hoc casu non potest ista instrumenta furari: ergo nec ea retinere, cum in sola extrema necessitate retinere liceat. Quare, non est censendus fur, qui cum possit restituere, non statim restituit, ne se

in

in mendicitaté conijciat. Cõfirmatur a simili de eo, qui e somno excitatus recordatur de restitutione a se faciẽ dá; quo tempore non tenetur restituere, sed tamen non licet ei furari: quare non restituere, & furari non sunt omnino idem.

Adde etiam, quod ei qui hodie non posset restituere sine infamia, liceret restitutionem in alium diem differre, in quo non pateretur huiusmodi damnum: & tamẽ, cum eodem periculo, ei furari non liceret: est ergo non restituẽdi ratio a furandi ratione aliqua parte diuersa.

Octaua conclusio, quando creditor pateretur tantũ damnum, uel quasi tantum, uel maius damnum, quantum debitor restitutio esset statim facienda. Quoniam si quis pati debet, potius debitor, quam creditor debet. Adde etiam, quod debitor aliquid incommodi sentire debet, cum commodum senserit. Hoc autem damnum, quod patitur, potest esse maius, uel minus pro ratione magnitudinis debiti.

Nona conclusio, siue debitor sit obligatus ex iusta, siue ex iniusta acceptione, quando esset probabilis spes, quod intra paruum tempus, & iuxta arbitrium boni uiri posset fieri restitutio, crediderim nõ teneri ad statim restituendum, quando esset restitutio cum damno notabili in re propria restituentis: si autem non esset talis spes, teneretur statim restituere, & multo magis, si deberet ex iniusta acceptione. Huius doctrinæ ratio ea est, quoniam nemo cum tanto damno proximi, debet uelle sibi restitutionem statim fieri; si spes adsit recuperandi rem suam. Quare nemo est obligatus ad statim restituendum, cum graui damno in re propria, nisi tantundem, aut quasi tantum patiatur dominus: tum propter rationem allatam, quæ admodum probabilis est, licet non placeat Caietano: tum etiam, quoniam, ut idẽ ait, is qui non potest sine magno detrimento restituere, moraliter loquendo, censetur non posse restituere: at qui nemo id præstare tenetur, quod efficere nequit, igitur.

Decima conclusio, debitor ex iusta acceptione non

tenetur, relinquere lucrū cessans, quod capit ex suis bonis, uel mutare statū, ut statim restituat. Ita Scotus Caietanus, & Iosephus. Patet ex proxima conclusione. Vbi notanda est uniuersalis ratio, qua docetur, neminem esse obligatum ad restituendum cum maiori detriméto, quam sit rei restituendæ pretium.

Vndecima conclusio, debitor bonę fidei non tenetur cum mutatione sui status restituere, etiamsi creditor ex dilatione cogatur statum mutare. Quoniā in pari caussa melior est possidentis conditio. Verum, quando nulla esset alia ad restituendum uia, teneretur etiam cum sui status mutatione: quia non licet cum alterius detrimento maiori cum commoditate, & copia uiuere: ubi illud notauerim statum uiri nobilis posse conseruari, sine multo luxu, atque maiori expensa. Quare, qui restituere est obligatus uideat, ne sibi multa necessaria esse putet, āc proinde non restituat.

Duodecima conclusio, debitor, quantum fieri potest, tenetur constringere se in suo statu, & amputare superfluum, ut facilius restituere possit. Doctrina est Syluestri, uerb. rest. 5. q. 4. & ratio est manifesta, quia tenetur restituere cum aliquo incommodo.

Decimatertia conclusio, quando debitor differt solutionem, cum detrimento creditoris, debet totum illud detrimentum resarcire, nisi dilatio facta sit cum creditoris consensu. Quoniam, non potest debitor sibi consulere per dilationem restitutionis, cum alterius detrimē ti; & presertim si sua culpa factus erat minus potens ad soluendum.

Sed peteret hoc loco quispiam, cur mutatio status suspendat restitutionem, ita ut non teneatur aliquis ob hanc caussam statim restituere; ea nimirum, quod non possit id fieri sine notabili infamia: Quæ ratio non habet locum, in ijs, in quibus non consideratur certus uiuendi status, certaque in ratione uiuendi decentia.

Ex his colligere licet, quid dicendum sit ad illam dubitationem, an debitor sit obligatus ad se uendendum,

ut statim restituat: cuius dubitationis negantem partē defendit Richardus 4.sent.dist.15.art.5.q.4. & ratio est manifesta, quia libertas est maximum bonum, ut supra diximus. Rursus patet etiam non esse obligatum ad mēdicandum, etiamsi iniuste accepit, ut contra Raymundum docet Syluester.

An autem teneatur manibus liberare, uel etiam seruire, dubitari solet. Sotus docet esse obligatum ad restituendum, etiamsi inde sequatur periculum necessitatis laborandi, & mendicandi.

Ad quam dubitationem dico primo, eum qui nullū sciret artificium non esse obligatum ad laborandum manibus, ut restituat. Videtur enim inhumanum, & nimis durum, uelle aliquem obligare ad id, ad quod est ineptus.

Secundo, si debitor haberet artem, uel officium quo aliquid lucraretur, ex eo, quod sibi superesset, ultra uitæ sustentationem, teneretur creditori restituere.

Tertio, persona nobilis, quæ nunquam seruiuit, non est obliganda ad seruitutem, ut restituere possit: qui autem aliquando seruiuit, ad tempus, non autem per totā uitam seruire deberet, ut posset restituere. Et hæc de hac quæstione satis dubia probabiliter dicta sint. Restat, ut argumenta soluamus.

Ad primum, alias diximus, præceptum non furandi esse negatiuum, & ideo obligat pro semper: at uero prę ceptum restitutionis, est affirmatiuum & negatiuum, & propterea quo ad animum restituendi semper obligat, non autem quoad actum exteriorem, nisi cum debitis circumstantijs: unde patet etiam ad confirmationem.

Ad secundum, negatur aliquē furari posse ad sustētādam famam: potest tamen restitutionem differre, ut famæ consulat: non est itaque par ratio.

Ad tertium, esto eum, qui iniuste rē accepit, sese huic periculo subiecerit, ut cum detrimento restituere debeat: tamen, non est rationi consentaneum, ut id efficiat, cum magno detrimento, si dominus parum, aut nihil

hil patitur, ex dilata restitutione: praesertim cum est aliqua restituendi spes iuxta ea, quae diximus: quae rursus sequenti quaestione, adhuc magis examinabuntur.

De restitutione facienda ab eo, qui non habet nisi bona aliena, an debeat se omnibus his bonis priuare, ut restituat. Quaestio LXXXVIII.

SI ergo esset aliquis, qui omnia, aut fere omnia quę habet, accepisset ab aliis, siue iusta, siue iniusta acceptione, quibus in bonis eius uita & status decentia sita essent; quaeritur, an iste teneatur restituere; ita ut redigatur ad mendicitatem, de qua re duę sunt auctorũ sentẽtiae.

Prima eorum, qui existimant eum qui malo titulo rẽ alienam possidet esse obligatum ad petendam remissionem restitutionis a creditore: qua negata, debet omnia restituere, usque ad mendicitatem; aut certe ad cedendum bonis. Ita Ostien. in summa, titulo de poenit. & remiss. num. 62. & uidetur Innocentii, cap. Cum tu, de usuris, Medinę quaest. 5. de restit. & Rayn. quae sententia his fundamentis nititur.

Prima, restitutio est facienda omnium rerum, quae ex alienis bonis habentur: ergo omnia simpliciter restituẽda sunt: quare nulla de caussa, potest quicquã retineri.

Secundo, dominus potest iuste omnia bona sua ab alio repetere; ergo qui ea possidet debet restituere, & nihil sibi retinere. Confirmatur. haec ratio ex cap. si quis, de furtis, ubi fur cogitur restituere ea, quae furto, necessitate impulsus accepit, etiamsi in eandem necessitatem rursus incidat. Huc facit etiam cap. Cum tu, de usuris, ubi usurarius cogitur integre restituere, quae per usuras acquisiuit, non obstante, quod in summa relinquatur necessitate.

Secunda opinio aliorum, qui tenent huiusmodi debitorem posse sibi retinere quae pertinent ad decentiam status, & uitę necessitatem. Ita Archid. Can. si res, 16. q.

6.Syluester,uerbo rest.5.q.3.& 4. quæ sententia his fun datur rationibus.

Primo,nemo debet restituere cum detrimento hono ris & famæ: sed si is,qui non habet nisi quæ restitutioni sunt obnoxia,si restitueret, iacturam faceret honoris & famæ,igitur.

Secundo, ista restitutio fieri non potest, nisi debitor omnino a suo statu cadat: a quo cadere non debet,ut al teri,qui non eandem difficultatem patitur,restituat,igi tur. Pro hac difficultate ualde perplexa explicanda uni cum fundamentum ponendum est.

Qui res alienas possidet,tribus modis potest illas ha bere:primo,quando easdem res prorsus apud se habet, quas ab alio accepit:ut si haberet pecunias, quas mutuas accepisset,aut furto abstulisset.

Secundo, quando non habet easdem res, sed alias, quas alienis bonis sibi emit: ut potest contingere in usurario, qui ex usuris sibi agros, uel supellectilia acquisiuit.

Tertio, quãdo res quas possidet,sunt alijs obligatæ, quas tamen ab alio non accepit, cum nimirum aliquis habet bona propria,sed tamen ob cõtracta debita,sunt aliis obligata.Vbi etiã distinguendum est de iusto,& in iusto debitorẽ,& de spe futurę restitutionis intra paruũ tempus,ut supra dicebamus. Hoc posito fundamento, has superstruo conclusiones.

Prima conclusio,debitor bonæ fidei, cuius omnia bo na sunt restitutioni obnoxia,si creditor non sit in eadẽ necessitate,& adsit spes probabilis futuræ restitutionis, non tenetur ad integram restitutionem faciendam,ita, ut cadat a suo statu,sed satis est,si in suo statu se cõstrin gat,ut restituere possit.Casus potest incidere in filiis usurarij, qui bona fide a patre hęreditatem habuissent: qui aliquam aliam hęreditatem essent adituri.Quoniã sicuti nemo tenetur restituere cum detrimento famæ, ita nec cum detrimento honoris,modo adsit probabilis spes restitutionis futurę.

Secunda conclusio, si non esset spes restituendi, & creditor esset in extrema necessitate, restitutio facienda esset: in quo etiam casu posset sibi debitor retinere, quæ essent necessaria ad eam uitæ rationem conseruandam, quam suæ conditionis pauperes homines seruant, & artifex suę artis instrumenta. Quod in tali casu restitutio facienda sit, patet; quia nemo debet cum alterius detrimento seruari indemnis. Quod ea retinere liceat, quæ diximus, manifestum est ex l. miles, ff. de re iudicata, & l. prima ff. de his, qui cedunt bonis, & Instit. de actionibus §. finali. Neque istæ leges quicquam sanciunt contra ius diuinum, quod ad restitutionem obligat, quia idem ius docet, ut in extrema necessitate, quiuis ex alienis bonis sibi consulat.

Tertia conclusio, quādo bona se haberent tertio modo supra posito, & restituendum esset ob iniustam acceptionem, debitor tenetur a suo statu cadere, & se redigere ad magnam necessitatem: posset tamen artifex retinere suæ artis instrumenta, ad uictum sibi parandum, & ad lucrandum, ut posset postea restituere.

Quod iste teneatur restituere, patet in primis ex eo, quia non habet ius in ista bona, & in statum, quem retinet: deinde, quia in tali casu domini sunt cum ratione inuiti, cum debitor sua culpa in has angustias sese coniecerit: postremo, quia alias aperiretur uia latrocinijs, & rapinis: quia facile quisque res alienas occuparet, quas deinde posset retinere, nisi esset ad indigentiam & mendicitatem redigendus. Et huc pertinet caput, Cum tu, ti. de usuris.

Quod autem artis instrumenta retinere liceat, patet ex legibus citatis, & ex ijs, quę supra diximus.

Quarta conclusio, si aliena bona se habeant primo modo supra explicato, siue bona siue mala possideātur, fide, tenetur debitor ad restitutionem faciēdam, usque ad mendicitatem, non autem usque ad infamiam, & extremā necessitatem. Et hoc pacto uidetur procedere prima sententia, quę est communior.

Quod

Quod debeat uſque ad mendicitatem reſtituere, ex eo probatur, quia ſi non teneretur, ob id eſſet, quia creditor conſentire debet, ut ſua bona apud debitorem maneant; ad quod minime eſt obligatus: quoniam ei, qui eſt in tali neceſſitate poſitus, nó tenetur ſua bona dare: ergo nulla neceſſitate adſtringitur, ut uelit rem ſuam apud eum manere: tenetur igitur iſte reſtituere. Adde etiam, quód alias daretur occaſio furtis & rapinis.

Quincta concluſio, quando debitor ſolum habet res alienas, ſecundo modo ſupra explicato, hoc eſt emptas alienis pecunijs, uel bonis, eſt obligatus ad reſtituendum, uſque ad grauem neceſſitatem. Probatur hæc concluſio eodem modo, quo probauimus quartam. Siquidem res iſtæ eorum ſunt, quorum erant nummi, quibus emptæ fuere. Verum, ſi res eſſent licite acquiſitæ non teneretur ſe redigere ad mendicitatem, ſed ſolum ad magnam neceſſitatem. Quare communis ſententia, illa nimirum prima, intelligenda eſt de malo poſſeſſore ex iniqua acceptione.

Atque per has concluſiones ſit huic ſatis dubitationi factum: ex quibus ad argumenta in utranque partem allata reſpondere haud difficile erit.

Ad primum, pro prima ſententia, concedimus reſtitutionem, ſimpliciter loquendo, faciendam eſſe de omnibus: ſed tamen priuatim, pro caſuum diuerſitate, diuerſa ratione fieri debet; ut ex dictis patet.

Ad ſecundum, eſto dominus rem ſuam poſſit repetere, tamen nó ſine modo & ratione: Auctoritates autem, quomodo ſint intelligendæ, ſatis conſtat ex iis, quę diximus.

Adde etiam, quod qui mala fide poſſident, ratione culpę a legibus puniuntur.

Ad primum pro ſecunda opinione, honor & fama duplicıter ſumi poſſunt, uno modo, ut fundantur in uirtute, & de honore ac fama, iſto modo ſumptis, intelligitur illud, quod dicitur, hominem nó eſſe obligatum ad reſtituendum cum detrimento honoris & famæ. Altero

modo

modo pro honore, qui oritur ex aliis bonis, siue animi, siue corporis, & fortunæ, ut ex diuitijs, & dignitatis gradu, & cum iactura honoris hoc modo sumpti, qui re uera non est uerus honor, interdum restitutio fieri debet ut cum ob restitutionem aliquis a suo dimonetur statu. Adde etiam quod aliquis potest restituendo a suo statu discedere, sine honoris & famę iactura, si alio proficiscatur, si aliquam religionem ingrediatur, uel aliqua alia uia suæ existimationi consulat.

Ad secundum, falsum est, absolute loquendo, neminem esse obligatum ad status sui diminutionem, ob restitutionem faciendam, cum ratio id flagitat. Atque de hac quęstione satis.

An periculum uitæ & famę amittendæ restituendi obligationem tollat, seu de restitutione facienda ab adultera, & ab ea qua filium supposuit.

Quæstio LXXXIX.


Elebris est de re proposita, tum apud Theologos, tum apud iuris utriusque peritos disputatio, præsertim si ad casum priuatum de adultera contrahatur, quæ ex adulterio filium peperit, an sit sub uitæ periculo obligata suum manifestare crimen, ne filius legitimus, uel alij hæredes sua hæreditate priuentur.

Potest itaque hæc difficultas primum uniuerse tractari, an quis ob uitę suæ periculũ sit à restituendo liber: deinde speciatim quærendo de adultera, de qua est maior difficultas: quæ ad tria capita reuocari potest: in quorum primo uidendum est, ad quid adultera teneatur: in secundo, quid facere debet adulter: in tertio, quid filius ex adulterio natus.

Tractant hanc difficultatem Theologi lib. 4. sen. dist. 15. Canonistæ cap. Officij de pœnit. & remis. Alphonsus a Castro li. 1. de lege pœnali, c. 11. Ioannes Medina Codice de rebus restituen. q. 3. caussa 4. Didacus Cou in

in relect.in reg.peccatum,part.1.num.6.Summistæ,uerbo,Adulterium. Sotus lib.4.de iust.& iure quæst. 7. art. 2. Adrianus in 4.sent.in materia de rest. in principio, dub.1.& quol.1.art.3.Quod autem uitæ periculum nõ tollat restituẽdi obligationem,his probatur rationibus.

Primo,ex regula iuris,qua dicitur, utilius scandalũ nasci permittitur,quam quod ueritas relinquatur:& potius ueritas est sequenda,quam scandalum permittendum.Si ergo pro ueritate retinenda fratris scandalum postponendum est, multo magis negligenda est fama, & uita,quam ueritas: cum corporis,& fortunæ bona minoris facienda sint,quam spiritualis proximi salus. Nõ debet ergo adultera uitæ periculum timere,ut ueritatem fateatur.

Neque hæc regula allata, sumpta ex Beda in Marcũ cap.9.intelligenda est,ut Innocentius,& Panormitanus cap.Officij uolunt, de Iudice,qui propter scandalum, contra ueritatem nihil facere debet:quoniam Beda loquitur de ueritate,quæ sine peccato non relinquitur:neque tantum de ueritate in iudicio dicẽda,sed uniuersè.

Secundo, restitutio facienda est ex iure naturali, & diuino,ut supra probatũ fuit, & negari nullo modo potest: ergo etiam cum uitæ periculo faciẽda erit:cum potius mors sit subeunda,quam diuinum,& naturale præceptum frangendum.

Tertio,omnia bona,tum corporis, tum fortunæ sunt pecunia æstimabilia, ut communior docet scriptorũm sententia:ergo tanta potest esse pecunia, quæ restituenda est,& tam grandis hæreditas, ut præponderet uitę, & famæ;quare in tali casu facienda erit restitutio, cum uitę periculo.

Quarto,qui falsum testimonium contra insontem in iudicio dixisset:deberet suum dictum,etiam cum periculo uitæ,retractare,ergo mortis,uel infamiæ timor nõ liberat a restitutione facienda.

Quincto,creditor potest rem suam in iudicio repetere,etiamsi inde furis mors probabiliter sit secutura,igi

tur

tur etiam qui debet restituere, tenetur suam uitam exponere periculo, ut restituat.

Atque has rationes dubitandi caussa attulisse sufficiat. Sunt autem tria de quibus solet a scriptoribus dubitari, si quæstio ad adulteram contrahatur, de quibus uaria est sententia.

Primum, quo nam pacto se debeat habere adultera erga filium illegitimum, debeat illi rem manifestare nec ne, præsertim cum non sit ulla spes, de utilitate futura; de qua re duę sunt sententiæ.

Prima, Adriani in quæstione, & quolib. citatis, art. 3. in respons. ad secundnm, & Paludani, 4. sent. dist. 27. q. 2. art. 1. conclu. 3. qui docent, adulteram esse obligatã ad reuelandum filio rei ueritatem, atque ad eam persuadendam omnibus modis, quibus potest, etiamsi non speretur utilitas.

Secunda sententia communis, ut Nauarrus testatur, cap. 16. num. 43. quæ docet non esse obligatam ad id faciendum, si nullam spem habeat fore, ut filius credat. Ita Castro loco citato, Canonistæ cap. Officii, Couarruuias, & alii scriptores, in adnotatis locis.

Dubitant deinde, an si speretur utilitas, debeat cum probabili uitæ periculo ueritatem patefacere: & circa hanc dubitationem, tres sunt sententiæ.

Prima, quæ eam obligat ad reuelandum; Ita Adrianus, citato loco, & Maior dist. 15. in quartam sent. quæst. 17. & lib. 13. sent. dist. 37. q. 34. qui auctores suam opinionem tribus prioribus argumentis speciatim muniunt.

Secunda Soti, loco allato, qui respondet cum distinctione, si loquamur de fama, uel fama mulieris, aut eius qui restituere debet, est magna, & pecunia restituenda est parua; & tunc non debet reuelare: si uero pecunia est magna, & fama parui momenti, reuelare ac restituere deberet. Similiter quod attinet ad uitę periculum, tãta potest esse hęreditas, (exempli gratia, successio in regno) ut facienda sit cum mortis periculo.

Tertia sententia, quod nunquam teneatur reuelare.

cum

cum periculo famę & uitæ. Ita Scotus in 4. sent. dis. 15. q. 2. in responsione ad penultimum argumentum. Anton. 2. par. ti. 1. cap. 18. §. 8. in fine, & ti. 2. cap. 7. §. 4. Caietan. tomo 1. opus. 3. respon. 14. Nauar. in Enchir. cap. 16. nu. 44. Gabriel 4. sen. dis. 15. q. 2. ar. 2. Richar. Medina, & Castro locis citatis, Syluester uerbo adult. q. 2. & est cómunior sententia.

Postremo dubitant speciatim ad quid teneatur adulter, de qua re Sotus duo docet.

Primum adulterum non esse obligatum ad aliquam restitutionem ratione iustitiæ: quia non potest illi constare illum esse filium suum, iuxta illud, quod nemo satis probare possit, cuius sit filius l. Lucius ff. de cond. & demonst. neque enim tenetur credere adulteræ. Adde etiam, quod etsi sciret esse filium suum, nó tenetur quicquam restituere, cum ipse non fuerit proxima iniustitię caussa, sed adultera, quæ filiũ marito supposuit: quare ipsa uidere debuit, quid futurum esset de filio, cum libere adulterio consenserit.

Secundum, si adulter certus esset filium suppositum esse suum, & aliquam posset facere, aut marito, aut hęredi compensationem, aut filium citra scandalum, nutrire, teneretur ad id faciendum ex honestate, & decentia. Quare non eodem modo tenetur adulter restituere, sicuti adultera. Secunda sententia contraria, & est communis.

Pro huius difficultatis resolutione, reuocandam est in memoria illa bonorum distinctio, quam nonnulli auctores afferunt, & pro regula in restitutione facienda utuntur. Sunt igitur tres bonorum ordines, infimus, medius, & supremus. In infimo reponuntur pecuniæ, & quę communiter pecunia ęstimantur: in medio fama & honor, in supremo bona corporis, & uitæ, qua distinctione posita, duo dicunt.

Primum, cum periculo boni eiusdem ordinis faciendam esse restitutioné bonorum eiusdem ordinis: ut cũ periculo famæ, restitutionem famę, & sic de aliis.

Secundum, cum periculo iacturæ boni superioris ordinis, nemo tenetur resarcire damnum boni inferioris ordinis, ut cum periculo amittendæ famæ, nemo est obligatus restituere pecunias, & alia eiusdem ordinis bona. Ita Caiet. Anton. Nauar. Armilla, & quidam alii.

Rursus animaduertendum est, quod attinet ad difficultatem de adultera, uel de ea quæ filium alienum supposuit, doctores communiter in tribus conuenire.

Primum, quando adultera absque periculo infamiæ & uitæ posset rem manifestare, teneretur rem in lucem deducere: quoniam dedit caussam sufficientem & proximam nocendi filijs legitimis, & ueris hæredibus. Casus incidere posset, quando ipsa esset infamis apud oēs.

Secundo, si nulla ex criminis manifestatione speraretur utilitas, non esset obligata ad ueritatem detegēdam. Quoniam censeretur temeraria, & nimis prodiga suæ famæ, & uitæ: ut si fides ei non haberetur, aut non posset aliqua ratione ueritatem probare.

Tertio, quando non posset cum utilitate detegere, posset tamen aliunde instaurare, & compensare damnum, legitimi filii, id facere deberet, ut si haberet bona propria, quibus filium educaret, & cęt.

Præterea, animaduertendum est, posse esse, hic dubitationem de duobus, qui rem habuissent cum fœmina matrimonio soluta, ex qua natus esset filius, de quo dubitaretur, utrius esset, uel si unus crederet esse suū. Pro cuius dubitationis, atque etiam quæstionis principalis resolutione, animaduerte, signa in puero, ut lineamenta, color, & id genus alia, non esse sufficientia, ex se, ad demonstrandum aliquem puerum, esse certi hominis filiū, cū ex uehemēti imaginatione in coitu, possit formari, color, & effigies, ut patet ex facto Iacob, qui apposuit uirgas populeas uirides, & amygdalinas & ex platanis, quas ita accommodauit, ut uarius inde effectus sit color, ad quarum aspectum uarie oues conceperunt, Gen. 30. Et de quadam matrona Romana legitur concepisse filium nigrum, quod in figuram Aethiopis, dum coi-

coibat, inspexerit. His ita notatis ad difficultatem propositam prius uniuerse dicam de restitutione cum famę, uel uitę periculo facienda; tum speciatim de adultera, & de ea, quę filium supposuit, postea, de adultero, ac postremo de filio notho quid sentiendū sit docebo.

Prima conclusio, Nemo tenetur cum periculo uitę ad restitutionem bonorum externorum, seu pecunię, etiamsi pecunia restituenda sit maxima, quare uitæ periculum restituendi obligationem tollit. quę cōclusio his rationibus confirmatur.

Primo ex determinatione Innocentii, cap. Officii de pœnit. & remis. qui interrogatus a Cardinali pœnitentiario, de quadam muliere, quæ supposuerat filium alienum, quo facto priuauit hęredes sua hæreditate: quę prę timore nolebat manifestare peccatum, respondit, eandem esse rationem in hoc casu, atque est in casu de adultera, ac proinde in utroque idem faciendum esse decernit, quod scilicet nō denegetur pęnitētia, & quod satisfactio, idest pœnitētia, per discretum sacerdotē imponatur. Pœnitētia, ad quam ista est admittēda, sacramentū confessionis, quod ait nō esse denegandum. Satisfactio, quę est imponenda hoc loco, nulla ratione potest significare restitutionem, aut pœnitentiam exteriorem in foro iudiciali: quia ait esse imponendam per discretum sacerdotem: exterior autem pęnitentia non imponitur a sacerdote. Adde etiam, quod pœnitentia, quę est satisfactio, non iniungitur nisi post confessionem: cum pœnitentia facta in peccato nihil profit. Sensus ergo decreti Pontificis manifestus, hic est, ut ista admittatur ad confessionis sacramentum, & pro peccato commissio ei pęnitētia, idest satisfactio, imponatur: ubi nulla fit de restitutione mentio: quæ, si esset necessaria, debuisset fieri ante confessionem, uel re, uel promissione.

Quo fit, ut non sit audienda Glossa super citato capite, quæ ait, huic fęminę dicendum esse, Ista pœnitentia nihil tibi proderit; & tamen asserit ei denegandam non esse. Nam si, Glossa loquitur de pœnitentia sacramentali,

li, seu de sacramento ipso, esset error in fide, dicendo nō prodesse: si de exteriore pœnitētia, ista non est ei iniungenda, cum non desistat a peccato.

Ex his necessarium conficitur argumentum: ista mulier, etiam stante fraude, per suppositionem filij factā, liberari potest a peccato, ergo non tenetur restituere: & nulla alia caussa est, quæ eam excuset, nisi mortis timor igitur non est facienda restitutio cum mortis periculo.

Falluntur itaque nonnulli iuris parum in hac parte periti, qui aliter hunc locum exponere conantur, cum quibus etiam Adrianus.

Sotus autem uidens argumenti uim, alia uia conatur euadere, dicēdo, Pontificem existimasse, esse modicam quantitatem pecunię, seu damni restituendi: uel, quod illa reuelando nihil esset profutura: sed hęc gratis dicuntur: & dum Sotus suam uult tueri sententiam, Pontificem alias ualde doctum & pium, imprudentem facit, quod rei circumstantias non uiderit, non cōsiderauerit: cum præsertim sine magna discussione, & examine, ad huiusmodi casus, in quibus de moribus agitur, Pontifices respondere non soleant. Vt omittam, quod communiter, sine ulla limitatione exponitur.

Lege Nauarrum cap. 17. a nu. 89. ad 92. qui late contra Sotum disputat, & tandem docet, restitutionem debiti bonorum omni uia procurandam, sed si non inueniatur idonea, sine amissione uitę, aut libertatis, aut famæ non esse necessario faciendam. Atque de hac prima ratione hactenus.

Secundo, & est ratio ad hominem, hoc est, quæ procedit ex doctrina a Soto concessa; ista mulier posita in extrema necessitate uitæ, ex quocunque loco hanc pecuniam, quam alias deberet restituere, si sibi esset necessaria, accipere posset, ut Sotus docet: ergo non est obligata ad eam restituendam, redigendo se ad extremam necessitatem, hoc est ad periculum uitæ amittendæ: nam si ob talem causam capere potest, potest etiam & quidē multo magis retinere.

Ter-

Tertio, nemo est obligatus ad se uendendum, libertatemque amittēdam, ut restituat etiamsi magna sit pecuniarum restituendaı um uis; ergo multo minus ad restituēdo cum periculo mortis: quod sumptum fuit communiter ab omnibus conceditur; consecutio est manifestissima, cum longe melior sit uita, quam libertas, quæ non bene pro toto uenditur auro, ut inquit ille.

Quarto, nemo tenetur reddere domino, quod eius est, quando uel dominus non uult sibi suum reddi, quæ uoluntas a quibusdam appellatur actus elicitus: aut certe, cum debet uelle, sibi non restitui, quæ uoluntas actus debitus nominatur: at quisque debet uelle, sibi nō reddi pecuniam, seu bona fortunæ, cum tali detrimento, & uitæ periculo; ergo neque qui alias restituere deberet, reddere tenetur. Minor propositio, patet in eo casu, in quo debitor non haberet unde restitueret: quoniam, hoc posito, non retinetur res inuito domino: & si non fiat restitutio, nihil peccatur. Confirmatur hæc ratio: in extrema necessitate, quisque ex suis bonis debet succurrere necessitatem patienti, & ergo non debet uelle, ut sibi reddatur.

Quincto, quando occurrunt duo mala, ex innata omnibus hominibus ratione, minus est eligendum, ut etiā habetur apud Gratianum can. duo mala, & can. Nerui, distinct. 13. sed minus malum est defraudare filios hæreditate, quam mortis periculum subire, illud igitur potius eligendum: non ergo peccabit mulier ista in tali casu tacendo.

Neque ualet Adriani responsio, dum ait, locum citatum esse intelligendum, quando e duobus malis necessario alterum est faciendū: at in hoc casu, ex una parte alterum est malum facere, quod fit non restituendo: alterum uero alienum malum permittere, nimirum, maritum occidere: hæc inquam responsio non ualet, quoniā ut tacendo permittit, hæredes defraudari, ita crimen manifestando permittit mala sibi a marito euenire, & si ipsa ea non faciat: immo potius reuelando positiue

malum caussat: tacendo autem solum permittit, hæredũ uidelicet fraudem.

Denique, ne pluribus sententiam contrariam urgeamus, illud sufficere deberet, quod hæc opinio est communior, quam circiter quattuordecim doctores sequũtur; ac propterea, ut benignior & uerior retinenda est.

Secunda conclusio, uniuerse loquendo, idem dicendum est de fama, quod de uita diximus, hoc est, non esse faciendam pecuniarum restitutionem cum periculo amittendi famã. Probatur ijsdem rationibus, quibus prima cõclusio probata fuit: quamuis, ut supra scripsimus, casus sit metaphysicus, idest, qui nunquam, aut raro euenire potest: cum pecuniarum restitutio per aliam personam fieri queat.

Tertia conclusio, si magna esset pecuniæ restituendę quantitas, & famæ iactura minoris momenti, & speraretur utilitas, restitutio facienda esset: quæ conclusio, his probatur rationibus.

Primo, potest aliquis homo, & mulier ista de qua loquimur, ad acquirendam magnam pecuniæ quantitatẽ, suam paruam famam contemnere, & id usu uenire interdum solet: si quidem aliquando homines eligibilius esse putant multum habere pecuniæ, quam paruam famam possidere: ergo uidetur debere etiam contemnere, ut alij consequantur rem suam, quam sine ista parua famę iactura, consequi non possunt. Quare, cum homo sit famæ dominus, & possit illam cum pecunia commutare, id quod sua caussa faceret, debet etiam caussa alterius ad remouendam iniustitiam efficere. Vt exempli gratia, si quis infamasset alium & nollet famam restituere cum periculo suæ, proculdubio iste deberet pecunia satisfacere; ac proinde etiam cum periculo famæ restituere pecuniam: cum hęc sint aliqua ratione commutabilia.

Secundo, plus excedit uita unum corporis membrũ, quam fama excedat pecuniã, ut est per se manifestum: atqui cum uitæ periculo teneretur interdum aliquis ef

ficere

ficere ne alter suo membro priuaretur, ut patet in eo casu, quo quis falso accusasset hominem, qui manu priuandus esset: ad quam iniustitiam impediendam, cum periculo uitæ calumniator teneretur: ergo etiam periculo famæ teneri quis potest ad pecunias restituendas.

Tertio, hoc casu posito, filij legitimi, seu hæredes essent cum ratione inuiti, quippe qui magno priuantur bono, cum paruo proximi detrimento: secus dicendum esset, si quod restituendum est non magni esset momenti. Verũ contraria sententia sua nó caret probabilitate.

Quarta conclusio, si casus de restitutione faciẽda cũ periculo uitę, uel famæ incideret, res esset examinanda iudicio boni & docti uiri. His ita uniuerse positis, ac confirmatis conclusionibus; nunc speciatim ad casum de adultera respondebo, demonstrando quid in eo fieri debeat.

Quincta conclusio, uniuerse loquendo, adultera tenetur caussam iniustitiæ datam remouere, aut rem reuelando, aut alia uia satisfaciendo. Ratio est manifesta, quia dedit sufficientem damni caussam, alienum supponendo filium. Ex qua doctrina illud necessario conficitur, quod, si qua ratione efficere potest, ne filius spurius hæreditatem adeat, id omnino efficere debeat. Quod si non potest omni ex parte, totam iniustitiam, siue damnum impedire, debet impedire ex parte, si id possit: ut suadere marito, ne illi tantam partẽ relinquat; & si qua alia ratione id queat efficere. Sed ut clare hũc casum explicẽ, quę in eo fieri possunt, ad certa capita reuocabo.

Primum, posit a spe utilitatis futuræ, si reuelet, & remoto famæ, & uitæ, & animæ periculo, reuelare debet: ut communiter docetur, & Pontifex decernit.

Secundum, si non potest hac uia illato, aut inferendo damno occurrere, si habet bona paraphernalia & propria de quibus potest disponere, illis satisfaciat, ea in legitimos filios distribuendo: potest etiam diligentius, magis quam alias deberet, laborare, & sibi de rebus necessarijs cum ratione subtrahere, ut rem mariti augeat.

Tertium, si id non potest, ex quadam honestate tenetur suadere filium, ut religionem aliquam ingrediatur, aut ut sacris initietur, & beneficium accipiat, & hæreditati renuntiet. Sed quod attinet ad ingressum religionis hoc remedium non haberet uim, quando religio esset hæreditatis capax, ut post Concilium Tridentinum, sessione 25. capite 3. de Regularibus, sunt omnes, excepta Cappucinorum, & Fratrum minorum obseruantiæ religione, nisi ante professionem renuntiaretur hæreditati, quam monasteriū in quod esset ingressus, posset adire.

Quartum, si hęc remedia non sufficiant, debet id patefacere filio notho, si speret eum crediturum, si inde non sequeretur scandalum, aut maius malum, & si hac ratione possit eis satisfieri, qui fraudati sunt.

Quinctum, si dicta remedia non sufficiant, reuelet marito, modo illa tria concurrant, quę nunc in quarto capite dicebamus.

Adnotauit Nauar. cap. 17. num. 91. hoc aliud remedium: posset adultera ingredi aliquod monasterium, in quo tuta maneret, & tunc reuelare: quoniam ecclesia eam non restitueret suo marito, nisi data de non lædendo cautione. Quod si nullum remedium sit idoneum, rem Domino commendet, & pœnitentiam agat.

Sexta conclusio, communiter loquendo, adultera nō tenetur reuelare crimen. Primum, quia facile filius non crederet, nec est obligatus credere. Deinde, quia ut plurimum inde oriretur periculum famæ, & uitæ amittendæ. Quod si maritus esset uir pacificus, & pius, & præsumeretur eum uelle consulere saluti uxoris, reuelari posset, ut ipse consuleret utilitati legitimorum filiorum: sed tamen, uix unquam sine maiori malo id fieret.

Quo loco dixerim, non esse omnino alienum a ratione, si illud adhiberetur temperamentum, ut adultera in extrema uita reuelaret filio spurio, qui licet non teneatur credere, tamē posset aliquo tempore credere, & ita impediretur aliqua ex parte iniustitia: intellige semper, quando adest utilitatis spes. Quare, si iam uxorem

accepiſſet,& filios haberet,non ſperaretur utilitas.

Nec tamen placet,quod Alciatus lib.de præſcript.c. 16.&Maior loco citato dicunt,matrem adulteram,tempore mortis ſuæ eſſe obligandam ad conuocandos omnes filios, & ad manifeſtandum unum, uel alterum ex illis eſſe ſpurium,& ad rogandum illos,ut uelint ſuam illi hæreditatis partem donare: quoniam iſta donatio eſt fraudolenta,& iniuſta,& ideo non bona.

Sed hoc loco cum Adriano obijceres,qui alterum infamauit, ſemper tenetur reſtituere, etiamſi non ſperet ſe poſſe re ipſa reſtituere; ergo etiam in hoc caſu tenetur adultera rem manifeſtare;ut per eam non ſtet,quin reſtitutio fiat,etiamſi non ſperetur utilitas.

Reſpondeo, primum negando id, quod ſumptum eſt:quoniam ſi non ſperaretur utilitas,non teneretur reſtituere.Deinde,negatur conſecutio,quia cum detrimẽto famę reſtituẽda eſt fama; at in hoc caſu adeſt etiam periculum uitæ.

Septima concluſio,adultera, & ea quæ ſuppoſuit filium, non tenetur crimen reuelare cum periculo uitæ propriæ.Patet ex ijs,quæ diximus in probatione primę concluſionis. Teneretur fortaſſe,cum aliquo periculo, in re omnino grauiſſima,ut in regni ſucceſſione, modo ſpereretur utilitas. Quod tamen ſi faceret, eſſet actus perfectionis.

Octaua concluſio,quod attinet ad famam, & ad alia grauiora damna,idem dicendum eſt in hoc caſu, quod ſupra uniuerſe diximus.

Quod ſi dicas,iſta ob peccatum perpetratum,non habet ius ad famam retinendam, ergo ad eam tuendam non debet alios fraudare:antecedens patet,l.1.ff.de his, qui notantur infamia: dicerem,dum crimen eſt occultum, eſſe in iuſta ſuæ famæ poſſeſſione, & ut alius non poteſt eam infamare,cap.ſi quis,§.Non dico tibi,de pęnit.& remiſ.ita,nec ſe ipſam infamare tenetur: poſſidet igitur indigne famam,ſed non iniuſte.

Nona concluſio, quando adultera eſſet cum ratione

dubia, an filius sit mariti, uel adulteri, cum huic inde sunt dubitandi caussæ, conscientiam deponat, & pœnitentiam de peccato agat. Quoniam in dubio melior est conditio possidentis, & pro reo præsumitur. Quod autem attinet ad aliud caput de adultero, has alias statuo conclusiones.

Decima conclusio, communiter loquendo, adulter non tenetur credere suppositum filium esse suum: Quia potest esse mariti, uel alterius adulteri, præsertim cum mulier esset solita cum alijs adulterari: Quare non facile debet credere, se esse ad aliquid obligatum.

Vndecima conclusio, si sit omnino dubius, uel hinc inde sint rationes probabiles, deponat conscientiam, ne ob erroneam opinionem obligetur: agatq; pęnitētiam, ut de adultera dicebamus.

Duodecima conclusio, si sint signa & argumenta uehementia ob quæ adulter credere debeat suppositum filium esse suum, aut si id sibi persuadeat, tenetur ad omnem restitutionem ad quam tenetur adultera, licet non ita stricte: intellige citra periculum uitæ, & famæ amittendæ: probatur hæc conclusio contra Soti opinionem, his argumentis.

Primo, ex communiore sententia, de qua testatur Nauarrus, loco citato, sub num. 49. Ita enim sentit ipse, & Antoninus, 2. parte. tit. 2. ca. 7. § 4. Siluester uerbo, Adulterium q. 5. Caietan. in summa uerbo, Adulterium, Medina & alij.

Secundo, quoniam, moraliter loquendo, dedit caussam sufficientem, & satis proximam damni: siquidem, adulterium est uia ad generationem, ex qua sequitur damnum: ad quam generationem proxime sequitur, ut etiam adultera (quæ nō uidetur obligata ad puerum tā quam non legitimum deferendum, uel ad hospitale mittendum) filium supponat. Falsum est itaque quod pro suo fundamento affert Sotus, dum ait, adulterum non esse caussam huius damni, cum det operam rei illicitę, ad quam sequitur effectus, unde oritur damnum:

quo

quo casu, etiam caussa remota nocet: ut habetur cap. finali de homicidio lib. 6.

Decimatertia conclusio, quando adulter est obligatus ad restituendum, hæc omnia restituere debet. Expésas in alimentis, & in institutione filij factas, ad illud usque tempus, quo pater est obligatus filium educare: ad dotem, si forte ex adulterio suscepta fuit fœmina: & ad damnum, quod patiuntur hæredes, & legitimi filij. Sed, ut subtiliter adnotauit Scotus, non tantundem restituere debet, quantum habuissent, si non adfuisset, suppositus filius, qui fortasse posset non uiuere, eo tempore quo hæreditas adibitur: sed si iam adiuissent, ut si putatus pater iam mortuus esset, tantundem debet restituere, ut ait Nauarrus.

Quod diximus de adultero, intellige etiã de eo, qui filium alienum supposuit, & de ijs, qui fuere proxima suppositionis caussa.

Sunt autem, qui ita hac de re statuunt: si adulter non fuit consors suppositionis, immo quantum in se fuit, operam dedit, ne filius supponeretur, ad nihil esse obligatum. Si autem de suppositione nihil cogitauit, & nõ fuit consors, solum debet restituere pro alimẽtis factis eo usque, quo de lege naturæ fuisset obligatus suppositum filium alere: si autem fuit consors, & caussa suppositionis tenetur ad omnia, quæ diximus.

Decimaquarta conclusio, adulter, & qui filios nothos mittunt ad hospitale, tenentur ad restitutionem expensarum, si eos paupertas non excuset. Quoniam huiusmodi loca solum pro pauperibus instituta sunt.

Decimasexta conclusio, facta restitutione ab adultera, uel ab adultero, uel a supponente, alii non tenentur restituere. Diximus quid adulteræ, & adultero faciendum sit: restat ut de filio spurio aliquid dicamus.

Decimaquinta conclusio, uniuerse loquendo, filius spurius, uel suppositus, non tenetur credere matri dicẽti ipsum non esse legitimum, uel uerum filium: Tum quia id solet esse incertum, & clara ratione demonstra

ri non potest.l.miles ff.ad l. Iuliam de adult.& Cap. cũ mater de probat. re autem existente incerta, melior est possidentis conditio:tum quia dicere potest,eam id effi cere,uel ex odio,uel leuitatis caussa; prȩsertim quando eum alias duriter tractasset,& alijs filiis maiora amoris signa dedisset,ad quȩ accedit cōis scriptorũ sentẽtia.

Decimasexta conclusio,quando essent argumenta,& signa certa,quibus probaretur eum non esse legitimũ, aut ipse ex aliqua leuiore ratione id crederet,teneretur renunciare hæreditati.Doctrina est communis,& certa quam speciatim Syluest. & Medina tradunt. Tunc autẽ id priuatim credibile fieret, quando mater alias esset morata,religiosa,famæ conseruandæ studiosa,& suppositum filium amanter tractasset, nec solita esset mentiri,& id,uel tempore aliquo sacro, quo omnes ad pœnitentiam conuertuntur,uel in extrema uita reuelaret.

Nec propterea a restituenda hȩreditate excusaretur, quod iam ei fuisset a Iudice adiudicata : quia sententia pronunciata esset ex falsa præsumptione, quȩ a restitutione non excusat: ait tamen Syluester,ei licere aliquã hȩreditatis partem retinere,unde uiueret. Illud certum est,non esse obligatum ad id restituendum,quod ex bonis patris putatiui consumpsit, quia id bona fide fecit : Quod si nõn esset res certa,sed utrinque probabilis , cõ scientiam deponat,& se uerum & legitimum esse putet.

Decimaseptima conclusio,quando plures, puta Petrus,& Paulus rem habent cum soluta, neuter eorũ tenetur credere,eam ex se concepisse, & si Petrus suũ esse credat,& tamen Paulus eum suscipiat,& nutriat, nõ tenetur Petrus rem detegere,quod alter , uel sua leuitate,uel mulieris impostura deceptus sit: Ita Sotus lib. 4. de Iust.& iure quȩst.7.art.2.uersus finem.

Atque per has conclusiones,ni fallor,clare perspicitur quid in materia ualde perplexa sentiendum sit : ad cuius adhuc maiorem explicationem nonnullas dubitatiunculas subijciam.

Prima dubitatio,An adultera testari possit , cum filium

lium habet suppositum: & ratio dubitandi ea est, quia non potest uniuerse appellare suos filios legitimos, cũ non omnes sint legitimi, mentiretur enim: at mendaciũ nullam ob caussam dicendum est.

Dicerem tamen cum Nauarro, num. 48. cap. 16. eam posse testari: nec mentiretur filios appellãdo legitimos eo sensu, quo pro legitimis habentur: adde etiam, quod potest eos simpliciter filios appellare, sine illa particula, legitimi.

Secunda dubitatio, si adultera nõ est obligata, ut diximus, ad crimẽ suũ manifestãdũ, sequeretur, qđ nec maritus, aut filii legitimi possent eã accusare, cum haberẽt indicia sufficientia, ad recuperandam, seu retinendam suam hęreditatem: quia isti non deberent uelle eam cũ tanta suæ famæ iactura restituere, qua in re speciatim nostra fundatur sententia.

Respondetur, primum isti essent omnino immanes & impij, si matrem accusarent. Deinde, esto id eis liceat non tamen sequitur, quod ipsa sese prodere, ac manifestare debeat: sicuti fur, qui licet accusari possit, non tamen ulla lege obligatur ad se manifestandum.

Tertia dubitatio, quid dicendum esset de marito, qui sciret se esse impotentem, & uideret suam uxorem filiũ genuisse; an esset obligatus ad ueritatem detegendã, ne qui deberent succedere in hæreditate ea priuentur.

Respondetur, uniuerse loquendo, non esse obligatũ ad reuelandum, cũ multa inde oriri possint incõmoda; & ipse non fuerit cã iniustitiæ: Quod si res esset magni momẽti, & incommodis obuiari posset, reuelare dẽret.

Quarta dubitatio, quantum debeat esse damnũ, ex restitutione ꝓueniẽs, quod restituẽdi obligationẽ tollat?

Respondet Medina loco citato, id non posse certa regula tradi: uerum si tale, ac tantum sit, ut is cui restitutio est facienda, teneatur euitare, aut impedire, nec aliter uitari queat, quam per non restitutionem, tunc tollitur restituendi obligatio. Quia, in tali casu non retinetur res aliena inuito domino, sed eius consensu, saltem

debito

debito, si nõ expresso. Cùm ergo homo teneatur ad proximum ab iniusta morte defendendum, si potest, siue mors ex animi impetu, siue ex malitia inferatur, si non potest alia ratione eum defendere, id boni temporalis iactura efficere debet. Quo fit, ut in casu nostro, si adultera probabiliter de morte timeat, non sit obligata se prodere, ut hæredibus seu filiis legitimis restituat.

Quare, si quis pro sententia Adriani diceret, adulteram debere reuelare, cum est utilitatis spes, cum nõ ex ira, uel indignatione mariti, sed ex malitia mors præsumeretur uentura; cum ob alterius malitiam nemo debeat, id non efficere, quod ex præcepto facere tenetur, id uerum esset, si solum inde oriretur scandalum & detrimentum eius, qui scandalizatur, & ex malitia peccat, non autem cum sequitur in alterius perniciem, ut in nostro casu accidit, quia reuelatio cedit in damnum adulteræ. His ita explicatis, restat ut ad argumenta respondeamus.

Ad primum, Innocentius & Panormitanus, ut dicebamus, intelligunt regulam illam, de iudice & teste, qui ex officio debent ueritatem fateri, quod tamen falsum est: procedit enim uniuersaliter, ut Adrianus docet: confeo itaque procedere, non solum de ueritate iustitiæ, sed etiam de ueritate simpliciter, & locum habere, quando ueritas est simpliciter necessaria ad salutem, quam ueritatem magis uelle debeo, quam scandalum timere. Verbi gratia, magis debeo sumere baptismi sacramentum mihi ad salutem necessarium, quàm timere scandalum, quod inde homines capere possent. Intelligenda itaque est regula, quando ueritas est illo tempore omnino necessaria ad salutem, atqui in nostro casu non est necessaria, cum lex naturæ, & diuina nolint, ut ego cum tali detrimento restituam.

Ad secundum, primũ si argumentum concluderet, sequeretur contra Adrianum, quod is, qui furatus esset nummum aureum, uel etiam aliquid minus, cum periculo uitæ deberet restituere, quod est omnino falsum,

atque

atque abſurdum: ſequela eſt manifeſta, quia ad talem reſtitutionem lege naturali, & diuina eſt obligatus.

Deinde, pręceptum de reſtituendo eſt affirmatiuum, & non obligat ad ſemper, alias enim qui eſt in extrema neceſſitate deberet reſtituere. Falſum ergo eſt, hoc præceptum in tali caſu obligare, cum non retineatur res inuito domino, qui tacite conſentit, aut conſentire debet, ne ſibi reſtitutio fiat. Non peccat itaque adultera, non reſtituendo contra præceptum, Nō furaberis, ſicuti nec is, qui contra aggreſſorem ſe defendit, non facit contra præceptum, Non occides.

Ad tertium, in primis dubium eſt, an talis compenſatio fieri poſſit, & ſaltem quod attinet ad uitam, quidquid ſit de fama, fieri non ſolet: quod ſi interdum datur pecunia, non pro uita ſublata, ſed in pœnam, quia remittitur capitis pęna: adde quod non eſt par ratio de uita iam adempta, & de uita conſeruanda.

Ad quartum, nihil concludit, quia tunc ſumus in pari neceſſitate, & ideo falſarius tenetur cum ſuæ famæ & uitę periculo, alienæ famæ & uitæ conſulere, ſi cauſſam dedit: at uero hic non ſumus in re pari, cum ex una parte de uita, ex alia, de bono temporali agatur.

Ad quinctum, licet quidem rem ſuam in iudicio repetere, etiamſi mors inde ſequatur: quę non agenti, ſed reo tribuenda erit, qui id fecit, unde iure ab iudice damnari poſſet: at ſecus eſſet, ſi aliũde mors euentura eſſet, ex alicuius iniuſta ira, & animi paſſione: tunc enim nō liceret rem ſuam repetere, cum tanto reſtituentis detrimento, ut in noſtro accidit propoſito.

Atque de hac difficultate hucuſque, de qua late ſcripſimus, cum ſit ualde celebris, & explicatu non parum difficilis: nunc ad ea pauca quę reſtant ſcribenda, tranſitum faciamus.

Cum ergo hactenus, uim naturamque reſtitutionis, eius neceſſitatem, quæ ſint reſtitutioni obnoxia, ſiue quid quantumque reſtituendum ſit, qui debeat reſtituere, cui, quo loco, quo tempore, quæ cauſſę reſtitutionis obli-

obligationẽ tollant, aut differant explicuerim, sequẽti pisputatione docebimus, qua ratione confessarius se generere debeat erga eos, qui nolunt restituere, aut nõ statim, cum possint, qui casus non raro incidere solet.

An is, qui potest statim restituere, & tamen nolit, sit a confessario absoluendus. Quæstio XC.

VT huius quęstiones status melius intelligatur, finge esse aliquem debitorem, qui habet unde soluat, & uult restituere, sed non statim, cum tamen adsit tempus in quo restituere est obligatus; quæritur an iste, si ad confessionem accedat, posuit absolui, cum promissione de restituendo. Quod autem absolui debeat, his persuadetur rationib.

Primo, confessarius est obligatus ad absoluendum pœnitentem iuxta eius conscientiam & promissionem: igitur, cum fortasse pęnitens existimet se nõ esse ad statim restitueudum obligatum, modo se restituturũ promittat, absoluendus erit.

Secundo, restitutio, ut alias docuimus, est quædam satisfactio, quæ, ut dicunt scriptores in materia de pœnitentia, non est necessario statim peragenda poterit igitur differri.

Tertio, confessor in tali casu, dũ absoluit eum promissione de soluendo, caussam creditoris agit, dum debitorem pro alio tempore obligat, quo fortasse tempore, sine hac obligatione, non restitueret: expedit igitur, ut eum absoluat. In hac disputatione duæ sunt Doctorum sententiæ.

Prima eorum qui existimant posse confessarium huiusmodi debitorem absoluere, cum hac tamen conditione, ut intra certum tẽpus restituat. Ita Ostien. Angelus uer. rest. ult. §. 5. & directorium confessorum: At Syluester uer. rest. 5. quæs. 5. limitat hanc doctrinam, & ait solum in eo casu procedere, quando debitor existimaret, se non esse obligatum ad statim restituendum: aut

pu-

putaret,se non habere unde restituat,cum tamen re uera habeat.

Secunda sententia,quæ absolute contrarium docet, nimirum huiusmodi debitorem non esse absoluẽdum, maxime si creditor sit in necessitate constitutus.Ita dominus Caietanus,Nauarrus,nu.65.Antoninus, Adrian. Ioan.Maior,4.sent.dist.15.quæst.28.& alij:quorum sententia uidetur sequenda.

Prima conclusio,quando restitutio differtur cum uoluntate creditoris, potest debitor absolui,etiamsi restituere possit.Patet,quoniam iste non contrectat rem alienam inuito domino:nõ igitur peccat,absoluẽdus ergo.

Secunda conclusio,quando aliqua adesset ratio, cur restitutio differri deberet,& posset,iuxta ea quæ supra disputata sunt,debitor absoluendus esset: ut si non posset statim fieri sine graui damno restituentis, & dominus ob dilationem nihil detrimenti caperet. Doctrina est manifesta ex dictis.

Tertia conclusio, quando debitor debet statim restituere & potest, & tamen uult restitutionem in longum protrahere,gratia exempli,in duos menses,non est absoluendus.Ratio huius conclusionis,quam cum secunda sententia tueor, est manifestissima; quoniam is,qui ad confessionem accedit cum uoluntate persistendi in peccato mortali,non est absoluendus:atqui ita se habet iste de quo loquimur:igitur.Minor propositio est manifesta:quia,aut iste nõ restituendo peccat,aut non:si peccat,argumentum concludit:si non peccat,non esset obligatus ad restituendum,quod est falsum.Ex qua doctrina infertur non esse dandam absolutionem, ei qui nollet restituere,nisi in fine uitę.

Quarta conclusio,Syluestri limitationes non sunt admittendę,quoniam iste errat ex crassa ignorantia,contra præceptum legis naturalis. Est itaque a confessario docendus,& si nolit ab errore recedere,abijciendus est.

Vt autem quæ diximus, & non nulla alia ad hãc quęstionem pertinentia adhuc melius explicemus, quasdam

dam proponam,& dissoluam dubitationes.

Prima dubitatio, quid dicendum sit de eo, qui alias pollicitus fuit se restituturum,& non restituit,an iste sit absoluendus. Quidam putant absoluendum esse,modo doleat de præterito peccato,& proponat se restituturũ, si tunc non potest:alij uero negant;at nos de hac dubitatione ita statuimus.

Primum dictum, qui potuit ante confessionem restituere,& non restituit, & se facturum pollicitus fuit,uniuerse loquendo,non est absoluendus.Ita Anton. & Caiet.uer.rest. Quoniam confessarius est ueluti medicus, ut patet toto titulo de pœnitentijs, & remiss. quare omnem debet adhibere diligentiã,ut pœnitens sanetur, & ne iterum cadat curare : quod nulla meliori ratione fieri potest,quam absolutionem ngando.Adde etiam,quoniam,si ex preteritis licet iudicium facere de futuris,ut antea non restituit,ita nec postea,si absolutionem fuerit consecutus,restituet.

Secundum dictum, quo qui sępius fuit absolutus, & in restituendo fuit negligens, eo difficilius est absoluendus.

Tertium,nihilominus tamen,quando confessarius esset omnino certus fore,ut restitueret, posset eum absoluere,quod eius prudentiæ relinquendum est.

Secunda dubitatio, quomodo se gerere debeat Confessarius erga eũ,qui in articulo mortis restituturus est.

Primum dictum, in mortis articulo, non est omnino seuere agendum cum eo, qui habuit animum restituendi in uita,si restituere possit; modo uideatur animus paratus,ad satisfaciendum,si posset.

Secundum, qui in articulo mortis, cum possit, non uult restituere,aut si non potest, non habet animum restituendi non est absoluendus. Quoniam est peccatum mortale non habere propositum satisfaciendi creditoribus.

Tertium, qui in mortis articulo potest restituere ante absolutionem,nõ est absoluendus,ni prius restituat.

Quar-

Quartum, si ante absolutionem non potest restituere, sed per testamentum relinquit ut fiat restitutio, absoluendus est, & ut is saluari potest, ita nõ facile potest.

Quinctum, qui in uita nõ restituit, cum posset, etiãsi haberet uoluntatem efficacem restituendi in articulo mortis, tamen semper uixit in statu peccati mortalis. Doctrina est communis, & per se manifesta, quia non seruauit præceptum, quod seruare debebat.

Sextum, idem dicendum est de illis, qui dubitarunt, an haberent aliquid alieni, & an deberent quicquam restituere, si non adhibuerunt diligentiam, ut se ab isto dubio liberarent.

Tertia dubitatio, an is qui reliquit in testamento, ut restitutio fiat liberari possit a purgatorio, antequam hęres restituat. Aliqui docet non liberari, donec fiat restitutio: Nauarrus contra sentit, & bene, estque doctrina diui Thomę quolib.6.ar.13. Adrian. quolib.8. lege Nauar. cap.17. nu.68. Quod si obijcias, uerba quę habẽtur cap. in literis, de raptor. (Vt a peccatis suis ualeat liberari) respondet Nauar. legendum esse (Valeant) nimirum hæredes per restitutionẽ debitorum defuncti, uel intelligantur de precibus creditorum, & pauperum bene satisfactorum.

Quarta dubitatio, an qui non uult totum quod debet statim restituere, sed paulatim, sit absoluẽdus, cum totum restituere possit.

Respondetur cum communiore sententia, istum nõ esse absoluendum: ita Adrian. in materia de rest. Ioan. Maior. Medin. & Nauarrus nu.66. cap. 17. ut alios missos faciam. Et ratio est in promptu, quia iste uult perseuerare in peccato mortali: quæ Doctrina est uniuersaliter uera in omni debito, siue sit ex delicto, siue ex iusto contractu.

Sexta dubitatio, an pœnitens teneatur obedire confessario præcipienti ut statim restitutio fiat.

Huic dubitationi Franciscus Mayro respondet affirmatiue, cui etiam consentit Syluester, uerb. rest.5. q.6. ait

ait tamen hoc intelligendũ esse, quando ex diuino pręcepto tenetur statim restituere. Atque de his dubitationibus hactenus: minutiores enim legendas relinquimus apud Summistas. Restat igitur, ut argumenta allata dissoluamus.

Ad primum, hoc argumentum concludit, quãdo pœnitens esset aliqua doctrina imbutus, & aliquam sequeretur opinionem probabilem: tunc enim confessarius posset eum absoluere, iuxta ipsius opinionem: at in uero in casu nostro, res est manifesta, & qui contra sentiret manifeste erraret.

Ad secundum, restitutio respectu hominis non est satisfactio, sed debitum quoddam naturale, quod qui nõ soluit, manet in peccato: ac proinde, cum possit, nõ est absoluendus, cum uelit a peccato recedere.

Ad tertium, confessor in primis debet spectare suũ munus, quod conuenienter exercere debet, quod non faceret, si eum absolueret, qui non uult restituere. Deinde, ut absoluendo potest creditori prodesse, ita etiam potest obesse; quia cum pœnitens, sibi negari absolutionem uiderit fortasse ad restituendum mouebitur. Denique, non est credibile eum restituturum, uniuerse loquẽdo, qui cum statim possit restituere, non curat. Nam qui parum est solicitus de anima sua, non erit multũm diligens de re aliena. Caute igitur confessarij, se gerant, cum in huiusmodi homines inciderint. Vt autem quos inuenerit ad restituendnm difficiles, eos commouere ad id possint, sequenti disputatione nonnullas caussas ob quas homines non facile restituunt, recensebo, & quasdam rationes quibus qui rem alienam possident, ad restituendum excitari possunt.

Qui-

Quibus rationibus homines dæmonis arte a restitutione retrahantur, & quæ caussa eos ad restituendum commouere deberent. Quæstio XCI.

Restitutionis laqueus ita late patet, ut pauci sint, qui in eum non incidant: & ne qui inciderint ex eo sese explicent, & extricent, nihil non agit animarum uenator diabolus, qui restitutioni obnoxios, his fere rationib. decipere consueuit.

Prima, qua efficit, ut quantum fieri potest, contra creditoris uoluntatem protrahatur restitutio.

Secunda, qua debitores sæpe ad superbiam & arrogantiam excitat, dum putant sibi iniuriam fieri, cum debita ab ipsis repetuntur, quasi pro infidelibus, & iniustis, & ingratis habeantur: quo fit, ut se infensos eis demonstrent, quibus gratias agere debuissent.

Tertia, qua aliqui ideo decipiuntur, quod putent se satisfecisse, si creditorum clamores placauerint, si non continenter repetant: & tamen conscientiæ clamores non exaudiunt.

Quarta, alii restituere quidem uolunt, cum aliquo graui morbo laborant, sed si uita functi fuerint, non autem si superuixerint: quasi uelint cum Deo pacem inire, si e uita excesserint, nõ tamen si a morbo euadãt: timentes, ne si restituant, pauperes fiant.

Quincta, cum fit restitutio, sed diminuta, non integra, quod sepe contingere solet.

Sexta, cum se restituisse putant, si relinquant legata ad pias caussas, certis pretermissis creditoribus: quod est quodammodo etiam post mortem uelle iniustitiam committere.

Septima, cum putant se satisfecisse, si hoc onus hæredibus imponant, cum ipsi possint in uita hoc commode præstare: a qua restituendi ratione hæ rationes homines remouere deberent.

Primum, quod is debeat restituere, qui accepit, deinde, quia quantum fieri potest restitutio debet praeire pœnitentiam: deinde, quia quod per se fieri potest, si alteri committatur, frigide, & negligenter fit, & signum est, non ex uoluntate fieri: deinde quia executores sæpe sunt infideles, & magis bona sibi relicta, quam relinquentis animam amant, unde qui hoc agũt exponunt se periculo, ne unquam restitutio fiat: deinde quia hęredes non satis bene & plene possunt creditoribus uarijs, & uaria ratione damno affectis restituere: denique, ob cupiditatem eorum qui restituere debent, qui sępe sunt auari, & ob aliquam leuem caussam restitutionem negligunt.

Octaua, quia non raro datur occasio ut ij qui restituere debent, non restituant; cum non minus, quam qui acceperunt res alienas appetant, & minus ad restituendum se obligatos putent, cum ab eis non fuerint proxime per impietatem acquisitę.

Nona, quoniam datur occasio hæredibus damnandi animam suã; qui ut diximus, facile non restituunt, aut si restituunt, non eo modo quo debent. Contra uero si quis animaduerteret, quę bona qui restituit cõsequatur, & sibi a Deo restituantur, facile ad restituendum excitaretur.

Primo, restituenti restituitur Deus, qui est portio nostra, & hæreditas nostra. Quare nemo paupertatis timore perterritus, restitutionem prætermittat, cum nemo pauper esse possit, qui in Deo omnium possessore, omnia possidet: seque his Tobiæ senioris consoletur uerbis, Noli timere fili mi, pauperem quidem uitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.

Secundo, restituitur sibi anima, & totus ipse sibi ipsi. Propterea, si se captiuũ apud hostes suis bonis redimeret, cur non etiam aliena restituendo ex dæmonũ manibus se redimet?

Tertio, restituũtur omnia merita, quæ per peccatum fuerunt mortificata.

Quarto, restituuntur sibi spirituales fratres, quibus dum aliena retinet, priuatur. Quæ enim communicatio sancto homini ad canem? uere utique canis est, qui iniuste rapit & detinet aliena.

Quincto, bona ecclesiastica, quæ per sanctorum com munionem acquiruntur, quæ in uniuersa ecclesia fiunt.

Sexto, bona fama, quæ supra omnes diuitias estiman da est; Prou. 22.

Denique, restituitur ius ad æternam gloriam, regnũque cœleste, quod perpetuo durabit, cum tamen diuitiæ terrenę aliquando relinquendę sint; quas qui hic nõ restituit, posthanc uitam, cum morietur, hæreditabit serpentes, bestias, & uermes, hoc est dæmones, Eccl. 10. Atque de re proposita hęc breuiter dixisse uolui. Hos paucos locos aduotasse sufficiat, quos eloquens concionator, & salutis animarum cupidus confessarius amplificare poterunt. Plura si quis de hac re legere cupit. Antoninum, & diuum Bernardinum in suis sermonibus de de restitutione legat. Quod si quis, uel sua sponte motus, uel his rationibus excitatus restituere uellet, & modum ordinemue, cum præsertim multa, & multis restituenda essent, peteret, id in sequenti & postrema huius tractatus disputatione docebimus.

De ordine in restitutione seruando. Quæstio XCII.

MVltæ possent in huius quęstionis tractatione, in medium rationes afferri, quibus rei propositæ in certitudo ac difficultas appareret; quippe cũ multa habeat capita, ex quibus dubitare licet; ut an spectãdũ sit debitũ magis antiquũ, an magis certũ: an personale, uel reale: an, quod oritur ex cõtractu licito, aut quod ex illicito: an quod ex obligatione iustitię, an uero, quod liberalitate & denique, an quod naturæ lex pręscribit, an quod humana, uel pri

uata, uel publica constitutio requirit; sed, ne longum faciam, dubitandi rationibus omissis, rem uniuersam paucis complectar.

De qua legendus est preter alios, Antoninus 2. parte, tit. 2. cap. 7. Syluester uerbo, Restitutio, 6. quæs. 5. Dominus Caietanus in sua summa uerbo, Restitutio, cap. 8. Medina Codice de rebus restituendis, questio. 2. dubio quincto, Nauarrus in Enchirid. cap. 17. nu. 47. & sequentibus ex quibus nos quasdam conclusiones colligemus, quibus perspicue propositæ satisfiet quæstioni: pro cuius clariori elucidatione, quasdam distinctiones, & cómunes regulas prius adnotabo.

Notandum itaque est, debitum esse duplex, alterum reale, alterum personale: reale est, cum creditor habet actionem in rem ipsam, quam iure suo repetere potest: ut si quis in iudicio repeteret equum sibi furto sublatum, probando esse suum: personale uero, cum quis potest agere solum contra personam, quæ aliquid debet, ut si quis uellet repetere pretium uini, uel frumenti iã consumpti, ab eo cui uendidit: quia cum res uendita non appareat, agit contra personam. Si itaque res maneat eadem apud debitorem habetur ius in rem: si uero non maneat, habetur in personam. Quo fit, ut res dicatur obligata creditori, uel expresse, ut cum res ipsa manet, uel tacite, cum transit in alterius dominium.

Debitum personale triplex est, unum contractum ex delicto, ut ex rapina, furto, & usuris: alterũ ex licito có tractu, ut ex emptione: tertiũ ex libera promissione, ut ex legato: illud dicit onerosum, hoc uero nó onerosum.

Rursus debita, altera sunt eiusdem rationis, ut multa debita ex emptione, uel ex furto, cum multa debentur, quia furto accepta sunt: altera non eiusdem rationis, ut debitum ex furto, & ex mutuo.

Item, aliud est debitum non pœnale, ut sunt debita facta ex commutatione iusta, uel iniusta, alterum penale, quod solui debet fisco ob delicti pœnam.

Potest autem restitutio fieri, uel extra iudicium priuate,

uate,uel per iudicis sententiam & executionem:uel secundum ordinem legis naturalis, & secundum ordinẽ iudiciorum,seu iuris communis.

Et cum sit comparatio inter duo debita quærendo quodnam debeat esse prius, intelligi potest dupliciter: primum uniuerse, & simpliciter, altero modo cęteris paribus, hoc est,cum duo debita in omnibus alijs sunt paria,genere & quantitate,& sola differentia est in tempore,His notatis, affero primum quasdam regulas communes quæ uniuerse sumptæ ueræ sunt, quas deinde planius explanabimus.

Debita certa præferenda sunt incertis: quæ duplici obligatione debentur, ijs, quæ uno tantum titulo sunt obligata:priora posterioribus,cęteris parib⁹: debita ex obligatione, ijs, quæ ex promissione & libertate: non pœnalia, pœnalibus: & denique maiori malo prius est occurrendum, quam minori,cæteris paribus.

Quod autem attinet ad debita ex contractu licito & non licito, est quædam discordia inter dictores; nam Ioannes Medina, loco supra citato, defendit debita ex maiori iniuria contracta præferenda esse ijs,quæ ex contractu licito nascuntur, idque confirmat Seraphici doctoris sententia. Quoniam a peccatis ordinatim recedendum est, & prius a grauioribus,quam a leuioribus: unde prius restituendum est pro rapina, quàm pro furto,& prius pro furto,quam pro usura, & prius pro usura,quam pro contractu licito,ut pro mutuo.

Quod si objicias, mutuantem non debere esse inferioris cõditionis,quam is qui accepit pecunias sub usura,cum in usura intercedat accipientis utilitas; ait,uerum esse ratione caritatis & gratitudinis,unde non nascitur obligatio ad restituendum,non autem ratione iustitiæ,qua ratione magis debetur ei,qui cum iniuria læsus fuit. Sed statim objiceres,maior est iniuria, quæ fit mutuanti,quam quæ fit ei qui soluit usuras,cum aliqua utilitate; fatetur quidem maiorem fieri iniuriam ratione personæ cui fit, cum fiat iniuria benemerito: tamen

iniuria quę oritur ex usura est maior, quia est omni lege, naturali scilicet, & diuina, & humana prohibita. Neque obstat, si obijcias mutuatorem, seu uęditorem posse maius damnum pati, quam qui usuram soluit, aut furto spoliatus fuit, quia quæstio intelligenda est cęteris paribus.

At uero Caietanus loco citato, & Nauarrus sub nu. 53. putant potius esse præferendum debitum ex contractu licito, ut ex mutuo, quam debitum ex usura: Quare usurarius prius soluere debet, quod est obligatus per cótractus licitos, quibus non est pauperior factus, ut sunt contractus emptionis, & mutui, quam pro debito ex usuris acceptis, etiamsi ante illos contractus fuissent extortæ.

Rationem, qua nititur Caietanus, quem nominatim reprehendit Medina, parum ualere hic auctor docet. Ratio hæc est, quia alioqui in hoc casu deberent accipi aliena ad soluendum usuras: quia debita ex contractibus adueniente termino, si creditoribus non soluantur, sed mutuatarijs perinde est, ac si aliena accipiantur, ut mutuatarijs satisfiat. Fallitur, ait Medina, Caietanus, quia pecuniæ mutuo acceptæ, aut pro mercibus iam distractis receptæ, etsi debitæ sint; tamen non sunt aliena bona, sed ipsius debitoris, nec creditores ad ea maius ius habent, quam mutuatarij a quibus usuræ sunt extortę. Nos quid de tota hac re sentiamus statim uarijs conclusionibns manifestabimus.

Prima conclusio, in restitutione facienda, uniuerse loquẽdo, seruandus est ordo. Doctrina est certa apud omnes; quam ea ratio confirmat: quia ni id fieret, sepę lędetur iustitia, ad quam sarciendam comparata est restitutio.

Secunda conclusio, si qui debet pluribus restituere, tot abundat bonis, ut possit omnibus creditoribus satisfacere, non est necesse, ut in restituendo ullus seruetur ordo, modo detur cuique suum. Ratio est manifesta, quia hoc casu, si ordo non seruetur, nihil contra iusti-

tiam

tiam peccatur. Verum, si dubium esset, an bona possent sufficere, restituendum esset cum ordine, ne tandem is sua re priuaretur, qui prius eam recipere debebat.

Tertia conclusio, prius debita certa, ut sunt illa, quorum creditores sciuntur, soluenda sunt, quam incerta; ut sunt illa quorum creditores ignorantur; quibus non inuentis restitutio fieri solet pauperibus, ut supra docuimus. Est doctrina certissima tum ex communi opinione: tum etiam, quod Ecclesia, siue pauperes non habent tantam actionem & ius in bona debitoris, ac habent certi creditores: qui actione naturali, ciuili, & specifica possunt rem suam repetere: at uero pauperes actione generica: quare non possent dari bona pauperibus, uel Ecclesiæ sine præiudicio creditorum certorum non contra. Lege Antoninum loco citato.

Limitat acute Dominus Caietanus hāc cōclusionē, ut non habeat locum, quando res incerta eadem specie conseruatur: quia tunc restituenda esset, ordine prædicto omisso. Vt ecce, si in bonis alicuius defuncti reperiretur calix consecratus, licet nesciretur priuatim cuius esset: tamen, quia uniuerse scitur pertinere ad Ecclesiæ, siue ad Christi bona, ideo restituendus esset alicui Ecclesiæ, ne in bonis profanis conseruaretur.

Ex quibus, cum eodem Caietano, Syluestro, & Nauarro colligere licet, eos qui super bonis incertis, cum Prælatis Ecclesiæ componunt, quod non possint omnibus satisfacere, ut facta compositione, quæ supersunt bona, tanquam propria possideant, non esse tutos, cum pro debitis etiam incertis, quantum fieri potest, satisfaciendum sit.

Quarta conclusio, inter bona certa, prius restituenda sunt, quæ actione reali expressa, sunt debita, seu quæ manent apud debitorem in eadem specie, quam quæ nō manent, siue res fuerit iuste accepta, ut commodato, & deposito, siue iniuste, ut furto, & rapina. Doctrina est Baldi l. pro debito Codice de bon. aucto. iudic. posses. quem alij Doctores communiter sequuntur. Quoniam

in his casibus dominium est apud eum a quo res est accepta: restituenda igitur erit suo domino.

Idem dicendum est de re uendita, licet per uenditionem translatum sit dominium, l. traditionibus Codice de pactis, quando non est solutum pretium: quia res, quæ in sua specie conseruatur, ex iure ciuili, manet obligata uenditori, usque ad pretij solutionem, ac si non esset translatum dominium. Ita Baldus Antoninus, & Nauarrus locis supra citatis. Quód si res pluris ualeret, quam empta fuit, uel eius pretium auctum esset, tunc deberet uendi, & quod superesses, alijs creditoribus restitui deberet. Fundamentum omnium quæ in hac conclusione diximus, est regula illa uniuersalis; quia in his casibus est duplex obligatio, realis; nimirum, & personalis Et quamuis uenditor habeat ius in rem ipsam, nó tamẽ habet in pecuniam, si res uendita esset: uel in rem aliam, in quam permutata fuisset.

Quincta conclusio, obligatio onerosa præferenda est obligationi liberæ, licet hæc facta prius fuerit. Quare obligatio ex mutuo, preferenda est obligationi ex legato, uel donatione, & promissione. Ita habent, Medina, & Iosephus: & ratio est manifesta; quia legata, & promissa alias non debita, præiudicare non debent ijs, quibus debitoris bona ex iustitia obligata sunt: & maius damnũ patitur qui sua bona commodauit, quam qui ex liberalitate non accipit.

Sexta conclusio, si debita sint diuersa numero, cęteris paribus, illud prius soluendum est, quod est antiquius. Ita Medina loco citato; & huc pertinet, regula illa, de regulis iuris libro 6. Qui potior est tempore, potior est iure. Quod si non sint cætera paria, non uidetur hæc antiquitas seruanda: ut si qui est posterior, esset omnino pauper, & maximum detrimentum pateretur, si postponeretur.

Septima conclusio, debita pœnalia contracta ex aliquo maleficio, ut ex homicidio, postponenda sunt, non pœnalibus. Quoniam, leges non possunt aliquem punire

nire in detrimentum legitimi creditoris. Adde etiam, quod maleficium, ex se, obligat personam: at uerò qui ex cõtractu debet, ex duplici obligatione, personali scilicet, & reali, restituere debet: cum omnia eius bona sint tacite creditori hypothecata.

Octaua conclusio, debitum contractum ex rapina, debet præferri ei, quod ex furto. Ita Medina loco citato: & ratio est, quia ibi intercedit maior iniuria: cum res per uiolentiam sit ablata: intellige cęteris paribus. Idẽque dicendum est, de eo quod restituendum est ex furto, quod præferendum est ei, quod ex usura; cum in hoc debito sit minor iniuria, & maius damnum, & ius ciuile magis cogat ad illud debitum soluendum, quam hoc. Ita Anton. Medina, & Caietanus. Similiter debitum ex furto, uel rapina præferendum est ei, quod ex licito oritur contractu. Quoniam illud habet secum annexam duplicem actionem, ratione iniustæ acceptionis, & ratione iniustæ retentionis: præter maiorem iniuriam.

Nona conclusio, debitum ex cõtractu usurario, postponendum est debito ex contractu licito, etiamsi tempore præcesserit. Placet nobis in hac parte Caietani, & Nauarri opinio: primum, quia magis certum est debitum ex contractu licito factum, quam illud quod natũ est ex contractu usurario, cum multi dubitent, an sit aliquid restituendum ob huiusmodi contractum. Deinde, quia maius damnum accipit, qui dat pecunias mutuas, quã qui accipit ad usurã, cũ ex accepta pecunia aliqua capiatur utilitas. Et proinde debitum ex licito contractu, est magis naturale, quam id, quod contrahitur ex contractu illicito, & iniusto. Limitatur hæc doctrina, ita ut locum habeat, quando usurarius habet alia bona non ex usuris acquisita: nam si quę habet bona, omnia sunt ex usuris empta, sunt eis a quibus accepit aliquo pacto obligata: idem dicas, si res per usuram accepta adhuc extaret.

Decima conclusio, si quæ sint statuta specialia in aliquo

quo regno, rep. & ciuitate, de ordine in restitutione seruanda sunt; ut in aliquibus regionibus esse dicuntur, circa nummularios, & fraudatores. Ita Nauarrus, sub num. 50. Quod si nulla sit de hac re constitutio, seruandum erit ius commune.

Vndecima conclusio, secundum ius commune, talis ordo in restituendo seruatur.

Primo ille est pręferendus, cui debitoris bona sunt expresse hypothecata, seu obligata, ut Antoninus loco citato docet.

Secundo, uxor ratione suę dotis.

Tertio, præfertur fiscus aliis creditoribus, l. quamuis. C. de priuil. fisci.

Quarto, ij pręferuntur, quibus bona debitoris sunt tacite hypothecata, suo ordine, & depositarii, nisi quando pecunia deposita fuit ad negotiandum, ut soluantur usuræ, l. si hominem §. finali ff. de deposito, l. si uentri ff. de priuil. credit, quia tale depositum uim habet mutui, l. certi condictio §. finali de rebus cred.

Quincto, qui habent priuilegium personale, quo præferantur aliis sine obligatione reali.

Sexto, & ultimo loco sequuntur alii creditores, qui non habent obligationem expressam, uel tacitam, nec priuilegium personale, sine ulla consideratione, quis eorum sit prior, uel posterior, quibus pro rata, deductis expensis necessarijs, sed non superfluis, restitutio est facienda, ut Antoninus loco citato, & Paludanus dist. 15. q. 2. docet.

Hoc loco animaduertit Nauarrus, eum qui mutuum dedit pro aliqua re reficienda, ut ad reficiendam domum, uel nauim, præferendum esse omnibus qui habent hypothecam bonorum domini illius in solutione ex pretio eius consequenda, l. 2. ff. qui potior in pignor. haben.

Quo loco monendi sunt confessarij, qui non sunt obligati ad leges ciuiles cognoscendas, ut cum casus de restitutione secundum leges humanas facienda, incide-

rit,

rit, Iuriſperitos conſulant.

Duodecima concluſio, alius, eſt ordo in reſtituendo, quem ſeruat iudex, alius quem retinet priuata perſona, pro ſua uoluntate reſtituit. Iudex enim ſeruat ordinem a iure ſtatutum, priuata uero perſona, eum quem priuata ratio pręſcribit.

Decimatertia concluſio, qui reſtituendo ordinem nõ ſeruat, contra conſcientiam agit: quare ſub graui peccato ordo in reſtituendo ſeruandus eſt: alias iterum, reſtituendum eſſet, ſi ordo, quem iuſtitia requirit inuerteretur. Ita Oſtienſis, Mon. Syluester uerb. reſt. 6. q. 7. Nauarrus, & alij. Poſſet tamen aliquis excuſari ignorantia facti, uel iuris.

Decimaquarta concluſio, qui ſua diligentia prior fuit, in debiti exactione, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium, licet debuiſſet eſſe poſterior, nihil peccat, ſi quod ſibi debebatur retineat. Nemini enim facit iniuriam, dum per diligentiam ſuum requirit, & retinet: & prius ſoluendum eſt ei, qui prius ſuum repetit, l. pupillus. ff. quæ in fraudem creditoris. Ita Syluestr. & Nauar. modo alij non ſint magis priuilegiati, qui præferendi ſunt. Vnde infert Nauarrus, peccare generos & nurus recipientes, aut detinentes ex bonis ſocerorum, quod eis debetur, cum eorum bona magis priuilegiatis deberi ſciant.

Atque hęc ſunt, Chriſtiane lector, quæ de reſtitutione, & Deo, & tibi, quibus omnia me debere ſentio, hoc tempore reſtituere poſſum: magis abſoluta, atque expurgata reſtituturus, ſi is cuius cauſſa hunc tractatum paucorum menſium ſpatio compoſui, plus temporis ad plura ſcribenda, & ad ea quæ ſcripſi magis purganda & perficienda conceſſiſſet. Quare, ſi quid minus accurate dictum, aut ſcriptum inuenies, & pręſertim in citandis locis, cum ob temporis anguſtias interdum ea cum auctorum ſcriptis conferre non licuerit, unde me excuſes, habes.

Cęterum fauente Deo, hæc alias magis elaborata, & pur-

& purgata prodibunt, si interim, qualia qualia sunt; tibi non ingrata fuisse intellexero.

Tuum igitur erit, Christiane lector, ut quæ tibi bono restituuntur animo, boni æqui consulas, & Deo optimo maximo, a quo omnia proficiscuntur bona, accepta referas; cui sit honor, & gloria in secula.

FINIS.

Laus Deo Opt. Max. & Beatæ Virgini Annunciatæ.

